BIB. DOM.
ANDEGAV.
S. J.

38 – H

BX
4704
.N58
1758
v. 1
[illegible]

[illegible]

# DE VIRIS ILLUSTRIBUS

## IN CASTELLA VETERI

## SOC. JESU INGRESSIS

ET IN ITALIA EXSTINCTIS

*LIBRI II.*

AUCTORE

JOANNE ANDREA NAVARRETE.




BONONIÆ MDCCXCIII.

EX TYPOGRAPHIA SANCTI THOMÆ AQUINATIS

*SUPERIORUM FACULTATE.*

# PRÆFATIO.

Eorum res gestas enarraturus, qui apud nos virtutum laude floruerunt non vulgari, illud ante omnia servare constitui, nihil ut huc afferrem, quod certum exploratumque non esset: et siquid aliquando non ita compertum occurreret, id ego vel omnino missum facerem, vel in medio certe relinquerem. Itaque ex iis, quæ dicam, nonnulla egomet vidi; multa ab aliis accepi, quæ viderunt ipsi; pleraque ex illis deprompsi literis, quæ in singulorum obitu ad reliquos provinciæ Socios dimittebantur. Quas quidem literas, cum a viris notæ probitatis et fidei conscriptæ fuerint, nemo jure suspectas habere poterit. Sed quoniam ex ejusmodi literis non paucæ desiderantur, aliæque brevissimæ sunt, neque aliud vix continent, quam extremos decedentium actus; propterea quosdam ego prætermisi, quorum alioqui nomina haud postremum in hoç opere locum obtinere debuissent. In his Josephum Ontannonium censendum judico, Josephum item Martinezium, et Antonium Villafannium, veteranos et probatissimos Sacerdotes: lectissimos quoque juvenes Franciscum Pavonium, et Joannem Antonium Bellidum: atque ex Adjutorum numero Joachimum Ayerbium, et Augustinum Martinezium: quorum

facta colligere non licuit, ut in aliquam exactæ narrationis formam redigerentur; vel quia nullus ab initio ea perscripsit; vel quia temporum injuria, quæ fuerant scripta, perierunt. Non deerunt fortasse aliqui, qui hos, aut iis suppares in hoc Virorum illustrium catalogo requirant: sed exiguam rerum ipsorum notitiam assecutus, malui nihil de illis, quam parum scribere, ne præclaram, quam apud omnes obtinuerunt, virtutis opinionem narratione minus justa detererem. Inter eos vero, quorum acta recensenda suscepi, non alium tenere ordinem statui, nisi quem singulorum designat obitus, ut omnes, cujuscunque classis fuerint, eodem ego discrimine habeam, quo mors illos habuit. Eam autem operis partitionem commodissimam existimavi, si omnia duobus complectar libris: in quorum primum illos conjiciam, qui ante Societatis eversionem; in alterum, qui post illam defuncti sunt vita.

In verborum delectu sic studui esse diligens, ut non propterea multa non usurpaverim, quæ nusquam apud Ciceronem invenientur. Placet enim in hac parte sententia Cl. Edmundi Campiani, qui fidem catholicam, quam scriptis propugnaverat validissimis, apud Londinenses fuso deinde sanguine confirmavit. Is, cum Pragæ rhetoricam traderet, suos hortabatur auditores, ut quoad ejus fieri posset, Ciceronem exquisitissime referrent et exprimerent: nihilque extra illum assumerent, quod non ingens utilitas, aut necessitas flagitaret. Eam autem utilitatem interpretatur, cum vim, lucem, pon-

dus, securitatem apportet aliqua dictio, qua repudiata, vel obscuritas, vel error, vel offensio non modica bonorum hominum jure timeri debeat. *Nempe* ( ait cap. 5. de imitatione rhetor. ) *apud Ciceronem* perpessio, *non* passio *invenitur. Num propterea Christiani non audebimus Christi passionem totidem literis et syllabis enuntiare? Per me quidem potius in Tiberim omnia Ciceronis opera projiciantur, quam hujus unius dictiunculæ jactura fiat.* Idemque existimat de vocibus *pœnitentia*, *sacramentum*, *testamentum* vetus et novum, quas constat non idem apud veteres significasse, quod modo apud Christianos. Hujus ego disertissimi, sanctissimique viri exemplo non dubitaverim prædicta nomina, aliaque illis affinia recipere, quæ jam consensio fidelium, ipsaque verborum religio consecravit.

## AUCTORIS PROTESTATIO

*Quæcunque in his Libris referam de virtutibus, aut miraculis quorumdam Virorum illustrium, ea me non alio sensu accipere, vel accipi ab ullo velle profiteor, nisi quo illa solent, quæ humana duntaxat auctoritate nituntur, ut Urbani VIII. decretis obediam, et S. R. Ecclesiæ, cujus est earum rerum judicium, debitum præstem obsequium.*

# INDEX
## VIRORUM ILLUSTRIUM
*Quorum Vitæ in hoc Libro continentur.*


| | |
|---|---|
| Franciscus Atela. | Pag. 1 |
| Joannes Baptista Cosius. | 39 |
| Emmanuel Amezqueta. | 54 |
| Josephus Fernanzius. | 71 |
| Antonius Salgadus. | 81 |
| Adrianus Antonius Crucius. | 97 |
| Emmanuel Lanza. | 110 |
| Emmanuel Cancela. | 133 |
| Josephus Joachimus Echaurius. | 161 |
| Augustinus Cardaverazius. | 166 |
| Joannes Martinus Zubiria. | 219 |
| Emmanuel Mazia. | 224 |
| Franciscus Xaverius Camus. | 239 |
| Josephus Aztina. | 267 |
| Gabriel de Barco. | 277 |
| Petrus Calatayudius. | 284 |

V I D I T

*D. Joſephus De Bonis Clericus Regularis S. Pauli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Pœnit. pro Eminentiſs. ac Reverendiſs. Domino D. Andrea Cardinali Joannetto, Ord. S. Benedicti, Congregat. Camaldul. Archiep. Bonon. & S. R. I. Principe.*

*Die* 28. *Januarii* 1793.

*IMPRIMATUR.*

*Fr. Aloyſius Maria Ceruti Vic. Gen. S. Officii Bonon.*

# DE VIRIS ILLUSTRIBUS
## IN CASTELLA VETERI
## SOCIETATEM JESU INGRESSIS
## ET IN EXILIO EXSTINCTIS
## *LIBER I.*

## FRANCISCUS ATELA.

In Cantabriæ oppidulo, cui nomen est Munguia, ortum habuit è parentibus nobilitate conspicuis Franciscus Atela, die decima quinta Maii, anno septingentesimo primo supra millesimum. Puerili ætate transacta, cum eleganter scribere didicisset, et arithmeticæ rudimentis esset imbutus, missus est Matritum, ubi munus in regiis officinis obtinuit, unde plurimos ad honoratiora quæque munia gradum fecisse, compertum est. Eandem sibi sortem Franciscus poterat polliceri, quippe cui et acris ingenii vis, et in expediendis quæ demandata essent, assiduitas et solertia inerat quam maxima. Sed divinæ providentiæ beneficio, cujus est homines, etiam per ignotas eis ambages, ad illud vitæ genus invitare, et allicere, quod unicuique maxime accommodatum sit ad salutem; postquam viam illam ad seculi honores pronam inierat, eidemque per aliquot annos institerat, cogitationes suas et consilia ad alia omnia convertit. Cœpit nimirum sedulo secum ipse reputare, præcepta spes altioris fortunæ quam facile posset eum deludere: si votis responderet eventus, quam pungentibus curarum aculeis esset interim exagitandus: demum, si terrena omnia è sententia succederent, quot quantisque periculis animæ salus esset objecta. His diu multumque perpensis, et adjunctis ad Deum precibus pro ipsius voluntate exploranda, tandem firmissime apud se constituit, ex incepto vitæ cursu in Societatem Jesu, tanquam ex obnoxio tempestatibus mari in

tutissimum portum, sese recipere. Sed vidit, simulque doluit, cum vigesimum jam ætatis annum excessisset, quin grammaticam ne à limine quidem salutasset, fieri nullo modo posse, ut Patribus Societatis latini sermonis expers adscriberetur: quare, ut hunc obicem quam primum è medio tolleret, animum induxit Villamgarsiam sine mora proficisci, ubi grammaticis præceptionibus quam citissime imbuendum se fore sperabat. Est autem Villagarsia (ut aliquam ejus loci notitiam præmittam, de quo loco sæpius meminisse opus erit) in late patentibus Vaccæorum campis oppidum non ignobile, cui multum celebritatis accessit ex ibidem erecto Societatis Jesu Collegio: in quo et Tirocinium constitutum erat, et Seminarium, pro adolescentibus Societatis ad omnem virtutem, et humanitatem informandis: pro externis autem discipulis Scholæ etiam erant percelebres, in quas pueri latine scire cupientes è remotis totius Regni provinciis frequentissimi conveniebant. Huc igitur cum venisset Franciscus, statim spinosa illa grammaticæ rudimenta summa cum aviditate devorare cœpit: tantaque animi contentione usus est, et tam strenuam in addiscendis præceptis, iisdemque exercendis operam adhibuit, ut brevissimo undecim mensium spatio latinæ linguæ cognitionem sit adeptus. Id cum Superioribus innotuisset, ipsique facto periculo, sic habere probassent, cumque de honestis illius moribus, et præclaris animi dotibus certiores jam facti essent; solicitis ejusdem precibus annuendum esse censuerunt: itaque in Societatem admissus est Villægarsiæ die decima tertia Februarii ann. 1723.

Tirocinium ingressus, licet jam esset ætate provectus, tamen propter Deum repuerascere non erubuit: nec solum ad Societatis regulas acta, cogitataque sua componere studuit, sed minutiora etiam perfectionis consilia, quæ primæ illius institutionis maxime sunt propria, et in quibus tanquam exiguis seminibus, spes magnarum olim frugum includitur, diligenter observabat. Illa rerum humanarum despicientia, quam, cum adhuc in Curia degeret, animo inseverat, non parum hic adolevit, easque radices egit, ut in uberiores deinde fructus excreverit. Altero probationis anno, ut ibi mos obtinuit, in Seminarium se transferre jussus, ut literis humanioribus vacaret, eas sic adamavit, ut non solum hic impense fructuoseque co-

lue-

luerit , sed etiam cum severioribus disciplinis incumberet , multam in eis operam subsecivis horis collocaret : quo etiam tempore , ut copiosiorem purioremque de Græcorum fontibus eruditionem hauriret , eorum linguam didicit . Absolutis studiis, in quibus semper et ingenii , et doctrinæ laude excelluit , et tertia probatione peracta, in id sedulo incubuit , ut demandata sibi munera , quam accuratissime posset , expleret .

Vallisoleti primum , in Collegio Ambrosiano studiorum inferiorum Præfectus designatus, humanitatem, et rhetoricam docuit . Cum autem sciret, boni Præceptoris eas esse partes, ut discipulos cum cæteros quoslibet , tum maxime ætate adhuc teneros ad pietatem cum literis conjungendam excitet ; nihil eorum prætermittebat , quæ in eum possent finem conferre . Nam occasione vel ex opportunis Auctorum, quos prælegebat, sententiis nata, vel aliunde quæsita, pueros ad amorem virtutis, et vitii fugam frequenter incitabat : et, quod maximum , ac efficacissimum incitamenti genus est, idipsum quotidiano suo exemplo efficere nunquam destitit . Apprime circumspectus et gravis , in vultu , in incessu, in totius corporis habitu singularem modestiam præferebat : sed tamen ita gravis , ut comitatis æque memor, suavissimis unumquemque verbis alloqueretur : unde discipulorum amorem pariter, ac reverentiam sibi conciliabat. Tantaque inter illos de Magistri virtute invaluit opinio , ut eorum quidam de Præfecto studiorum , ut assolet, cum altero colloquens, pervagatam de illo existimationem his verbis expresserit : *Magister noster in corde Jesu habitare dicitur* . Quod non tam veluti a puero dictum , quam a majoribus in pueros derivatum, accipiendum est . Deinde Aristotelis philosophicos libros ibidem interpretatus est tanto ingenii acumine , tanta soliditate doctrinæ, ut et ipse præclari Philosophi nomen sit adeptus, et auditores magno scientiæ apparatu è sua schola instructos emiserit .

Demenso autem artium curriculo , cum jam ad altiora , ut moris erat , provehendus esse videretur, denuo rhetorica , et poetica tractare compulsus est . Cum enim Franciscus Rabagus, qui Provinciæ Castellanæ tunc præerat, præstantissimum aliquem inter subditos disquireret, quem Villamgarsiam in Seminarii Magistrum destinaret ; oculos in Atelam conjecit, qui tum

ob integritatem vitæ, tum ob politioris literaturæ copiam aptissimus sibi visus est, sub cujus disciplina Societatis adolescentibus et magna in literis fieret accessio, et de religiosæ perfectionis studio nihil decederet. Neque hoc gravissimi viri judicium, qui in dignoscendis ac dijudicandis cujusque dotibus sagacissimus erat, parum ad Atelæ pertinet commendationem. Is autem nihil habuit moræ, quin imperata perficeret, sed Villamgarsiam veniens, dum suæ non parcit operæ, omnes injuncti officii partes diligenter implevit. Illud in primis curavit, ut et sua docendi, et discipulorum discendi ratio ad communem Societatis studiorum rationem conformaretur. Deinde, ut juvenes singulorum verborum proprietatem, et continentis orationis venustatem ac elegantiam melius imbiberent, eos tantum prælegebat Auctores, in quibus incorruptæ latinitatis succus, et quasi sanguis continetur, hosque discipulis etiam in posterum maxime commendabat: erga illos vero, qui fucatam dicendi rationem, seu verius garrulitatem consectantur, despectionem, et odium inspirabat. Eumque industriæ suæ retulit fructum, ut literis humanioribus, deterso si quod eis adhæserat luto, magnus in Seminario Villagariensi nitor accesserit, qui deinceps ab hoc initio magis increbuit, indeque in alias etiam per universam Provinciam scholas emanavit. Denique, ut nullam amœnioris culturæ partem negligeret, rudimenta Græcæ linguæ, in qua jam ipse processerat, discipulis ibidem tradidit.

Inde Palentiam missus est, ubi Theologiam Scholasticam, et Moralem alternis annis explicuit, domesticis de re morali collationibus similiter præfuit, et eorum examini in Episcopi Curia semper interfuit, qui Sacerdotia peterent, aut pro confessionibus excipiendis essent probandi. His omnibus obeundis muneribus tantam perspicacis ingenii subtilitatem, tam divitem solidioris doctrinæ copiam ostendit, ut, quem ipse non quærebat, magnum omnium plausum, et acclamationem invenerit. Nec minore dicendi è suggestu laude præstitit, ad quod munus multa SS. Patrum lectione instructus accessit: quare Orator doctus, eloquens, ac singulari animarum zelo præditus apud gravissimos quosque semper audivit. Ex iis Illustrissimus quidam Episcopus, inter Hispaniæ Præsules præclaris dotibus commendatissimus, cum de paræneticis quibusdam orationibus,

quas

quas Atela ad Virgines Deo votas habuerat, aliquid inaudisset, illas videndi desiderio captus est: quas cum legisset, ita probavit, ut eas sibi habere omnino voluerit. Ardentis ejus pro salute animarum studii, et fundatissimæ doctrinæ fama, cum longe ultra Palentinos fines excurreret, molestam illi per id tempus, et negotii plenam attulit occupationem. Infelix quædam femina Religiosa multum, quæ humana est infirmitas, de officio decesserat, et Palentiam ad quoddam Virginum Cœnobium est amandata. Hujus curam Supremus fidei Quæsitor Francisco Atelæ commisit, qui magnæ caritatis officia diu erga illam exhibuit, confessionibus ejus excipiendis, instructionibus, et consolationibus adhibendis. Quæ dum exequitur, non caritatis modo, sed patientiæ quoque præclara edidit documenta. Cum enim ad Cœnobium, ut jussa perageret, statis diebus accedebat; vel diutius expectandum, dum sibi aditus ad Religiosæ cellam pateret, unde ipsa pedem efferre ob nervorum contractionem non poterat; vel illiberaliter ab illis excipiebatur, quibus ingrata erat Atelæ ad id muneris designatio. At ipse nihil hæc pensi habens, molestias quaslibet imperturbato lætoque animo devorabat, dum feminam in rectam, a qua declinaverat, viam revocaret, revocatam in eadem confirmaret: in quo sane non inutilem operam collocavit.

Docendi munere perfunctum, cum Superiores aptissimum eum judicarent ad religiosam disciplinam promovendam, aliorum regimini destinarunt. Ac primum eidem Palentino Collegio præesse jussus est: ubi licet suam ad omnes curam extenderet, præcipua quadam solicitudine in Societatis juvenes intendebat, qui recens e tirocinio digressi, illuc ad Philosophiam addiscendam commigrabant. Memini ( quippe unus eorum ipse fui ) quam ardentes faces et universis, et singulis admoveret, ut in studia literarum omni ope, atque opere incumberent, simulque nervos omnes contenderent, ne quid propterea de Christianæ Philosophiæ perfectione remitterent. Eos aliquando in privatum Sacellum evocatos ad solidarum virtutum amorem ferventi exhortatione incitabat: frequentius eorumdem colloquiis, à prandio, et à cœna haberi solitis, intererat: ibique suavissimis verbis, opportunisque exemplis ex historia præsertim domestica desumptis, quales Societatis Scholastici esse deberent,

quasi

quasi aliud agens, admonebat. Deinde Patribus, qui Vallisoleti in tertia probatione exercebantur, Instructor datus est; quod munus virum exigebat, qualis erat Atela, scientia morali, et mystica præstantem, et in omnibus Instituti nostri partibus apprime versatum. Paucis post annis Collegium Pompelonense administravit, in quo etiam religiosæ perfectionis, et literarum studium, assiduamque in spiritualibus ministeriis operam multum promovit. Ubique autem, ut ab omnibus sibi subditis sedulam domesticæ disciplinæ custodiam exigebat, ita etiam eorumdem commodis attente invigilabat, atque, ut erat magno excelsoque animo, liberaliter providebat. Cujus rei hoc unum proferam argumentum. Postquam Palentini Collegii renuntiatus est Rector, de constituenda suburbana Villa cogitavit, in quam Philosophi nostri feriatis à schola diebus relaxandi animi causa concederent. Multæ, nec leves huic operi perficiendo difficultates intercedebant, quæ minus constantem animum ab incepto deterruissent. Nec deerant, qui Collegium ære jam alieno gravatum, exædificatione illa magis obærandnm fore timerent. Sed Rector, spe illa fretus, quæ nunquam confundit; et exemplo sibi proposito sanctissimi Fundatoris Ignatii, qui in magnis etiam rei familiaris angustiis idem Romæ, atque in eundem finem effecit; quod jam inierat consilium, urgere perrexit. Itaque pecunia ab amicis, et notis corrogata, vineam cum adjuncto agro coemit, quam solido muro cinxit: in ea domum, et Sacellum extruxit: pomariumque pulcherrimum plantavit, multis feracium, ac diversarum arborum ordinibus distinctum. Quæ omnia tam solicite properavit, ut paucis post mensibus Philosophi in eam Villam consuetis vacationum diebus divertere potuerint; cum ante id tempus precaria in eum finem domo uterentur, quæ perincommoda erat, et cujus aditu externis hominibus non poterat interdici.

Sed quanquam splendore doctrinæ, et prudentiæ laude, quarum in docendi, et gubernandi munere singulare specimen dedit, magnam de se Franciscus opinionem concitavit; in reliquis tamen ministeriis, quæ ad spiritualem animorum culturam maxime pertinent, nihilo minus commendabilem se præbuit. Dum scientiis docendis incumbebat, cui operi bonam vitæ suæ partem impendit, mirabantur plerique, tantum tem-

po-

poris ad juvandos in spiritu proximos homini superesse, quantum alii, ab literariis occupationibus liberi, invenire vix possent. Sed cum esset ingenio, ac doctrina præstantissimus, et in agendo navus et impiger; cum item otio desidi nihil concederet, quieti vero et honestæ recreationi non parum detraheret; discipulis quidem nulla in re deerat, aliis autem, ipsius opera uti volentibus, se se liberalissime commodabat. Itaque non modo confessionibus excipiendis, et habendis concionibus, sed visitandis etiam carceribus, et nosocomiis, interdum quoque sacris expeditionibus in circumjecta oppida obeundis omnes hominum ordines in via salutis adjuvabat. Postquam vero magisterii et gubernationis curis fuit expeditus, Pompelone Palentiam regressus, ibidem emendandis civium moribus, ac pietati fovendæ ad ultimam fere vitæ clausulam indefesse adlaboravit. Ibi, præter Congregationem, quam Bonæ mortis appellant, alteram etiam ei Superiores commiserunt, quæ Schola Mariana dicitur. Hanc magno populorum commodo sub initium hujus seculi erexit P. Hieronymus Dutarius, qui è literaria palæstra, in qua magno sapientium plausu versabatur, ad evangelizandum pauperibus prosiliens, plurimas Hispaniæ urbes sacris Missionibus lustravit, et Compostellæ felici, sed præcoci morte correptus est anno 1717, ætatis suæ 47. Quicunque suum illi Scholæ nomen dedisset, intra breve, ac definitum temporis spatium et testamentum condere, et generalem anteactæ vitæ confessionem facere tenebatur: scenicis actibus, taurorumque agitandorum spectaculis interesse, severe omnibus interdictum: aliisque id genus consiliis dirigebantur, quæ ad minuendum peccati fomitem, et virtutis augendum studium valebant quamplurimum. In eam nobilissimi Equites, gravissimi Sacerdotes, atque adeo Illustrissimi Episcopi adscribi petebant: nec tamen cæteri è plebe homines excludebantur, ut latius optimæ institutionis fructus effunderetur, qui sane uberrimus erat in ejus Scholæ alumnis, eumque ad ipsorum etiam domesticos, atque ad alios bene multos iidem derivabant. Neque solum in Societatis Collegiis, sed alibi etiam constituta erat Schola Mariana, ut Virovescæ, Secontiæ, Tydes, et Ponte Reginæ: quo plerumque aliquis è propinqui Collegii Patribus quotannis accedebat, ut Scholæ alumnis per spiritualia exercitia novas

vas

vas adderet vires, ad Christiana officia perfectius adimplenda, et specialem Deiparæ Virgini cultum exhibendum.

His ergo Marianis Sodalibus, qui Palentiæ peramplum ac pulcherrimum pro ipsorum functionibus Sacellum excitaverant, cum præfectus fuisset Atela, omnes industriæ suæ vires eo contulit, ut ipsi ad piæ Sodalitatis regulas vitam suam componerent, et in virtutes uniuscujusque statui maxime proprias diligentissime incumberent. Nec parvum operæ suæ fructum referebat: nam Sodales illi, etsi conditione dispares, omnes tamen humilitatis, ac pietatis officia pari studio intra Scholam obibant, et extra illam modestia, et honestate morum inter reliquos cives facile dignoscebantur. Cum autem exercitiis S. Ignatii singulis annis, juxta instituti sui normam per octo dierum spatium vacabant, tunc enimvero ardens Patris Atelæ zelus emicabat. Ut enim spirituali eorum saluti majorem in modum consuleret, ipse suæ valetudinis curam negligebat: et in proponendis meditationibus, habendisque hortationibus, et instructionibus adeo laborabat impense, ut vires eum pene deficerent, opusque haberet interdum supra lectum tantisper decumbere, ut lassum defatigatione corpus reficeret; unde ad suos novo impetu, novoque conatu redibat. Atque his S. Ignatii exercitationibus non modo Marianæ Scholæ discipulos excoluit, sed multi etiam alii ejus opera inducti sunt, ut hoc præsentissimo remedio ad purgandos, et confirmandos in virtute animos uterentur. Unde longo annorum tractu quinquies quotannis, vel eo etiam amplius illa exercitia diversis auditorum classibus meditanda proposuit. Nam præter Scholæ Marianæ alumnos, et viri, et feminæ, et Scholastici Palentini, singuli eorum ordines singulis hebdomadis, magna frequentia in ædem nostram accurrebant, ubi sub Atelæ directione sacris commentationibus exercebantur, indeque in sua tecta multis onusti donis cœlestibus discedebant. Præterea, cum Illustrissimus Episcopus Andreas Bustamantius optime nosset Atelæ in hoc spiritualium armorum genere tractando dexteritatem, quotquot sacris erant Ordinibus initiandi, per plurimos annos ad eum sæpe remisit, ut prius sub illius ductu his exercitiis operam darent. Hi autem, dum consuetum Ordinationum tempus appetebat, magnis copiis Palentiam adventabant, eisdem-

que

que in Sacello Marianæ Scholæ congregatis P. Franciscus non modo prioris hebdomadæ meditationes gravissima dictione exponebat, sed multa etiam alia pertractabat, quæ Sacerdotii candidatis maxime convenirent.

Quod autem in his, aliisque publicis exhortationibus, et privatis etiam consiliis seminabat, postmodum copiose demetebat, cum ad confessiones audiendas pro sacro tribunali sederet. In quo sane ministerio illud magnam partem visus est obtinuisse, quod olim a Deo enixe fuerat deprecatus. Jam enim ab anno hujus seculi quadragesimo quarto, ut ex commentariolo autographo constat, quod ipse proprio sanguine, annuente Superiore, obsignavit, magna sibi bona cœlestia, et Spiritus Sancti dona flagrantissimis votis optabat, eademque a Deo, meritis Beatissimæ Virginis interpositis, instantissime deposcebat, ut heroica scilicet virtutum opera exequeretur. Ibi ergo inter alia multa, quæ humillime rogat: „ Peto, inquit, „ nulli unquam in tota vita mea præesse, nisi illis duntaxat „ animabus, quas in ministerio audiendi confessiones, vel gu- „ bernandi, et dirigendi ad cœlum animas, Sacerdotalis ju- „ risdictio, et potestas sibi subjectas necessario agnoscit: a quo „ Præsulatu tam longe sum ut abhorream, ut potius petam „ plurimos mihi ejusmodi gubernandos assumere, hosque ma- „ xime pauperes, despectos, infirmos, afflictos, et quotquot „ ob aliquam specialem necessitatem mea opera indigeant „. Hæ preces, Apostolico viro dignæ, non irritæ cecidere: nam plurimi utriusque sexus, omnium ordinum, omniumque ætatum illum conscientiæ suæ arbitrum quæsierunt: multos, qui carcere, aut infirmitate detinebantur, ipse libenter conveniebat: plures etiam Sacras Virgines vel præsens voce, vel absens scriptis literis ad singulare virtutis studium inflammavit. Ut autem in hoc spirituali magisterio rectum teneret iter, et scopulos declinaret, in quos vel discipuli, vel ipsi etiam Magistri nonnunquam miserabiliter impegerunt, multam non morali modo, sed mysticæ quoque Theologiæ operam dedit. Nam præter alios Ascetas, tres illos celebres Ludovicos Granatensem, a Ponte, et a Palma; Godinium item, Jacobum Alvarum, et Regueram non tantum legerat, sed pene etiam imbiberat, eorumque compendia sibi comparaverat, ut ipsorum

præcepta, cum usus esset, haberet in promptu. His adjutus præsidiis, adhibitoque frequenti ad Patrem luminum recursu, plures animas, quæ se ejus directioni permiserant, ad eminentem perfectionis gradum evexit. Quas inter ejusdem Francisci sororem commemorare non desinam, quæ in Lermensi Monasterio religiosam professa vitam, optimi fratris consiliis, quocum epistolare commercium inierat, tam innocentis, et austeræ vitæ genus instituit, idque tam perseveranter, et humiliter tenuit, ut Deus illam multis, extraordinariisque donis cœlestibus cumulaverit.

Hi autem ex ordine secularium, qui frequenter ad eum, ut conscientiam deponerent, accedebant, non satis habebat ipse, si letales vitarent noxas, sed ad leves etiam cavendas, et ad virtutem sedulo consectandam inducebat. In quo tam fructuosus fuit ejus labor, ut is, qui illorum confessiones interdum excepit, absente videlicet, vel ægrotante Francisco, integerrimos eorum mores, et in æterna salute procuranda solertiam magnopere admiraretur. In iis erat innupta quædam femina, ad quam in spirituali via sine offensione dirigendam magna discretione ac prudentia, nec minore doctrina opus erat. Nam Deus hinc singularibus illam gratiis dignabatur; inde vero Dæmoni tantam adversus eam potestatem permiserat, ut (quod B. Eustochio Patavinæ, aliisque sanctissimis feminis, ac viris evenisse, gravissimi Scriptores hominum memoriæ prodidere) ipsam multis annis obsederit, atque miserandum in modum vexaverit. Sæpe enim eam aut in puteum præcipitem dabat, aut sublimem e trabibus suspendebat: nunc in longinqua, et prærupta loca brevissimo tempore deportabat, indeque citissime reducebat: nunc domi, marmoream veluti statuam, tanto pondere sistebat immotam, atque rigentem, ut illam dimovere loco, aut ejus saltem inflectere digitum robustissimi quique non possent: denique frequenter eam crudelissime diverberabat, dirisque torquebat modis, omnium scilicet distractione membrorum, tanto cum crepitantium ossium stridore, ut adstantibus horrorem pariter, et commiserationem incuteret.

Sed in his Diabolicis machinis dissolvendis ostendere voluisse videtur Deus, quantum P. Francisco dominium adver-

sus

sus Satanam concessisset: aut illud certe significatum, testatumque mortalibus voluit, quam efficax nempe sit animarum ducis imperium, ad clientes suos e Dæmonum fraudibus, et insultibus liberandos. Nam quoties illa pia æque ac miseranda femina prædictis Diaboli insectationibus premebatur; missa ad illam schedula, cui solum Atelæ nomen esset inscriptum, aut hujus etiam mandato per internuntium misso, ut e loco recederet, cui erat affixa; statim tenebrionis miseri artes, et machinationes omnes in fumos abibant: ipseque vel abscedebat omnino, vel liberam saltem relinquebat, et expeditam feminam, quæ hos plerumque conflictus ingeminandis suavissimis Jesu ac Mariæ nominibus, aut alia quapiam pia exclamatione finiebat. Quoniam vero multoties haud ita facile internosceres, an mulier sponte sua, anne malignus hostis per ipsam quædam et loqueretur, et ageret; Franciscus pro ea, qua pollebat sagacitate ac prudentia, illius dicta factaque attentissime dispiciebat, omniaque ad sanctissimæ doctrinæ canones, et spiritualium Magistrorum regulas expendebat. Et postquam, rebus mature perpensis, opportunisque factis periculis invenit, mulierem, etsi a maligno spiritu obsessam ac divexatam, interius tamen Spiritu Dei agi, proculque ab omni fictionis labe paratam mentem habere ad cœlestes satus excipiendos et confovendos; tunc omnem suam industriam ad illam excolendam et perficiendam adhibuit. Ipsa vero diligenti culturæ, ac divinis influxibus ita respondit, ut copiosum ediderit fructum vitæ non innocentis modo, sed pietatis etiam operibus plenæ, et christianis ornatæ virtutibus, inter quas illa eminebat, quam Macarius veri Christiani, alii Electorum propriam esse notam affirmant, humilitas nempe singularis: unde apud plerosque civium mulieris sanctæ famam obtinuit.

Atque hæc ego fusiore forsan calamo propterea persequor, non quod mulieris, quantumvis piæ, laudes texere decreverim; sed quia Francisco nostro prudentiæ, et industriæ, necnon discretionis spirituum laudem, quæ nonnihil inde detrita est, asserendam fuisse censuerim: tum etiam eo vel maxime, quod ex hujus occasione feminæ dirigendæ, Deus eidem Francisco, licet jam sponte currenti, majus tamen ad perfectionem incitamentum adjecerit. Neque enim novum est, aut insuetum,

ut cœlestis Pater, qui nonnumquam revelat parvulis, quæ abscondita sunt a sapientibus, hos etiam per illos aliquando instructos et admonitos velit. Prædicta igitur mulier, quæ scribere nunquam didicerat, sed Confessarii jussu literas eatenus depingebat, quantum sat erat, ut caperentur, epistolam ad Atelam dedit, quæ magnos huic ad virtutem animos addidit, ut mox dicam. Hic autem mulieris epistolam latine subjiciam, additis tantum interpunctionibus, quæ in autographo Hispano non extant.

„Gratia Domini nostri nobis adsit, dilectissime in Chris„to Pater. Tuam in spiritualibus progressionem quam vehe„menter cupiam, haud equidem possim verbis exprimere. Si „efficere possem, ut ipse in omnibus Angelus esses, æque ni„mirum in cogitationibus, ac verbis, et operationibus tuis; „vel ut solam ossium coagmentationem haberes, cætera purus „fores spiritus; novit utique Dominus, id me quovis etiam „durissimo pacto effecturam. Cum autem intimam tui cum Chris„to unionem tantopere aveam, hæc tibi, quæ jam dico, pro„ponenda censui. Humilis esto, silentii studiosus, tecum ip„so in secreto cordis habitans, omnia hominum colloquia va„na declinans, cum assidua mentis in Deum elevatione, cum „profunda demissione ac reverentia, piaque ac solicita inten„tione divini Servatoris nostri glorificandi. Conare, quantum „poteris, ut emundatam conscientiam habeas per humilem con„fessionem, cum firmo emendationis proposito, magnaque de„testatione, et ingenti dolore peccatorum omnium, exposi„tis coram Deo universis ærumnis, et perturbationibus animi, „ut ipse, quippe tam potens Rex, divini sui amoris radium „emittat, quo eas mitiget, omnesque fallaces concupisentiæ mo„tus contineantur. Sensus item externos pariter, et internos „caute custodias, ut ne rebus vanis inhæreas: magnam quip„pe perniciem incurret, quisquis inanibus phantasmatis immo„retur: inde enim facile inclinabimus ad viliora, unde pro„fectus nostri jacturam faciemus, et iratis ab Deo oculis as„piciemur. Cor tuum assidue lugeat, et sensus tanquam emor„tui sint ad risum. Esto diligens, nunquamque desidiosus in Dei „servitio: nullius rei cupidus, nisi solius Dei gloriæ, et pro „gloria Dei paratus ad quælibet toleranda. Præcipue vero dum

„sac-

„ sacris operaberis, divinumque persolves officium, omnem „ aliam curam à te procul abigas, et cor tuum in utraque „ functione Salvatoris Cordi copuletur, omni excusso torpo„ re ac desidia: et quanquam in reliquis etiam precibus, piis„ que exercitiis eodem te modo geras, oportet, singulari ta„ men studio in duobus prædictis istuc efficies: et ubique te „ Domino offeras, ejusque Divinæ voluntati committas, ut „ tanquam moderator omnium, quæ in te sunt, de iis pro „ arbitrio suo et nunc, et in ævum omne decernat. Hæc om„ nia et alia, quæ egomet, ut sum adeo inepta, plane non „ capio, Deus à te requirit. Id tibi demum edico, Deum „ cor tuum exigere: absit itaque, ut per nos unquam stet, „ quominus illud sibi præbeamus: quin potius in medio Cor„ de ipsius nostra itidem corda sistamus, ut omnes istorum „ labes ipse, utpote flagrantissimus ignis, absumat in flammis „ caritatis erga peccatores fratres nostros, et in flammis timo„ ris, ne unquam ab eo, quod sibi placitum fuerit, deficia„ mus, atque levissimorum quorumcunque defectuum vel um„ bram ipsam à nobis propulsemus; in flammis denique amo„ ris, quæ sunt videlicet pennæ, quibus simplicium adinstar „ columbarum ad eminentem mysteriorum Dei contemplatio„ nem evolemus: quæ omnia à tam benigno Domino ita pror„ sus expecto. „

Has literas Franciscus, cum esset humilis, adeoque à quolibet etiam inferiore doceri paratus, et insuper in virtutibus proficiendi avidissimus, tanquam à Deo mitterentur, accepit: eisque perlectis, ad ipsarum calcem hæc inter alia subjunxit: „ Vellem equidem modo creaturarum omnium, quæ „ te, Domine, venerari noverunt, vires et facultates unus „ ego continere universas, ut earumdem singulas adorationes „ et obsequia in unum cuncta conflarem, eorumque quasi suc„ cum ab omni admixtione secretum tibi tanquam tantillum „ munusculum devoverem: nam revera minuta sunt omnia co„ ram te, o immensurabilis et infinita Majestas! sed minutias „ nostras ipse aliquo in pretio habere, in eisque tibi compla„ cere consuevisti; cum utique scias, nos plura, potiorave præs„ tare non posse. Sed et cum minora quam pro viribus agi„ mus, quod malum, aut imperfectum sit, solitus es miseri-

„ cor-

„ corditer diſsimulare, et quæ propius à perfectione absunt, „ paterna clementia et amore secernere, ut ea remunereris. „ Ego vero quam ad me mittis instructionem, quanta maxima „ possum reverentia suscipio. Tuum ipsius Cor immortales ti- „ bi pro tanto dono gratias habeat: Sanctissima Mater tua, „ et qui tuus putabatur Pater, eas tibi pariter agant: Sanctus „ item Michael, meusque S. P. Ignatius, et quotquot An- „ geli, Sancti, ac Justi precibus suis, ut hanc ad me hor- „ tationem dirigeres, effecerunt, grates tibi referant universi. „ Tu autem, liberalissime Donator, et Rex munificentissime, „ uberem et cumulatissimam gratiam mihi dona, ut quæcun- „ que misericorditer imperas, ipse perficiam. O si peccato- „ rum meorum penitus obliviscerere! O si me tandem è servitu- „ te mearum affectionum eximeres! O utinam me humilem „ efficias, mansuetum, caritate flagrantem, silentii studiosum, „ patientem, castum instar Angeli, sine macula vel umbra, „ quæ ne involuntarie quidem abhorreat ab Angelica ista vir- „ tute, quæ in pectore tuo adeo in honore est. Ipse quidem „ profiteor, me tuum esse, tuæque voluntati me totum per- „ mittere, ut mecum agas, prout tibi libitum fuerit: tantum- „ modo ita omnia disponas, ut tibi semper ego placeam, „ measque cogitationes, et consilia omnia ad gloriam tuam, et „ animarum commoda unice dirigam. Cœlum ac terram tes- „ tor, ita me velle; tibique omnibus animi mei viribus ita „ confirmo. Ipsa die Apparitionis S. Michaelis 1746. Opus „ manuum tuarum, tibi devotum = Franciscus Christi Cru- „ cifixi „.

Hæc nimirum erat aviditas, ardensque studium, quo Franciscus suæ perfectioni inhiabat: hoc vehemens virtutum omnium desiderium, et laudabilis sane conatus, quo illas à Deo exposcebat. Cum autem initium sapientiæ, quæ ipsa virtus est, verissima sit disciplinæ concupiscentia, non temere quivis inde conjecerit, multum in virtutibus profecisse, qui eas et tam ardenter ambiebat, et tam enixe à Domino efflagitabat. Nec facile profecto fuisset, in excolendis perficiendisque aliis, quod hactenus diximus, adeo strenuam, assiduam, fructuosamque operam collocasse, nisi foret ipse sui perficiendi studiosus, et quotidianæ in virtutibus progressionis valde

de solicitus. De illius ergo virtutibus, quanquam non pauca sparsim jam indicavi, singillatim modo dicturus, eos in primis proferam testes, qui Franciscum intime noverunt: duos præsertim maxime incorruptos, quorum altero Franciscus, dum vixit, familiarissime usus est: alter Francisco per aliquot annos, eosque vitæ ipsius postremos, à sacris confessionibus fuit. Deinde, quod maximum ad faciendam fidem pondus habere debet, ex ejusdem Francisci commentariis haud pauca depromam. Ipse enim, attentos pietatis cultores imitatus, animi sui sensa, pia vota, præcipuaque Deo ferventius inserviendi proposita sæpe in scriptis referebat, cum ne illa memoria exciderent, tum etiam ut vigilantiam excitaret, siquidem perscribendi solicitudo studium augere solet observandi. Hæc autem scripta (quæ fors fortuna servavit, cum innumera alia et in communi illo præproperæ expulsionis naufragio, et in itinere Italico interierint) pleraque subscripta sunt proprio ipsius Francisci sanguine, quem ipse, inflicto sibi vulnere Superiorum permissu, è pectore eliciebat. Hispano idiomate conscripta sunt omnia, uno dempto latino, quod cæteris aliquanto est spissius: omniaque dignissima plane sunt, quæ integra excriberentur, cum suavissimos pietatis sensus erga Deum ac Sanctos, demississimam sui opinionem, infatigabilem juvandi proximos animum, et insatiabilem sitim propius ad Deum per crucem accedendi undique spirent. In fusiore gestorum ejus narratione locum obtinere poterunt non importunum: hic autem ego has veluti tabulas interdum exhibebo, ut ea confirmem, quæ de illius virtutibus jam dicam.

Imaginandi facultatem nobilissimam nactus erat Franciscus, qui hoc naturæ dono mirifice adjutus est, ad fidei supernaturalis perfectionem et vigorem augendum. In quæ enim objecta imaginationis suæ vim ipse dirigeret, illa non aspiciebat modo, sed penitus introspiciebat, et quasi manibus contrectabat. Cum autem, ratione duce, ipsaque fide magistra, phantasiam ille suam non solum à noxiis severe compesceret, sed ab inutilibus etiam rebus continere satageret, in altissimas fidei nostræ veritates, gravissimaque Religionis principia suas frequentissime cogitationes intendebat. Atque illa quidem non tantum firmissima mentis adhæsione credebat, sed attenta insu-

su-

super longaque meditatione contemplabatur. Indeque fiebat, ut de Deo, Deique operibus cum familiaribus colloqui in deliciis haberet: quibus in colloquiis tam alte nonnunquam rebus immergebatur divinis, ut pene extra se rapi videretur. Sæpius his in collocutionibus accidit, ut abrupto sermone, tacitus et immotus diu consisteret, eo tantum statuæ dissimilis, quod facies ejus alterna mutabatur variatione coloris, nunc rubei tanquam ignis, nunc adinstar ceræ subpallidi, juxta diversum scilicet flammæ illius accessum, sive recessum, à qua ipse agitabatur interne: eamque sanctam commotionem placidissimæ ut plurimum excipiebant lacrymæ, suavissimæque et iteratæ JESU, et MARIÆ invocationes. Etiam in vulgaribus vitæ socialis actionibus, Deum fide præsentem intueri ac revereri, ex modesta vultus, totiusque corporis compositione indicabat. In sanctioribus vero, præsertimque dum divinam offerret Hostiam, in qua offerenda horæ fere dodrantem impendebat, non facile dictu est, quantam gravitatem ac reverentiam exhiberet, cum etiam in adstantibus eam ipse excitaret. Cum autem Deum è cœlo sacerrimis verbis jam jam erat evocaturus, deincepsque dum præsentem in ara contuebatur, sacro quodam horrore ita corripiebatur, ut exterius quoque tremore concuti animadverterent, qui ei sacrificanti ministrabant: quod omnes vividæ illius fidei, summæquæ reverentiæ tribuebant. Peractoque sacrificio, ægre ferebat à colloquiis et amplexibus inhabitantis in se Dei vel tantillum impediri.

Excellens hoc fidei donum magnis ille precibus exoraverat, quippe in commentario illo latino, de quo supra meminimus, ita Deum per Virginem Matrem jam olim deprecabatur: „Peto fidem magnam, et pro ea confirmanda intelligen„tiam sacrarum Scripturarum, ut ab Ecclesia Catholica Apos„tolica Romana intelliguntur: et præterea humillimam sub„jectionem, piamque et intimam affectionem ad credendum „omnia omnino revelata, et ab Ecclesia sancta proposita, ea „nimirum amplectendo non solum humiliter, sed etiam de„vote, et amanter: ac proinde ex hac hora pro tota vita „mea, et maxime pro supremo articulo mortis profiteor om„nes articulos Symboli Apostolorum, et Athanasii, et quid-

„quid

„ quid præterea vel continetur in Scripturis Sanctis, vel de-
„ finivit Ecclesia super omnem, et super quamlibet in parti-
„ culari materiam, vel punctum, quod sive ad fidem, sive
„ ad mores juxta ejusdem Ecclesiæ sensum quoquomodo per-
„ tinere videatur. Detestorque, et abominor omnes omnino
„ errores, hæreses, schismata, et quidquid ab Ecclesiæ regu-
„ la, quæ firmamentum est, et columna veritatis, quovis pac-
„ to vel latum unguem discedere videatur. „ Hoc modo in fide fundatus, et stabilis, ita crevit in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, ut in hoc mundo nihil optaret ardentius, quam ut publicum suæ fidei testimonium Deo, Angelis, et hominibus exhiberet per acerbissimum, et immane martyrium. Id ille sæpius testatus est familiarissimo suo; sed tam asseveranter, ac serio, ut sanguis, inter affirmandum, ad oculos, et genas, totamque faciem copiosius accurreret, quasi jam effundi gestiret.

Spem fidei supparem a Deo perenni bonorum omnium fonte obtinuisse Franciscum, vel inde tantum conjiceres, quod animum ad egregia paratum, ab omnique inani formidine vacuum gerebat. Nimirum in eo factis expressum vidisses, quod S. Ignatius suis optabat in filiis: *ut se ipsi vincerent, timoresque ab sese omnes abjicerent, qui Dei fiduciam minuerent, impedirentque quominus spem omnem in uno Deo reponerent, ac locarent.* (Hist. Soc. p. I. l. 9.) Hoc præclarum consilium Franciscus sæpius in actionem deduxit. Dum Collegium regeret Palentinum, Villam, ut in loco significavi, a fundamentis extruxit, aliaque ad templi nitorem augendum, quæ mox dicam, effecit; cum annuis Collegium illud reditibus tam modicis uteretur, ut alendis Sociis vix unquam sufficerent. At Franciscus, cui pectus erat fiduciæ plenum, divinæ providentiæ thesauris confisus, quæ animo designaverat, eadem porro urgere non destitit. Nec tamen unquam propterea sibi subditos minus liberaliter habuit: nam siquid interdum de Collegii arca in eos sumptus distraxerat, mox de largitionibus amicorum, quos multos et opibus, et dignitate præstantes sibi conciliaverat, reponenda curavit. Cum autem divinam largitatem humanis, ac perituris in rebus tam prolixe beneficam experiretur, magnas inde spes ejus vires accepit, ut in spiritualibus

maxime sibi adfuturam esse confideret; cum ut ipse proficeret, tum etiam ut eos, quos in eisdem promovendos susceperat, recte dirigeret. Quidam e subditis, nescio quid rerum suarum consulturus, ad Franciscum accessit: is autem, auditis quæ proposita sibi fuerant, sacrum codicem arripit, ubi sors tulit, aperit, legit: paucisque lectis versiculis, subditus, quod sibi in præsentia maxime opportunum erat, accepit.

Ipse vero Franciscus cœlestia, et æterna bona, quæ Deus fidelibus servis daturum esse recepit, ut ardenter desiderabat, ita etiam sperabat fidenter, de iisdemque frequentissima, et suavissima intermiscebat colloquia. Omnes sensuum voluptates, quantumlibet innocentes sint et honestæ, omnia terrena solatia, quidquid denique in hac rerum universitate dulce, ac jucundum est, dum ad liquidissima supernæ patriæ gaudia conferret (conferebat autem sæpissime) omnia, inquam, veluti puerilia oblectamenta, seu verius tanquam stercora reputabat. Frequenter proinde cum S. P. Ignatio solitus erat exclamare: Heu! quam sordet terra, dum Cœlum aspicio! In publicis ejus ad populum orationibus, quæ vel totæ de hoc erant argumento, vel saltem illud obiter attingebant, in alium mutari virum, seque ipsum excedere videbatur. Non raro tamen, licet singulari præditum eloquentia, verba illum deficiebant, ut auditoribus omnia significaret, quæ ipse de felicissima Beatorum sede, immensoque illo deliciarum pelago cogitatione comprehenderat. Multus fuit in evolvendis operibus, quæ sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur: et in eorum Auctorem præcipuo quodam ferebatur affectu, propterea quod de Deo, ac divinis magnifice loquitur, illiusque stilum eo de nomine adamabat, quod animum suum intime pervaderet, optimeque cum ipsius loquendi ratione congrueret: unde etiam ipse de Deo et altissime sentire, et optime sperare, non parum ex ea lectione didicerat.

Non ideo tamen spes illius impugnationibus caruit; quin potius ipse in adversariis suis fatetur interdum, magno se timore concuti, dum ea, quæ sibi a Deo objicienda essent, reputabat; postremasque Dæmonis oppugnationes in suæ mortis articulo valde expavescere. Sed in his animi dimicationibus, assumens scutum fidei, in eo omnia tela nequissimi ignea ex-

tin-

tinguebat, sicque spem suam servabat illæsam. Nempe ad infinita Redemptoris nostri merita, et immensam ejus clementiam recurrebat, cujus ad conspectum mala eum merita non amplius deterrebant. Id suis Francisci verbis, quibus hinc vilitatem suam, inde Dei misericordiam exaggerat, melius explicabo. Sic enim suis in codicillis scribit: „ Et quoniam cœ-
„ lestes Spiritus illi mundissimi, et purissimi admirentur, et
„ stupeant necesse est, si me viderint cœlos introeuntem, age,
„ Salvator humanissime, ostenta Redemptionem tuam, et
„ da novam gloriam Spiritibus illis beatissimis, novamque oc-
„ casionem laudandi, et magnificandi inexhaustas et incom-
„ prehensibiles divitias misericordiæ tuæ, in salvando me, om-
„ nium utique impiorum impiissimo, sordidorum sordidissimo,
„ et perditorum perditissimo. Sic fiet, ut me ad conspectum
„ tuum in cœlorum sublimia deducto, resonet illa cœlestis
„ Aula novo cantico celebrante magnitudinem Redemptionis
„ tuæ, et miserationum tuarum inenarrabilium, quæ sunt pro-
„ fecto super omnia opera tua. „ Tam ingeniosa est humilis in Deo fiducia, ut unde maxime timere quis posset, majus inde sperandi argumentum desumat.

Jam caritatem illius erga Deum ex iis, quæ in proximos propter Deum effecit, satisque in superioribus indicavi, nemo non agnoverit. Sed quoniam fieri profecto potest, ut cum quis aliis prædicaverit (quod vel ipse Gentium Apostolus pertimescebat) reprobus nihilominus efficiatur; non satis habebat Franciscus, si quam plurimos ad Deum prædicatione sua, aliisque Apostolicis ministeriis adduceret, nisi se ipse Deo, quam intime posset, conjungeret. Quam ut assequeretur conjunctionem, ea cavere solicite studuit, quæ illi quomodolibet adversantur, iisque pari solicitudine insistere, quæ ad eandem conflandam maxime juvant. Etenim viginti minimum ante obitum annis ex firmissima animi sententia proposuit (istudque propositum suo sanguine obsignatum testatumque voluit) Deo unice vivere, assiduaque vigilantia in eo inserviendo excubare: omnia item oblectamenta sibi denegare, quæ Dei voluntati consentanea non esse dignosceret, eumque præ anima, et vita sua diligere. Quam vero diligens in his adimplendis propositis fuerit, quantumque inde profecerit, ex eo manifeste colligitur,

 quod

quod paucis post menſibus non jam propoſito, ſed concepto voto ad ea ſe obſtrinxit, quæ magnam viri perfectionem, magnamque in Deum caritatem oſtendunt. Hoc Franciſci votum cum procemio, quod ipſe voto præmiſit, quamvis longiuſculum ſit, hic juvat exſcribere: ſic enim, credo, melius apparebit, quanto Dei amore flagraret, quantoque peccati dolore tabeſceret.

„ Altiſſime Rex, inquit, ſupreme, et immortalis ſeculorum „ Imperator, rerum omnium Creator omnipotens, Salvator Angelosum, hominumque Redemptor, Electorum Glorificator, „ juſtuſque vivorum, et mortuorum Judex! pulcherrimus utique, et amabilis es ſuper omnem modum, cunctaſque creatas „ excedis unus pulchritudines: quæ quidem omnes ad te adumbrata quædam lineamenta ſunt, leniterque preſſa veſtigia, ex „ te tanquam exemplari, aut imagine ſubſtantiali tui Patris exorta. O prima totius pulchritudinis idea, et exemplar! Ego te „ adoro, non prout dignus es: quæ enim adorationes arcanæ, „ ineffabili, et pluſquam supremæ Majeſtati tuæ non debentur? „ certus equidem ſum, cuncta Beatorum obſequia eouſque non „ attigiſſe. Verumtamen ego te, quantum eniti poſſum, adoro: „ et quidem, quod ad voluntatem, et intimum mei cordis affectum attinet, iis omnibus adorationibus, quæ tibi ab orbe condito exhibitæ ſunt, atque per interminatam æternitatem ſunt „ exhibendæ. Totis animi mei viribus odi, et execror non modo quidquid honori tuo detraxi, dum ſacrilega, et Diabolica „ audacia, et arrogantia, temerarioque auſu toties te offendi; „ verum omnia etiam temporis momenta, quæ fruſtra conſumpſi, aut omittendo bono, quod exequi poſſem, aut illud imperfecte, ac negligenter executus, neque opera mea ita ad unguem exigens, ut ipſe requiris, o infinita, et inacceſſibilis „ perfectio! Ecquis, cum te læſerit, oculos in cœlum auſit attollere? Ecquis lætitiæ locum in corde ſuo conceſſerit, poſtquam tibi ſemel fuerit ingratus? Enimvero animæ, quæ de „ te aliquid ſapit, Inferni loco eſt rubor ille ac verecundia, quam „ ex offenſa tua capit, o ſummum incomprehenſibile Bonum, „ pulcherrimumque, et originale totius boni centrum! Ignoveriſne mihi peccata mea, equidem neſcio: quanquam magno mihi ſolatio eſt, neſcio quid intimæ fiduciæ, quacum cle-

„ men-

,, mentiæ tuæ dulcedo me fovet assidue. Sed, licet mihi, uti ,, spero, peperceris; nihilominus ego te offendi: et sæpius, ,, et infinite te offendi: et effrænata ac temeraria impudentia ,, offendite. Quis unquam mihi hanc labem eluet, quod tui ,, proditor fuerim? per integram æternitatem futurum est ve- ,, rum, me irreverenter te habuisse, o infinite veneranda Ma- ,, jestas! Nisi tua infinita sapientia, et omnipotentia id impe- ,, diret, vererer, ne in ipso cœlo, et in mediis beatitudinis ,, gaudiis (ubi per misericordiam tuam æternum te videre ,, confido) præ pudore mortuus conciderem. Ah! per temet- ,, ipsum, precor, perque tui cordis dulcedinem; ne me ite- ,, rum peccare permittas: sed lava, purifica, excoque, extor- ,, re, exure, et cola me, atque exprime ad arbitrium tuum ,, quibuslibet meis incommodis, dummodo ego amplius te non ,, offendam, et ipse me ad tuæ voluntatis, et cordis amus- ,, sim reficias.,,

,, Animam meam, et corpus in sacrificium accipe, cum ,, omnibus facultatibus meis, habitibus, ac donis naturalibus, ,, et supernaturalibus, cogitationibus, verbis, et quidquid ego ,, sum cum toto meo libero arbitrio, quam latissime in de- ,, liberando patet. Ex intimo cordis affectu tibi denuo sacri- ,, fico omnia mea vota, oblationes, renuntiationes, proposita, ,, et quidquid unquam aut mente concepi, aut lingua significa- ,, vi, aut calamo expressi, quod oculis tuis gratum acciderit. ,, Nunc autem accipe votum, quod tibi recenter nuncupo, ,, habendi nimirum in omnibus actionibus, seu operationibus ,, meis interioribus, vel exterioribus, cujuscunque illæ condi- ,, tionis sint; ea tamen lege, ut plena cum deliberatione et ,, advertentia illas exequar, non vero præoccupatus aliquo ne- ,, gotio, vel occupatione, quæ nimis mentem abripiat: haben- ,, di, inquam, in eis intentionem puram, simplicem, et rec- ,, tam, easque efficiendi unice propter gloriam tuam, et ani- ,, marum salutem, quin meis commodis inserviam, aut pro- ,, pensionibus, et insinuationibus amoris proprii morem geram. ,, Est autem mihi animus, jam nunc ad te recta dirigere, ,, sine obliquitatibus, aut ambagibus voluntatis, omnes illas ,, actiones, quas tractu temporis fecerim, præoccupata mente ,, ab aliqua solicitudine, aut intensa attentione ad studium,

,, ad

„ ad negotium etc. Tuam autem clementiam deprecor, ut in „ hujusmodi eventibus sanctarum inspirationum pulsationibus „ cor meum excites, ut mens mea minus sæpe divagetur, vel, „ si fieri posset, omnino nunquam. Tibi etiam exhibeo ma- „ nipulum illum (jam enim me intelligis) quem scis, me ti- „ bi exhibere solitum esse: ipse autem benedices omnia, et „ nos bene voles et amabis, nosque tui erimus, et tu noster „ eris. Volo autem, ut votum hoc solum me obliget sub „ peccato veniali: quod si hujus occasione voti in aliquem „ scrupulorum labyrinthum aliquando devenerim, jam nunc „ decerno, ut ex illo temporis puncto non me amplius obs- „ tringat. Sub iisque conditionibus illud emisi in die Ascen- „ sionis Domini, anno 1746. et meo sanguine subscripsi in „ die Pentecostes ejusdem anni. Qui ex toto corde suo desi- „ derat esse victima, et holocaustum perfectum amoris tui, „ o Jesu, Verbum Patris, et Virginis Fili = Franciscus Chris- „ ti Crucifixi. „ Hoc modo Franciscus, ut ardentem in Deum testaretur amorem, corpus et animam suam in illius perpetuum, et integrum, simul et rationabile obsequium obtulit.

Ex eodem amoris in Deum fonte cadebat singulare illud studium, quo quæcunque ad Dei cultum, ac religionem spectant, diligenter et exquisite procurabat Erat ille quidem ita a natura comparatus, ut in iis, quæ ad publicum, et commune bonum pertinebant, magnificus esset, et splendidus, quanquam alioqui in privatis suis rebus vix mediocritatem attingeret. At cum de divino cultu, et templi ornatu ageretur, nativam hominis excelsitatem stimulante religione, vix reperiebat in terris, quod suis responderet optatis. Aurum, argentum, lapilli, et gemmæ, quidquid denique hominibus in pretio, et honore est, multum apud ipsum de communi æstimatione excidebant, et tantum non lutum ea reputabat, unde sæpius in eam vocem erumpebat: Oh! quis Empyrei fragmen haberet, ad habitaculum divinæ Majestati pro illius dignitate constituendum! Inexplebile hoc honorandi Numinis votum, si minus ut optabat, explevit; at certe ut poterat, exequi non desiit. Palentiæ præsertim, et Pompelone, ubi Sociorum regimen tenuit, nihil non tentavit, ut sacram supellectilem quam pretiosissimam, et elegantissimam posset, pro templi usu adhibe-

ret. Cum autem his sumptibus Collegiorum proventus non ex æquo suppeterent, Franciscus quorundam Præsulum, aliorumque Ecclesiasticorum, et secularium virorum, apud quos gratia valebat, liberalitatem implorabat: qui pro viri amicitia, proque pietate causæ large illi subveniebant. Sed quanquam magnis ille verisque grati animi significationibus ea dona excipiebat, nunquam tamen ejus pio desiderio videbantur æqualia. Unde quidam, qui ejus pro domo Dei zelum optime noverat, solitus erat dicere: Franciscum, ut quæ ad majorem Dei cultum meditabatur, omnia exequeretur, regios thesauros, modo sibi permitterentur, in eam rem integros exhausturum. In his vero religionis actibus, ad quos exercendos aliorum ope non indigebat, tanta animi contentione, tam reverenti corporis dispositione insistebat, tanquam Deum præsentem oculis intueretur. Seu mente oraret, seu lingua, adeo ab omni alio sensibili objecto alienatus apparebat, ut affatim ostenderet, quam alte rebus divinis, quas animo volvebat, immergeretur.

Jam vero in ea religionis parte servanda, quæ tribus notissimis votis continetur, unde Religiosorum hominum status, et appellatio duxit originem, quam diligens Franciscus fuerit, paucis deinceps persequar. Paupertatem ita coluit, ut non affectione modo, sed re quoque pauper esset. Cum enim multa potuisset habere, utpote qui multos, eosque bene divites sibi necessitudine adjunxerat, eorum tamen amicitias in privata sua commoda non convertit. Quod si vel importuna prece, vel honesta alia de causa aliquid interdum accipiebat, id inter domesticos liberaliter impertiebatur. Qui multos annos eodem cum Francisco usus est contubernio, in dubium verti non posse testatur, eum pauperem spiritu fuisse, et quando in exilium cum cæteris actus est, pauperrimum Palentia discessisse. Nullum certe vitium, quamvis omnibus infensissimus esset, præ avaritia, dum ferebat occasio, verbis acrioribus insectabatur. Siquando autem inaudiret, hunc, aut illum ex ordine Sacerdotali avaritiæ sordibus esse inquinatum, cæteroqui moderatissimus, indignationem suam continere non poterat, quin vehementer in eam morum perversitatem inveheretur. In publicis ad domesticos hortationibus, itemque cum

eis-

eisdem quotidianæ meditionis argumenta proponeret, quod munus per multos annos exercuit, frequens erat, ac sedulus, in iis maxime inculcandis, quæ ad paupertatem servandam illæsam, imo etiam magis restringendam pertinerent. Nimirum quod sibi adeo cordi erat, id cæteri ut æque comendatum haberent, majorem in modum satagebat.

Obedientiam jam inde ab exordio religiosæ vitæ pro suarum operationum regula sibi præstituit. Villægarsiæ dum tirocinium posuit, in Societatis legibus, et peculiaribus tirocinii institutionibus observandis præstantissimus fuit. Deinde, quanto erat in professione religiosa provectior, tanto etiam in obedientiæ perfectione adolevit. Palentiæ cum quæstiones Theologicas auditoribus explicabat, tot ad eum consilii et spiritalis profectus causa accurebant, totque ipse in eundem finem conveniebat, ut subvereri nonnulli cœperint, nequid propterea detrimenti discipulis obveniret. Sed Franciscus, ut omnem vel offensionis, vel admirationis umbram removeret, obedientiæ ductu reliqua ministeria ita cum literariis exercitationibus temperavit, ut illis multum quidem tribueret, iis vero nihil adeo derogaret, ut e sua schola præstantes doctrina Theologi prodierint. Jam aliorum Moderator constitutus, ita suam in omnes disciplinæ partes curam intendebat, ut ab omnibus sibi subditis obedientiæ præcipuam quamdam rationem vellet haberi; non quo suam ipse dignitatem tueretur, sed quod de virtute, quam S. Ignatius Societati veluti characterem imposuit, nihil sua causa vellet imminui: unde siquis in ea parte deliquisset, haud impune faciebat. Duo, tresve e numero juvenum, qui Francisco suberant, dum ruri quadam die de more spatiarentur, leve quiddam contra perfectionem obedientiæ, non dico fecerant, sed coram reliquis juvenibus minus caute fuerant locuti. Id ut rescivit Franciscus, noluit correptionem in crastinum differre; sed e Villa sub vesperum reduces, e vestigio omnes evocat in cubiculum, ibique illorum imprudentiam gravissimis verbis castigavit, jussitque aliorum pedes exosculari, ut siquid paucorum licentia cæteros offendisset, eorumdem depressio mederetur. Tam sollicitus erat, ne quis sibi juvenes illos, tanquam teneros adhuc agnos, fascinaret: et siqua illos nocens aura contingeret, tam dili-

gen-

genter, ne malum serperet, evitabat.

Sed nunquam Franciscus illustrius obedientiæ, et obsequii erga Superiores suos documentum dedit, quam dum ipse Superior esse desiit. Cum ægrotaret aliquando, potionem ad ciendum vomitum Medicus ei præscripserat. Reposuit ille, jam olim ex eo medicamento ad extrema fuisse redactum. Sed urgente propositum Medico, Franciscus, quod illi frustra exposuerat, retulit ad Rectorem. Is, qui noverat quocum ageret: Sume, inquit, medicamen istud, et morere, si Deo placeat. Neque enim tanti vita tua interest, quanti ne aditus aperiatur, ut ægroti contra ea, quæ nostris caventur legibus, suo potius quam Medici ducantur arbitrio. Siluit ad hæc Franciscus, et poto vomifico succo, convaluit. Id ille deinde narrabat, ad extollendam Rectoris sui in tuenda disciplina firmitatem, quæ singularis sine dubio fuit: sed æque idem valet, ad obedientiam Francisci commendandam.

Præterea in qua ipse degebat urbe, civis quidam, propinquorum læso jure, chirographum donationis confecit, quod liti deinde ansam præbuit. Hanc ut præcideret Franciscus, chirographum illud non inducendum modo, sed dilacerandum esse censuit. Id sensim cum emanasset, rumores paulatim sparsi, quibus in dies, ut assolet, gliscentibus, alii Franciscum incusabant, alii vero non excusandum modo, sed laudandum etiam contendebant. Et quanquam Francisci prudentissimam agendi rationem posterior eventus comprobavit, cum Judices litem illi parti, cui Franciscus faverat, adjudicarunt; interea tamen diversa partium studia eousque incaluerunt, ut Superiores ad cohibendas offensiones Franciscum loco cedere, et in aliud migrare Collegium decreverint, de victoria sibi plaudentibus adversariis. Hic vero Franciscus, præter modestiæ, christianæque humilitatis exemplum, obedientiæ præcipuum specimen edidit. Quippe non solum de loco, quod jubebatur, decessit; sed prompto, sed quieto, sed pacato decessit animo. Neque tum, recenti adhuc vulnere, neque postea unquam hiscere visus est, ut aliquam de Superiorum consiliis displicentiam, nedum improbationem significaret. Quin imo familiarissimo suo, de his secum colloquenti, persuadere conatus est, Superiores in illo suo discessu decernendo, genio

*d* et

et inclinationi suæ omnino indulsisse. Apud exteros vero, dum ipso invito, de præteritis turbis sermonem inferebant, summa prudentia ac moderatione cavebat, nequid sibi contra eos, qui sibi molestiam creaverant, elaberetur: adeo ut multi cuidam e Societate non semel dixerint, P. Atelam aut insensibilem esse, aut plane morionem. Nempe *deridetur justi simplicitas*, ut ait Gregorius, *et quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat*. Atque hæc de Francisci obedientia dicta sufficiant.

De illius vero castimonia, cum e superioribus constet, quam illam ardenter optaret, ac precaretur a Deo; hic addidisse satis habebo, quibus adjumentis usus fuerit, ad pretiosissimam æque, ac delicatissimam virtutem tuendam. Tria potissimum in eum finem adhibuit: diligentem externorum sensuum custodiam, austeram corporis macerationem, et adversus immaculatam Virginum Reginam pietatem singularem. Ac primum quod attinet, oculos, manus, et linguam ita prorsus ab omni levitate continuit, ut modestiæ Societatis regulas, quæ S. Ignatio tam caro steterunt, quanti etiam ipse faceret, manifestissime ostenderet. Qui longo annorum tractu Franciscum observavit, et quasi ex insidiis explorare conatus est, asseveranter affirmat, nunquam se illum contra modestiæ regulas peccantem vidisse; cum tamen multæ essent in Societate, multumque minutæ religiosi decoris leges. Juvenis, quem Parentes Palentiam destinaverant, ut ibi sub Francisci oculis liberalibus disciplinis imbueretur, frequenter illum conveniebat, et familiariter cum eodem colloquebatur. Hunc ego matura jam ætate, et insigni prudentia virum, testantem audio, cum diutissime apud Franciscum esset, nunquam in eo aliquid, quod abesset a modestia religiosa vidisse: nunquam se vel digito tetigisse: nullum sibi aut gestum egisse, aut dixisse verbum, quod levitatem, aut scurrilitatem ne longissime quidem redoleret: et quam secum agendi rationem tenuit, eandem cum reliquis adolescentibus, et tenellis etiam pueris observasse; quamvis alioqui comis, et benevolus esset erga omnes. Jam ab auditu minus, quod timeret, habebat: nam in quoscunque hominum cœtus incidisset, tantam præ se modestiam, et gravitatem ferebat, ut vel liberrimum quemque ad verecun-

diam

diam compelleret. Aliquando illum graviter dolentem audivi, quod canendi, sonandique artifices molliores quosdam modos musicos etiam in Dei domum invexissent, qui vel theatralibus e ludis penitus essent eliminandi. De gustu, et tactu quid attinet dicere? cum iis ille sensibus non modo licita sæpe denegaret, sed acerba etiam infligeret, quod erat secundo loco positum.

Cibo ergo, et potu parcissime utebatur, semperque obvius illi erat aliquis alius color, quo suam prætexeret abstinentiam: aut enim ardores capitis, aut stomachi debilitatem, aut appetentiæ defectum excusabat. In lautissimis etiam conviviis, quibus aliquando interesse vel urbanitate, vel spe quoque spiritalis cujusdam prædæ cogebatur, non semel visus et observatus est a nonnemine, eam cibi quantitatem non excedere, aut vix etiam attingere, quam domi capere solitus esset: tantundem scilicet obsonii, si pondus attendas, quantum jejunantium cœnula pendere plerumque solet. De cætero corpore quam rigidas pœnas sumeret, ex multitudine, ac diritate instrumentorum, quibus ad se cruciandum utebatur, facile nosse quisquam possit. Vigilanti quidem industria cavebat ille, ne cujuspiam oculi in pœnalem illam supellectilem unquam inciderent: sed tamen plus aliquando valuit curiosa alterius solertia ad observandum, quam diligens Francisci studium valuerit ad occulendum. Is ergo, qui secretius in illud pœnitentiæ suæ armamentarium penetravit, non sine admiratione instrumenta illic vidit, quæ horrorem solo conspectu incutiebant: varia videlicet cilicia, parvasque catenas, passim aculeis sparsas, aliasque aliis longiores, ut ad omnia corporis membra possent aptari: multa item flagella vel e funiculis, vel ex ferreo contexta filo, vel in laminas, aut nexus ferreos desinentia: præterea colobia, seu thoraces aliquot stimulis æreis introrsum obarmatos, qui corpus, undique cingendo, pungerent acerbissime. Eaque non otiosa esse, nec situ mucida, nitor, quem ex frequenti usu, et attritu contraxerant, ostendebat. Hæc autem Franciscus pro temporum diversitate, proque necessitatum qualitate occurrentium, nunc plura, nunc pauciora, modo minus, modo autem horrida magis adhibebat. Constansque, et pervagata multorum erat opinio, eum aliquo saltem cilicio præ-

cinctum semper incedere: quam quidem opinionem impeditus, ac devexus illius ingrediendi modus, cum a natura rectum, et expeditum corpus obtinuisset, non parum confirmabat. Has inter spinas Franciscus suæ lilium castitatis candidius, et fragrantius servare nitebatur.

Tertium illud de ipsius erga Sanctissimam Virginem cultu tantam dicendi copiam subministrat, ut, ne longior in eo sim, quam optarem, subverear. Illud tamen ita pertractabo, ut quantum in jucundissimo argumento fieri possit, consulam brevitati. Beatissimam Virginem in totius suæ vitæ, suæque mortis Patronam, et Adjutricem singularem adlegit. Atque ut illam sibi maxime devinciret, præter alias officii significationes, ipsius conceptum immaculatum se credere, et profiteri, paratumque esse pro hac veritate tuenda vitam suam profundere, jam inde ab anno labentis seculi trigesimo quarto literis consignatum, suoque sanguine testificatum reliquit. Quidquid item in operibus suis eucharisticum esset, seu ad gratiarum actionem pertinens, id totum, secundum Deum, oblatum esse voluit Deiparæ Virgini, cujus in præclarissimis dotibus sibi quam maxime complacebat, pro eisque Deo immortales gratias agere, dum viveret, imo et per ipsam æternitatem decrevit. Anno deinde hujus seculi quarto et quadragesimo, ut se Virgini Matri tanquam Dominæ suæ penitus devoveret, chirographum servitutis et mancipatus perpetui his conceptis verbis ipse confecit.

„ Quoniam tu, Rex altissime, et superexcellentissime, „ Dominus meus, et Creator meus, tenens sceptrum, et virgam dominantem super omnes creaturas, in cujus conspectu incurvantur, qui portant orbem, elegisti, ac prædestinasti in veram Matrem unigeniti tui Salvatoris nostri Jesu „ Christi Beatissimam, et omni prædicatione in Cœlo et in „ terra celebrandam Virginem Mariam filiam tuam carissimam, „ et sponsam dilectissimam Spiritus Sancti tui, eamque constituisti super omnia opera tua, dans illi Regnum, et Imperium (quo sub te nullum est majus in ulla pura creatura) complacens tibi incomprehensibiliter in ejus humilitate, „ et cæteris ineffabilibus virtutibus, quibus facta est proxima „ tibi Sancto Sanctorum, Regi seculorum immortali, et invi-

„ si-

„ sibili: ideo ego, licet omnium mortalium miserrimus, imo et „ omnium sceleratorum perditissimus, certus sane, nullam ho- „ noris accessionem futuram esse Altissimæ Reginæ ex man- „ cipatu, et servitute mea, quin et intuens indignissimum me „ esse tali honore; tamen compunctus corde, et detestans om- „ nia scelera mea, quibus iram, et furorem tuum sæpius pro- „ vocavi, et confidens de pietate maternorum viscerum, qui- „ bus nullum hactenus peccatorem, quantumlibet sordidissimum, „ repulit clementissima et misericordissima Regina; ei me in „ perpetuum devoveo mancipium et servum in vita, et in „ morte, imo et per totam æternitatem: in eamque sub te trans- „ fero dominium et possessionem omnium bonorum meorum „ corporis, et animæ, potentiarum et sensuum tam spiritua- „ lium, quam corporalium, cogitationum, verborum, et uni- „ versorum operum meorum: omnia momenta vitæ, et mor- „ tis meæ ejus dominationi subjicio regenda, et moderanda pro „ arbitrio misericordiæ ipsius: renuntio omnibus bonis acciden- „ tariis, et exterioribus valetudinis, famæ, honoris, vitæ vel „ productioris, vel brevioris: renuntio literis, eruditioni, elo- „ quentiæ, scientiæ, et quibusvis aliis donis naturalibus, quæ „ appetitu inordinato amare possem: eaque omnia transfero in „ arbitrium, et dispositionem Dominæ meæ, et Reginæ, et „ Imperatricis meæ, ut pro sua voluntate vel auferat a me, „ vel conservet, vel augeat, vel minuat: ita ut ego tanquam „ verus servus nihil omnino bonorum possideam nisi ex bene- „ placito et voluntate Reginæ meæ, et Dominæ meæ. Ad bo- „ na spiritualia quod attinet, quoniam probe scio, impense „ Dominam meam optare, illis me ornari, et cumulari, hu- „ millime provolutus in abysso miseriarum mearum, et infixus „ in limo profundi, ubi non est substantia, supergredientibus „ caput meum iniquitatibus meis, et circumplectentibus me fu- „ nibus peccatorum meorum, cum clamore valido, et rugiens „ a gemitu cordis, instantissime obtestor, et tanquam mendi- „ cus, et pauper inter suspiria, ejulatum, et lacrymas peto a „ Domina mea, utique mei solicita, ut impetret pro nunc, „ pro tota vita, et ardentius et cumulatius pro fine, et ultimo „ articulo illius, ut impetret, inquam mihi emundationem om- „ nium macularum cordis, ablutionemque ab omnibus sordi- „ bus peccatorum. „

Et post alia bene multa, quæ ibidem a Deo per dilectissimam ejus Matrem deprecari pergit, orationem suam per hæc verba, sanguineis conscripta literis, claudit: *Duret, et in æternum perennet tam gloriosa servitus, quam ego præfero omni Dominationi, et Potentatui seculi. Subscripsi de licentia Superioris meo sanguine. Franciscus Atela S. J. vilissimum omnium mancipium.* Biennio post Matri simul et Filio promisit, in utriusque obsequium defraudare genium suum, inferre vim sibi, omnique contentione munditiæ, et puritati studere, et cordis simplicitatem, quam maximam cum divina gratia posset, ad supremum usque vitæ spiritum colere. Multo etiam ante, nempe anno quarto et trigesimo ætatis suæ ineunte, præter alia pietatis officia, ad quæ Matri pientissimæ deinceps persolvenda, fidem suam obligavit; singulis cujusque hebdomadæ sabbatis sacrosanctum Sacrificium in eum offerre finem decrevit, ut Deo gratias ageret pro innumeris in eam collatis beneficiis a primo suæ Conceptionis initio adusque gloriosissimam ejusdem Assumptionem in Cœlos: atque in iisdem pariter diebus panem a Sociis emendicare, illumque subter mensam ad ipsorum pedes sumere. His aliisque obsequiis Franciscus Matrem clementissimam demerebatur; adeoque sub ejus auspiciis castitatem ille suam, ut reliquas etiam virtutes obtinuit, servavit, adauxit.

Per Virginem Matrem in dilecti Filii sui amicitiam et familiaritatem insinuare se, et in eadem progredi sperabat. Nec vero spes eum sua fefellit: etenim singulari in sacrosanctam Redemptoris nostri Humanitatem ferebatur amore, immensamque illius in hominum genus beneficentiam frequenti, et gratissima recordatione commemorabat. Non ita multis a suscepto Sacerdotio annis statuit, ter in hebdomada, nempe feria quarta, quinta, et sexta incruentum peragere Sacrificium in honorem trium illorum maxime sublimium mysteriorum, Incarnationis Domini, convivii Eucharistici, Passionis et necis acerbissimæ. De hac ille ita loquebatur, et scribebat, ut quivis inde conjiceret, quam illam assidue, quam etiam attente meditaretur. Inde affectus ille vehemens oriebatur, quo Dominum rogabat, ut cordi suo, tanquam stigmatiæ, sacratissimum JESU nomen inureret: inde etiam ardens illud studium, quo optabat, ut ipse in adversariis scribit, *mori*, *concrucifigi*,

*et consepeliri Christo . . . mortuis scilicet, et crucifixis omnibus vitiis, peccatis, et pravis affectionibus.* Hinc etiam sanctissimum COR JESU, inexhaustum amoris pariter et doloris fontem, quamvis ejus tum cultus non ita celebris, ac pervagatus esset, ut in præsentia, præcipua religione venerabatur. Ei se, suaque omnia devovit anno millesimo septingentesimo trigesimo quinto: eamque devotionem gravissimis verbis conceptam, suo signavit sanguine in pervigilio S. Aloysii Gonzagæ. Scilicet Angelicum Juvenem (ut hic postremam hanc Francisci religionis partem attexam) cum reliquis e Societate Jesu Sanctorum numero adscriptis, aliisque non paucis ex omni ordine Sanctis viris, ac feminis, peculiari cultu prosequebatur. Cum enim districtum Dei judicium, ut ipse in suis asserit commentariis, maxime reformidaret, velletque proinde divinæ justitiæ pro virili parte satisfacere, majoreque deinceps contentione et suæ, et aliorum perfectioni studere: aliunde autem animadverteret, suæ ipsius vires, ad hæc perficienda, quam essent exiguæ: propterea ex beata illa et innumera Cœlitum multitudine certos sibi Patronos, et quasi Proxenetas elegit, qui sibi a Deo, pro exequendis conatis, opportuna gratiæ subsidia implorarent. Horum catalogum ipse manu sua texuit, eorumque numerus ad quadraginta pertinet. Pro his autem honorandis et exorandis, varias pietatis exercitationes designat, quas singulis diebus, singulisque hebdomadis persolvendas statuit. Post hæc suos enixe Patronos deprecatur, ut eam sibi a Deo virtutem impetrent, in qua eorum singuli eminuerunt, præsertimque pœnitentiam, spiritum precum, castitatem, constantiam, eximium Dei amorem, discretionem spirituum ad proximos dirigendos, ardentem animarum zelum, propensionem ad solitudinem, amorem ad studia literarum, mansuetudinem, intimam suæ vilitatis notitiam, magnamque animi submissionem erga superiores, æquales, et inferiores. Quæ quidem virtutum decora Franciscum et contentione sua, et supernis auxiliis, per gratiosissimos deprecatores obtentis, non vulgari modo fuisse assecutum, ex iis, quæ hactenus enarravimus, perspicuum est.

Inter cæteras Francisci virtutes illud postremo commemorare loco non desinam, quod cuilibet Religioso viro laudi vertendum esse, nemo jure negaverit: illam scilicet vitæ rationem

amas-

amasse, ad quam a Deo, ut suam et aliorum operaretur salutem, vocatus est. Etenim si literariis, et mechanicis etiam in rebus eos nec immerito commendamus, qui dum animum ad aliquam disciplinam, aut artem adjecerunt, in eandem afficiuntur quam maxime; propterea quod labor et constantia, ex quibus omne fere facinus egregium existit, sine amore non possunt consistere: quanto illum potius meritis laudibus excipiamus, qui ad Religiosam professionem evocatus, ita in illam affici studet, ut et disciplinæ jugum sibi suavius, et quotidianæ onus observantiæ levius efficiat? Franciscus ergo Societatem Jesu tenerrime diligebat. Nec cæcus erat illius amor, aut præjudicata nixus opinione: sed cum Societatis Institutum, Regulas, et ordinationes, rerum etiam domesticarum Historias assidue legisset et attente; in illisque leges ad suam et aliorum sanctitatem assequendam opportunissimas, in his vero res præclare gestas observasset; ex iis utique fontibus amor ipsius decidebat. Maximas propterea Deo agebat gratias, quod se ad eam Societatem vocasset, cujus ille indignum se filium, vile mancipium imo etiam vilissimum omnium appellabat: quas quidem appellationes, suis ille scriptis non semel apposuit. Pro eadem, ejusdemque filiis supplices ad Deum preces effundebat, ut bene illis omnia cederent, iis præsertim, qui cæteris præerant, et qui sudoribus suis Catholicam fidem, et bonos mores vel apud barbaras inserebant gentes, vel apud jam cultas promovebant.

Cum igitur Franciscus Societatem in oculis ferret, atque ut vere dicam, in deliciis haberet, quo putas illum animo tulisse miserandam illam rerum Societatis perturbationem, quæ in Lusitania incepta, et in Galliam progressa, Hispaniam deinde pervasit universam? si, quod Franciscum privatim attinebat, consideres, forti et constanti; si vero, quod Societatem spectabat, attendas, valde dolenti. Jam quidem ante aliquanto, quam illud exilii fulmen erumperet, quod Societatis homines per latissimas Hispaniarum ditiones ex sedibus suis omnes ad unum convulsit, turbines non pauci fuerant exorti, tanquam procellæ jam imminentis præsagium, quibus vel integrum Societatis corpus, vel membra quædam ipsius impetebantur. In oppido quodam Palentini tractus per summam injuriam dissemi-

minatum est, Franciscum Atelam urbem quamdam in America contra Regem Catholicum per literas sublevasse. Ridiculum plane commentum! sed quod, si minus fidem obtinuit, Francisco exhibendæ patientiæ locum dedit. Multo plus illud serium, quod Palentiæ post commotam ibidem seditionem accidit. Regius quidam Minister e Senatu Vallisoletano Palentiam accessit, ut in auctores seditionis inquireret. Is, cum inaudisset, P. Atelam excitati tumultus præviam notitiam habuisse, eum ad se vocat. Nec mora: Franciscus adest, rogantique Ministro fatetur, ad se quiddam de seditiosis illis rumoribus pervenisse, qui proximas turbas præcesserant: se tamen, non indicata persona, a qua id acceperat, statim ad unum e Magistratibus retulisse, ut invigilaret, nequid Respublica detrimenti caperet. Ecquis autem, ait Minister, ejus rei certiorem te fecit? Hoc vero, inquit Franciscus, nefas fuerit indicare: quoniam ego sub sacri sigilli religione istud accepi. Instabat nihilominus Minister, ut faceret: atque, ut conata perficeret, quorumdam opinionem obtendebat, qui Sacramenti sigillum in gravioribus quibusdam causis obligare negant, in quibus Reipublicæ salus agitur. Sed subridens Franciscus: scio, inquit, istorum opinationem: at novi etiam, quo in pretio ea sit habenda: propterea que a gravissima Sacramentalis sigilli obligatione servanda ne punctum quidem abscesserim. Ut vidit hominis constantiam Minister, ab incepto destitit, neque ulterius urgere voluit Franciscum. Is vero paratissimus erat, extrema potius quælibet perpeti, quam sacratioris legem violare secreti: præclareque secum agi reputasset, si res eo devenisset, ut gloriosissima S. Joannis Nepomuceni vestigia, quem inter præcipuos Patronos conscripserat, propius sequi meruisset. His certe non dissimilia multos jam ante annos a Domino precabatur, cum in suis spiritualibus adnotationibus sic scribebat: „ Peto caritatem erga proximum ita fortem, constan-
„ tem, et heroicam, ut non dubitem pro ea laborare quoti-
„ die corpore et anima, concionando, confessiones audiendo,
„ incarceratos, et ægrotos invisendo, omnes ad vitam christia-
„ nam hortando: etiamsi pro his rite obeundis toleranda sint
„ mihi exilia, carceres, vincula, tempestates, naufragia, fames,
„ sitis, nuditas, omnis ærumma, et angustia: et præterea de-

„ tractiones, censuræ hominum, falsa testimonia, pertractio ad „ tribunalia, et quidquid ullo modo caritas Apostolica pro ho- „ minibus perpessa est. „

Atque ex his omnibus incommodis, ad quæ corpus et animum tam strenue devoverat, alia quidem jam fuerat expertus, aliorum pleraque non longe aberat, ut experiretur. Nempe instabat jam exilii decretum: et quanquam illud Francisco brevissimum erat futurum, Deus tamen eidem tam fœcundam laborum segetem præparabat, ut quas alii quidam spinas multis annis demeterent, ipse paucis diebus, in unum congestas fascem, portandas colligeret. Profecto, quod pluribus retro annis enixis rogaverat precibus, videtur Francisco Dominus concessise. In commentario enim latino, non longe ab iis verbis, quæ paulo ante retuli, petitiones suas ita concludit. „ Peto demum non mori, quin prius gravissimos exhauriam pro „ Christo labores corporis, et animæ: quibus exantlatis, inter „ ipsos tabescam, et consumar, ultimumque spiritum afflem „ consumptus ærumnis ... ita tamen, ut ad eas sufferendas, et „ heroice supportandas prius me ipse Salvator, in quo omnia „ possumus, confortet, et roboret. „ Præclarum animi robur! eorumque maxime proprium, qui cum Apostolo Paulo gloriam suam nulla alia in re constituerunt, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Quasi vero præsagiret animus, illud jam tempus appetere, quo longum calamitatum agmen ingrueret, quas tantopere optaverat; ut se melius ad durum compararet certamen, sui Moderatorem spiritus adiit, eique proposuit, velle se totius vitæ noxas generali eluere confessione. Annuente illo, Franciscus post aliquot dies, quos ad se rite parandum assumpsit, ad eum rediit: et omnes retro actæ vitæ culpas tam sincere, ac dolenter, tam minutatim etiam exposuit, ut qui eum audiebat, non parum sui puderet ipsius. Hæc nimirum præmunitio quædam fuit ad bene moriendum, Francisci vitæ, ad omnes honestatis leges exactæ, valde consentanea, et omnibus, qui suam cum timore salutem operantur, maxime in usu.

Non diu post peractam confessionem, labores illi corporis et animi, quos desiderabat, Francisco supervenerunt: scilicet a die tertia Aprilis, in qua omnibus fere Provinciæ Castel-

la-

lanæ Sociis indictum exilium est, ( nonnullis ante biduum fuerat denuntiatum ) usque ad decimam septimam Maii, in qua vivere desiit, ut optabat ipse, *consumptus ærumnis*. Verum quidem est, toto illo tempore singularem quamdam lætitiam, et animi fortitudinem a prima die, qua Palentiæ captus est, non sine admiratione a multis in Atela fuisse observatam. Deinde in portu S. Emeterii ( vulgi sermone Sanctanderum vocant ) in quem plerique Sociorum in Italiam inde soluturi convenerant; cum ibi adessent non pauci spectatæ virtutis viri, præstantes ingenio, et in erigendis afflictis versatissimi; nemo in hoc exequendo christianæ caritatis officio Francisco Atelæ præstitit. Is enimvero et efficacissimis rationum momentis, et gravissimis S. Scripturæ verbis perfectam cum Dei voluntate consensionem, ardensque studium patiendi quidlibet pro illius nominis gloria, mirifice promovebat in omnibus: vehementer etiam cunctos hortabatur, ut inæstimabilem vocationem suam constanter tenerent, ac sequerentur, *aspicientes in auctorem fidei*, *et consummatorem Jesum*, *qui proposito sibi gaudio*, *sustinuit crucem*, *confusione contempta*. ( Ad Hebr. 12. 2. ) Hæc omnia verum habent, ut dixi: Sed tamen, quo tempore Franciscus mœrentium fratrum solamini providebat intentius, eodem ipse tempore afflictione quam maxima, et interna derelictione angebatur. Quod equidem et ad ejus solicitudinem in consolandis cæteris maxime commendandam, et ad intelligendum facilius, quo pacto gratiam illam obtinuerit, quam petebat, ut *consumptus ærumnis* ultimum efflaret spiritum, non parum facere existimaverim.

Cum enim in primis videret se, suosque fratres gravissimi supplicii notatos infamia, quin ullus purgandi se locus daretur, ut discussis utrinque rebus, veritas demum emergeret: insuper a primo die, quo Palentini Socii armato milite capti sunt, omnes in angustum cubiculum, tanquam in carcerem detrusos, quin inde ne ad requisita quidem naturæ discedere sine custodiente milite ulli prorsus liceret: deinde per sex insequentes dies iter agere militibus stipatos, qui districtis gladiis, igneisque ballistis mucrone præfixis, quocumque adventarent, populis militari illo apparatu inclamare videbantur, ab Jesuitis ut sibi caverent, ab eisdemque nihil mali non esse ti-

mendum: hæc omnia, inquam, cum assidue videret interdiu, et species illæ tristissimæ per noctem menti obversarentur ejusdem; incredibile dictu est, quam altum ejus animo vulnus inflixerint. Nec si multis ea mala communia fuere, mirandum propterea est, majorem in Franciscum lædendi vim exeruisse. Multis, inquam: non enim erga omnes exules par ubique in cunctis secundariis Ministris agendi ratio fuit. Quippe horum nonnulli, contra expressam Catholici Regis mentem, quædam sunt executi, quæ in mandatis non habebant. Jam vero, quare Franciscum illa etiam cæteris communia incommoda maxime vexaverint, duo præsertim in causa fuisse crediderim. Primum, acrem ipsius imaginandi vim, quæ vividis adeo coloribus res quaslibet ejus menti objiciebat, ut mœrore, vel gaudio, pro qualitate objectorum, majorem in modum afficeretur. Alterum, ejus erga Societatem Jesu amorem vere singularem. Unde sicut liquidissimis gaudiis perfundebatur, dum res illius prospere succederent, ita etiam ferebat ægerrime, si quid ei adversum, aut minus decorum accidisset; quippe quam altissimo habebat in pretio, ac veluti Matrem omni honore dignissimam prosequebatur. Fortasse etiam (ut est quilibet ad ejus, quem vehementer amat, prævidenda mala oculatissimus) jam tum prospiciebat, aut certe pertimescebat, tam acerba initia, quam essent acerbiorem exitum habitura.

Præter eas, quas dixi, animi ægritudines, itineris incommoda non pauca, nec levia perferenda illi fuere. Nam sex illis diebus, quos terrestri dedit itineri, dum ad hospitia sub vesperum divertebat, ut corpus vectationis molestiis fractum curaret; vel nudo super scamno cubandum erat, vel in paleario, vel summum straminea in culcita militari. In portum S. Emeterii cum devenisset, ipse cum aliis trecentis sexaginta quinque Sociis inclusus est in Collegium Societatis, in quo viceni commode non poterant excipi, et per integrum fere mensem in angustiis illis detentus. In itinere vero maritimo nova laborum series exoritur. Nonis Maii cum multis aliis in exiguam tabellariam navem impositus, quæ potius ergastuli, quam diversorii referebat speciem, solutisque postridie anchoris, ut Ferrolium adiret; tam adversis usus est ventis, ut in eo maris tractu enavigando, qui sæpissime uno die trajicitur, ipse decem posuerit:

rit: violento quippe ventorum impetu nimium ab Hispanis oris Londinum versus fuit discedendum. Inde gravissima jactatio, quæ molestiam, et metum inferebat quam maximum: inde nausea, plerisque vectoribus, sed præcipue navigandi insuetis, molestissima. His adde ferruminis graveolentiam, tristissimum nautarum celeusma, eorumdemque discursus, et strepitum, ut a præsentissimo naufragii discrimine nauticis operibus naviculam liberarent. Hæc, et alia multa, quæ prætermitto, Francisci vires ita fregerunt, ut in lecto decumbere coactus sit: hoc est, in arcula ex asseribus male compacta ita jacere, ut in utramque aurem verti vix posset, quæque feretrum proinde magis exhibebat, quam lectum. Inde propterea educto, in tabulato navis intermedio extensa illi culcita, ut minus cubaret incommode. Hinc vero Francisco non parum afflictionis accrevit, cum videret, fratres suos, nisi flexis genibus, demissisque humeris, sibi adesse ac inservire non posse, ob nimiam superioris tabulati depressionem. Nullus ibi medicus, aut Chirurgus: medicamenta nulla, et quod ægrotum maximo omnium dolore torquebat, sanctissimæ Eucharistiæ, et extremæ unctionis recipiendæ nulla facultas. Talis nempe fuit derelictio, talesque labores, et angustiæ, quibus immori Franciscus obtinuit, *consumptus ærumnis*.

Die decimo sexto Maii pœnitentiæ Sacramentum, quod unice poterat, religiosissime suscepit, repetitis summatim præteritis confessionibus. Et quanquam adveniente nocte, cum cæteri cubitum discederent, ipse etiam tranquillam, et quietam noctem acturus videretur, quippe nullum aderat proximæ mortis indicium; primo tamen diluculo Sacerdos, qui ei a confessionibus erat, admonitus est, aliquid novi esse. Accurrit is protinus: sed eum voce jam defectum invenit: unde pias illi quasdam sententias, et affectus in memoriam revocavit, quas ipse Franciscus, ut sibi in extrema illa hora suggereret, admonuerat. Commodum navis, qua vehebatur, Corunniensem portum attingebat, cum ultimum efflavit spiritum, illucescente die decimo septimo Maii, ann. 1767, antequam inceptum in Italiam iter absolveret. Quoniam vero et opportunitas ipsa admonebat, et Franciscus magnis etiam precibus rogaverat Socios, ut si navis in portum aliquem appel-

le-

leretur, corpus suum Ecclesiasticæ sepulturæ mandarent; statim cœptum est agi, ut in ædem Collegii Societatis inferretur. Nonnullæ in eo difficultates intercessere, quibus tandem superatis, sub illius diei vesperum nautæ aliquot in scapha ad tabellariam accesserunt, in eamque conscensi, Francisci corpus tanquam sancti hominis exuvias intuiti sunt, et habuerunt. Omnes ad unum, denudato capite, illius exosculati sunt pedes: reverenter illud sustulerunt: in scapham omnino taciti deportarunt. Iidem affirmabant, scapham, vix dum in ea composito cadavere, continentem versus cursum cepisse, quin remis impelleretur. Inde clanculum delatum est in Collegium: haud tamen permissum, ut emortuales preces decantarentur: tantummodo, quod sepulturæ vocant, officium recitatum est, adstantibus duobus, vel tribus Patribus, et Scholasticis aliquot Societatis. Ad hujus viri jacturam, multis nominibus commendatissimi, illud etiam cæteris Sociis accessit permolestum, quod pro illius anima rem divinam facere non potuerunt. Nam Sacerdotum Castellanæ Provinciæ pars maxima in navibus erat; altera in Corunniensi Collegio detinebatur; et hi quarta vel quinta hora post humationem cadaveris deducti sunt ad portum. Utrisque autem deerat ad celebrandum sacra supellex, donec eorum plurimi in Regias translati sunt naves. Sed interim piis aliis operibus Francisco suffragatum est: et ab immensa Dei Bonitate sperare licet, eum non diu post in æterna illa gaudia liberalissimi Domini, cui fideliter servierat, introisse.

JOAN-

# JOANNES BAPTISTA COSIUS.

Inter plurimos Societatis Jesu viros, qui anno 1767. ab Hispanis oris expulsi, Calvii in Corsica mortem oppetivere, primus fuit optimæ spei adolescens Joannes Baptista Cosius. Is octavo die, postquam excenderat in litus, ab exilii hujusce molestiis, et mortalitatis vinculis in libertatem filiorum Dei perfectam, ut fas est credere, vindicatus est, multisque aliis in cœlestem illam patriam quasi præcursor effectus, qui laborum pondere, quos terra marique exhauserant, debilitati, in meliorem indidem vitam properata ærumnis morte transierunt.

Natus est Joannes Carmonæ, Diœcesis Sanctanderensis oppido, Kalendis Sextilibus anni 1741. Exhibuit autem jam inde a teneris annis tantum modestiæ, ac probitatis specimen, ut qualis quantusque, dum adolesceret, futurus esset, ostenderet. Ejus agendi, loquendique ratio sedata quidem erat, et gravis; sed tamen ita comis et placida, ut illi etiam ardeliones, quibus aut ob ætatem puerilem, aut ob ingenium turbulentum et vivax, seria omnia præ ludicris desipiunt, Joannis Baptistæ colloquiis, et consuetudine maxime delectarentur. Hæc morum suavitas constantem illi opinionem et innocentis pueri primum, et adolescentis deinde integerrimi apud æquales obtinuit: quam quidem opinionem, hoc edito mansuetudinis exemplo, mirum quantum ipse confirmaverit. Palentiam a Parentibus erudiendi causa missum, dum ibi Philosophiæ operam dabat, quidam e sodalibus Joannem cultro appetiit, eique vulnus inflixit. Hic vero Joannes non adversus injustum aggressorem furere, non eum devovere diris, non minari vindictam, ut plerique mortalium consuevere, iique maxime, quos ætas adhuc fervida ad ulciscendas injurias solita est incitare vehementius: sed ne verbum quidem emittere, quo vel indignationem, vel iram, vel aliud aliquod animi vulnus osten-

de-

deret, quod altius plerumque periculosiusque penetrare solet, quam corporis. Tantam imo vero patientiam cum magna animi pace, ac tranquillitate conjunctam exhibuit, acceptamque injuriam tam alto silentio pressit, et voluntaria oblivione ita contrivit, ut maximam cæteris ejus sociis moverit admirationem.

Jam is, cujus primus adolescentiæ flos in tam lætos virtutum fructus erupit, reliquas officii sui partes cumulate videlicet adimplebat. In eo sane, quod inierat Philosophiæ curriculo, firmum fixumque ipsius animo insedit, nihil se vel Deo acceptius, vel sibi utilius effecturum, quam si tota contentione in studia literarum incumberet. Neque, si juvenes eos merito vituperandos credebat, qui addiscendis disciplinis addicti, aut otio nimis indulgent, aut ludo; illos continuo laudandos existimabat, qui cujusdam parum solidæ pietatis obtentu imposita eis munera negligunt, ut piis in speciem exercitationibus vacent. Ipse vero, neque hos imitatos, neque istos, et christiani officii servantissimus erat, et in scholis frequentandis assiduus, et in absolvendis imperatis a Magistro pensis exactus. Cum autem ingenium ille suum, quod a natura nactus erat acerrimum, commentandi aleret assiduitate, et argumentandi foveret industria; in Philosophiæ adyta tam libero passu excurrebat, ut quos in eo cursu comites habuit, longe sit prætergressus. Id tum maxime innotuit, cum religiosa jam indutus veste, jussus est Philosophica recognoscere. Quanquam enim aliquot annos in omnia alia intentus exegisset, in cunctis tamen latissimæ facultatis partibus plene instructus apparuit. Ut autem intelligas, quam illud utile sit, ad honestam aliquam occupationem esse solicite intentum; Joannes ab assiduo literarum studio non id tantum commodi reportavit, ut liberalium artium apprime gnarus evaserit, sed etiam (quod maxime omnium interest) mundanarum artium, ac fraudum ignarus et expers, ab iisque liber scopulis, ad quos multorum innocentia juvenum miserabili allisa est naufragio. „ Novum illi (ajebat quidam Magister, quocum deinde „ Joannes Salmanticæ duobus annis cum dimidio communica- „ vit) et insolens accidebat, siquid de dolis, tendiculis, et ma- „ chinationibus audiret, quæ apud malitiosos seculi homines

„ sunt

„ sunt frequentiores: et abiisset, credo, ex hoc mundo, mali-
„ tiæ, quæ in eo abundat, prorsus ignarus, nisi de illa quid-
„ quam in libris, et in concionibus agnovisset. Ad Religionem
„ certe tam alienus seculi accessit, quam si in regione longe
„ remotissima vixisset.„

Hac morum innocentia, studiorum contentione, et a mundanis rebus abstractione degentem Palentiæ, cum jam Philosophici cursus metam attigisset, placuit Deo Joannem ad Societatem Jesu evocare. Hanc ille mentem, cum primum sibi injectam animadvertit, non quidem abjiciendam, neque vero statim aliis aperiendam existimavit: sed rem potius longa secum meditatione, multaque cum Deo consultatione agitandam esse duxit. Etenim nativa illius ingenii vis, et literis exculta, et ætate confirmata; cum duodeviginti annos jam natus esset; præter gravissima Religiosorum onera, calamitosa illa tempora sibi objiciebat, quibus Societatis Religio undique tam acriter impugnabatur. Hæc tamen omnia, postquam et prece, et consideratione adhibita intellexit, insinuationem illam a Deo descendere, nihilo eum segniorem effecerunt, quominus eam quamprimum exequendam curaret. Joannes itaque, cum neque ipse mundo, nec mundus sibi aptus esset, in tirocinium Villagarsiense pertransiit: ubi, tanquam centrum attigisset, magna animi voluptate, et contentione ad omnes religiosæ disciplinæ apices et communes cæteris, et tironibus peculiares observandos intendit. In id præcipuo quodam incubuit studio, ut mundanarum rerum despicientiam, quam posset maximam, animo suo conciperet. Atque in eo mundi, et insanorum ejus axiomatum contemptu adeo deinde processit, ut fieri posse non crederet, sani consilii virum vanissimis ejusmodi nugis unquam abripi, quas ipse plebeculæ tantum ludificandæ aptissimas judicabat. Hinc etiam magnopere admirabatur, si quisquam e Religiosorum numero inveniretur, cui longa cum seculi viris colloquia serere, valdeque familiariter iisdem uti placeret, nisi ea tantum de causa, ut eorum spiritali commodo prospiceretur. Dum Villægarsiæ tirocinium poneret, scrupulorum angoribus Deus illum exercere voluit. Sed, cum esset sui judicii minime tenax, et animi Moderatoribus penitus obsequens, in illis non diu hæsit an-

gustiis. Etenim ad pauca, sed opportuna, quæ sibi data sunt monita, cum ipse intente animum adverteret, optata citius serenitas rediit, neque deinceps ejusmodi molestiis solicitatus est unquam, neque illius animi quietem aliquis alius interturbavit eventus. Is, quo Præceptore usus est ad humaniores literas ibidem recolendas, hanc ejus animi tranquillitatem, in sereno semper vultu expressam, sæpissime admirabundus notabat. Cum enim inter habendas scholas, frequenter incidant casus, in quibus pronum est, juvenes aliquam vel gaudii, vel ruboris edere significationem; dum scilicet ea, quæ præ manibus habent argumenta, aut apposite pertractant, aut minus attingunt feliciter, quam optarent; nunquam in Joanne Cosio alterutrum ex his diversis affectibus observavit: æquabilem imo vero semper invenit, et suis semper affectionibus dominantem.

Post hæc Methymnam Vaccæorum missus est, ut Philosophiam retractaret. Hic autem illud in primis singulari conatu sibi agendum esse constituit, ut virtutibus æque, ac literis operam navaret strenuam. Quippe studia ille sua non satis religiosa fore credebat, nisi per ea cohiberet cordis pravitatem, et mentis dispelleret ignorantiam. Propterea S. Aloysium, utpote innocentia vitæ, et in literis addiscendis diligentiæ laude præstantissimum, ut sibi ad utrumque assequendum suppetias ferret, in specialem Patronum per id tempus adlegit. Deinde, ne quid in ipsa discendi ratione præposterum esset, aut perturbatum; et temporis, et injuncti pensi distributionem fidelissime juxta Magistri præscriptum observabat. Illud denique cavebat diligenter, ne suus discendi labor præproperus esset, nimiumve solicitus: id enim existimabat mentis aciem potius hebetare, quam acuere. Et sane rectissime: nam sicut cibo, quem vorando deglutiveris, stomachum citius aggraves, quam reficias; haud secus animum nimis festinata lectione verius obrueris, quam instruxeris. Propterea Joannes ad Philosophiæ studium et pacato accedebat animo, et sedatam meditandi curam adjungebat: ne scilicet aut ea, quæ pertractabat, argumenta non satis bene perciperet, aut tumultuariæ species, in mentem inordinate congestæ, vel minus hærerent apte, vel citius elaberentur. Non ideo tamen desidiæ, aut minoris in studii contentione solertiæ quisquam eum in-

cu-

cusavit aliquando: cum potius nulla temporis spatia otiosa sibi sineret abire ex iis, quæ lectioni, aut scriptioni destinata essent, juxta regulas Scholasticorum Societatis. Ad eas ille universam studiorum suorum rationem, quam maxime poterat, accommodabat: et identidem ad sanctissimos illos fines, quos eædem in Societatis Scholasticis requirunt, divinæ scilicet gloriæ, et animarum fructus, suos omnes literarios sudores referebat. Hoc pacto cum in scientia multum proficeret, magna pariter illi fiebat virtutis accessio, magisque proinde condiscipulis, Magistro, Rectorique suo sese probabat in dies. Nullus inter domesticos erat, qui ejus agendi rationem improbaret, sed omnium potius ore illius morum suavitas, et integritas commendabatur, quin possent juvenem non diligere, cujus inculpatæ vitæ genus intuebantur. Ipse adeo Collegii Rector aperte coram cæteris Sociis, mirari se, ajebat, Joannis Baptistæ prudentiam, et expeditam insuper celeritatem in iis, quæ sibi demandarentur, absolvendis. Nec sane pauca erant, quæ ipsi committebantur, cum tranquillus agendi modus plures ei vias ad imperata facilius, ac brevius expedienda aperiret.

Ab hoc ordinatissimæ vitæ cursu non destitit, cum Methymna Salmanticam ad audiendos Theologos commigravit. In celebri illo studiosorum juvenum theatro, quos et discendi ardor, et fervor ætatis a laudabili exquirendæ veritatis studio facile est, ut ad inane, vel contentiosum disputandi genus abripiat interdum; non sine admiratione multorum observata fuit accurata nostri Joannis industria, inutiles quaslibet disputationes, quantum penes ipsum erat, declinantis, easque multo magis altercationes effugientis, e quibus aliqua concordiæ vel levissima exurgere posset offensio. Quod si in aliquam id genus controversiam nec opinatus incidisset aliquando, cum primum se disputationis æstu incalescere animadverteret, quamvis et veritas, et ratio ab ipso staret omnino, manus tamen dabat comiter et humaniter, tanquam si adversarii firmissima essent argumenta. Prompte etiam, ac strenue vel primos exurgentis iræ motus continebat, quos nonnulli eorum, quibuscum agendum sibi erat, vivaciore ipsorum indole, aut aliqua inconsiderantia concitassent. Nunquam certe adversus eos acerbiore usus est verbo, quo ullam animi significaret amaritiem,

*f* 2 nun-

nunquam torvis oculis aspexit, nedum ab eorumdem colloquiis sese vel tantisper subtraxit: sed ad istiusmodi omnes incursus ita erat animo comparatus, ita sui potens, ut non modo victor evaderet, nullumque exulcerati animi ederet signum; verum etiam hilari æque vultu, exporrectaque fronte semper illos exciperet, qui sibi molestiam quomodolibet intulissent. Cum autem sibi tam viriliter imperaret in re non parum difficili; in cæteris utique, quæ ad moderandum, et perficiendum spiritum attinent, non minus erat diligens et industrius. Pro illius in tuenda, et augenda cordis puritate vigilantia comprobanda, illud huc attulisse sufficiat, quod de Joanne, jam vita functo, Doctor ille Salmantinus asseruit, qui eum Salmanticæ assidue, et intime novit: *Nunquam*, ait, *in Joanne Cosio aliquid reprehensione dignum, vel quod nostris regulis adversaretur, deprehendi*.

Vix dum Theologici cursus tertium annum attigerat, qui idem vitæ suæ postremus erat futurus, cum acri distillatione, quæ in pectus defluebat, vexatus est. Jam inde ab tirocinio eodem incommodo cœperat pertentari, cum ibi eum Superiores pauperibus præfecissent: quæ sane præfectura, ut exercendæ caritatis occasionem suppeditabat aptissimam, ita etiam difficilis erat, ac plena laboris. Nam Præfectus pauperum neque meridiatione, cæteris concessa tironibus, poterat uti, cum interea in culinam, ad apparandum mendiculis cibum, discederet; et sæpius ab ardentibus focis in apertum aera prodeundum sibi esset, ut frequentissimis pauperum catervis post brevem rudimentorum fidei explicationem, triticei panis frustum cum obsonii chœnice in singulos impertiret. His addas importunas pauperum preces, frequentesque, sed excusabiles eorumdem fraudes, ut duplicatum demensum acciperent: ad quas vel vitandas, vel perferendas magna vigilantia, nec minore opus erat patientia. Hac tanta defatigatione nonnihil ejus debilitata fuit valetudo: sed vigor ætatis ita eum sustinuit, ut melius postmodum habuerit. Salmanticæ vero, sive ob nimiam aeris, et aquæ subtilitatem, sive ob assiduum, et intensiorem in studia conatum, noxia illa epiphora tam ardenter, et copiose cœpit in pectus defluere, ut nimium ejus vires afflixerit. Sed cum esset mirifice patiens incommodi, neque ullam mœroris edidit significationem, ne-

que

que condiscipulorum suasionibus acquievit, ut mitius secum ageret, admonentium; quinimo omnibus et literariis, et religiosis exercitationibus nihilo minus institit perseveranter, quam robustissimus quisque, donec Superiores, ingravescente morbo, eum decumbere, et Medicos adhiberi jusserunt. Per id tempus, cum ad eum, visendi causa, vir quidam gravis accessisset, agnovissetque subito, quam anceps illius esset ægrotatio: Video, inquit, carissime, huic morbo fieri non posse medicinam, nisi cœlum patrium reviseris. Cui Joannes: Ego vero, quod Superioribus placitum fuerit, illud efficiam. Neque ullum deinde super hac re verbum cum aliquo fecit, multoque minus apud Superiores, ut in patriam mitteretur, contendit, quamvis præcipitem morbi cursum animadverteret.

In hac tanta valetudinis perturbatione degebat, cum Catholici Regis edicto omnes, quotquot in Hispania Societati Jesu nomen dederant, solum vertere, et in Italiam exules proficisci coacti sunt. Antequam exirent domo, cum Tabularius, in cæteris recensendis, Joannem Cosium nescio quomodo præterisset, ipse illico illum interpellans, insolita quadam alacritate exclamavit: *At, at, meum hic nomen fuerat inserendum: et vero hic ego adsum.* Ad intrepidam hanc ægrotantis juvenis vocem Judex, Rectores urbis, testes, et milites, qui aderant, magnopere stupuerunt: nec parum eadem valuit, ad omnes Salmantini Collegii Socios in proposito sese penitus committendi divinæ providentiæ ductui confirmandos. Joanni deinde Judex, cum intellexisset, quam periculoso morbo laboraret, optionem detulit Salmanticæ cum cæteris ægrotis, donec convalesceret, consistendi. Ille vero non modo id renuit, sed quod sibi beneficii nomine deferebatur, adeo ægre tulit, ut inquieto animo fuerit, donec Salmantica cum exulibus fratribus ipse etiam exul evasit. Igitur pridie Nonas Aprilis, in exilium cum cæteris abiturus, longissimæ, ac perdifficili viæ sese commisit inter effusissimas civium lacrymas, qui cum agnovissent, Patres illo die expellendos, ad Collegii aditus, et vias, præter quas erant ituri, tanta frequentia accurrerunt, ut tota civitas suis convulsa sedibus visa sit: nec facile dictu est, quibus verbis, imo vero clamoribus expresserint animi sensus, et ob accepta beneficia ex multiplici Patrum ministerio gratis-

si

simos, et ob eorumdem desiderium acerbissimos.

At Joannes, cujus animum non quælibet incommoda dejecissent, lætus ibat in exilium. Neque illum exterruit longa laborum series, quos in suscepto itinere se manere prævidit, tum ob frigidam adhuc anni stationem, tum etiam ob multitudinem viatorum, quos vix ulla caperent diversoria; quippe cum militibus, rhedariis, cæteroque comitatu, plus centum quinquaginta homines simul proficiscebantur. Primis quidem diebus, dum ventum est Alaexos, Ruedam, Villamnovam ad Durium, atque ad alia finitima oppida, ab honestissimis nobilium oppidorum incolis perhumaniter, et liberalissime excepti sunt omnes. Ruedæ primores, cum aliter obtinere non possent a ductore Patrum, ut hos in ipsorum domos divertere pateretur; intrepide testati sunt, se facultatum suarum, atque adeo capitis sui periculo pro Patribus spondere. Quorum generosam vocem admiratus ductor, votis illorum annuit, testisque fuit nobilissimæ contentionis, qua singuli quamplurimos secum ducere nitebantur. Sed postquam Burgensem urbem egressi, per asperos Pæsicorum montes iter fuit ineundum, immensum esset referre, quanta laborum moles ex confecta jam via defatigatis accesserit. Nam præterquamquod montanus ille tractus hospitiorum infrequentia, et incommoditate laborat, illud etiam accidit perincommodum: quod vir ille, cui incumbebat, quæ ad profectionem opus essent, subministrare; cibaria quidem, quantum longo proficiscentium agmini Burgos usque sufficeret, sarcinis imponenda curavit; lecti vero supellectilem nullam prorsus imposuit. Inde non leve plerisque incommodum insurrexit: nam sæpe aut quibus vehebantur in curribus, aut in stramine, vel scamno, aut nuda etiam cubandum erat in humo. Et quanquam infirmiorum commodis, quantum regionis, et itineris ratio ferebat, accurate prospiciebatur, quia tamen inter illas rerum angustias, et inevitabiles viæ molestias, ægrotis impensa cura eorumdem necessitati par esse non poterat; Joannes propterea nimis defectus viribus, et lenta jam febre correptus, Sanctanderum devenit. Hic subito adhibita medicamenta; eorum tamen ope vis morbi nihil remisit. In hoc autem tam afflictæ valetudinis statu non modo nihil ipse molitus est, ut in natali solo, cujus fines

nes

nes vel nollens jam attingebat, relinqueretur; sed potius, ut ne suis dissociaretur a fratribus, quantum potuit, enixe contendit. Atque hoc sacrificii genus, quo salutem et vitam difficili, sibique periculosæ navigationi voluit expositam, ut illius status officiis, in quem a Deo vocatus fuerat, perfectius satisfaceret, videtur ipse Deus acceptum habuisse, et ferventibus optimi juvenis votis annuisse libenter. Etenim multorum conatus, qui plurimum auctoritate valebant, et, ut Joannes in Hispania consisteret, summa vi nitebantur, irritos reddidit et inutiles.

Joannes itaque, in Italiam transmissurus, navem conscendit. Et a quo die Sanctandero solvit, usque dum Urbetellum attigit, indeque, velificatione conversa, Corsicam repetiit, præter molestias cæteris vectoribus in longa maris trajectione communes, magnis ex morbo conflictatus est angustiis. Omnia tamen incommoda invicta patientia, et singulari cum divina voluntate consensu toleravit. Quotquot eum vel casu, vel dedita opera observarunt, illius animi constantiam, et tranquillitatem admirati sunt vehementer, cum nullam aut querelæ, aut impatientiæ significationem in tanta defatigatione, ac labore editam ab eo fuisse, animadverterent. Noctes plerumque ducebat insomnes ob profundæ, et aridæ tussis frequentiam, cujus violento impetu intima viscera convellenda videbantur. Et cum adeo miserandum in modum noctes fere singulas torqueretur, sui laboris oblitus, eo vel unice dolore angebatur, quod suæ tussis strepitu somnum cæteris prope cubantibus impediret. Inter alios, qui ad eum consolandi, vel inserviendi causa veniebant, quidam illum quotidie mane invisebat: et, si quando, commiseratione tactus, sermonem inferret de vehementiore tussis æstu, quo nocturnis horis premebatur, dum reliqui corpora curabant somno; Joannes solita sibi tranquillitate respondebat: *Atqui nox ista non adeo molesta mihi fuit, ut existimas*. Sed cum lenta vis morbi magis in dies illius vires perederet, visum est Superioribus, ut in ipsa navi, licet prope jam abesset a Calvio, sanctissimum Eucharistiæ viaticum acciperet: quod ille magno pietatis sensu recepit, cum prius ardentissimis votis, aliisque virtutum actibus se ipse excitasset ad divinum excipiendum Hospitem, cujus arbitrio corpus et

ani-

animum, vitam et mortem suam liberrime permittebat. Actum deinde fuit cum Præfecto navium, ut ante indictam cæteris excensionem, Joannes quam primum in terram exponeretur, si forte quieta cubatione meliuscule haberet, et aliqua morbi ad lætiorem spem fieret inclinatio. Sed irreparabili phthisi adeo jam erat confectus, ut descensioni solum octo dies supervixerit.

Hoc ille temporis spatium heroica patientia, singulari pietate, multisque aliarum virtutum exemplis insignivit. Appropinquantem mortem sereno adeo vultu, et imperterrito animo contuebatur, ut tenerrimos sensus in iis, qui circum ipsum aderant, excitaret. Et, quod memorandum est valde, in tanta animi tranquillitate, et in conspectu mortis, ita sine ullo suo delectu a divina voluntate pendebat, ut neque diutius vivere, neque item citius emori desideraret; nequis sub aliena specie minus purus latenter obreperet affectus, vitandi videlicet, aut valetudine, aut morte accedente, quas patiebatur morbi molestias. Ex iis, qui ad eum invisendum per hos dies adventabant, quos omnes ille placidissimis verbis excipiebat, quidam spem ipsi conabatut injicere de recuperanda valetudine, siquidem deductus erat in terram. At Joannes: *Mihi jam*, inquit, *vitæ spes nulla reliqua est*: *sed modone*, *an longe post moriar*, *nihil pensi habeo*. Alteri, qui biduo antequam obiret, illius mortem invidere se dixit, ita respondit: *Nescio equidem*, *utrum commiseratione dignus sim*, *an invidia*. *Illud tamen affirmare non dubitem*: *vestram hic remanentium sortem miserandam potius mihi videri*, *quam invidendam*. Extremæ unctionis Sacramentum plene sui compos recepit, et ad singulas Sacerdotis preces cum ferventi religionis significatione respondit. Deinde, cum se collegisset ad agendas Deo gratias pro suscepto mente adhuc integra singulari hoc munimine contra postremos hostium incursus; eliciendis virtutum actibus, qui tempori maxime congruebant, fere horam impendit, post quam placide expiravit, suumque Deo tradidit spiritum, qui eum tot beneficiis cumulaverat. Ejus mors incidit in ante diem IX Kal. Augusti, anni MDCCLXVII, cum natus esset annos sex et viginti nondum expletos, e quibus fere octo degerat in Societate Jesu.

In

In omnibus, qui cum eo degerant aliquando, et maxime in Theologiæ auditoribus, qui frequentius et familiarius cum eo communicaverant, magnum sui desiderium, gratissimamque memoriam reliquit: cunctique uno ore fatebantur, Joannem Cosium unum e juvenibus fuisse, ad omnes Instituti nostri numeros in primis exactum. Erat enimvero præclaris naturæ dotibus ornatus, quibus ille deinde tam insignia virtutum decora, opitulante gratia, conjunxit, ut eorum oculos et animos, quibuscum versabatur, ad se converteret, et alliceret. Mentem sortitus erat tersam, ac nitidam, et a violentis phantasiæ impressionibus liberam, quæ aliis cum ad scientias, tum etiam ad virtutes comparandas impedimento solent esse non modico: judicium rectum, et prudens, ab omnique præcipiti sententia, vel cæca suspicione prorsus alienum: voluntatem sponte sua propensam in bonum, et ad inserviendum omnibus maxime pronam, ab optandoque malum cuiquam penitus abhorrentem. Ad exercenda caritatis, et pietatis officia promptus erat, ac diligens: in continendis, moderandisque animi motibus vigilantissimus: silentii, ac solitudinis amans: in communi vero consuetudine ad modestiæ leges ita compositus, ut cæteri eum præcipua quadam veneratione, ultra quam ætas posceret, prosequerentur. Quin etiam illius Magister affirmabat, se verba, quæ Joanne coram facturus esset, sedulo metiri, ac perpendere pro ea, qua interius ferebatur in ipsius discipulum reverentia.

Earum virtutum, quas interposita voti religione Deo promiserat, curam habuit singularem. Paupertatem religiosam non secus ac matrem adamavit, nihilque vel minimum sine expressa Superioris facultate vel ipse recepit, vel aliis elargitus est unquam. Non semel imaginem in papyro effictam, sacrumve numisma petentibus, ea tantum de causa denegavit, quod prævium ad id consensum non obtinuisset: neque curabat tenacis, aut subrustici notam, quam in ejusmodi reculis denegandis posset incurrere, dum ne levissimam quidem in voti perfectione labem permitteret. Nec minus solicitus fuit in castitate servanda, quam ut illibatam custodiret, per intercessionem S. Aloysii Gonzagæ singulari Dei privilegio usus fuisse videtur. Id ego illius referam verbis, qui Joannis spiritum in-

time perspexit: „ Hæc ( S. Aloysii ) gratia, fuit intentissima „ illa cura, qua Joannes in servando voto castitatis excelluit... „ Neque his illa definita fuit terminis, sed eximia fuit, pro- „ pemodumque singularis. Non modo ab omni defectu abhor- „ rebat, qui vel levissimæ imperfectionis speciem contra pu- „ ritatem referret; sed singulari Dei beneficio, ne primos qui- „ dem patiebatur insultus suggestionum illarum, e quibus, seu „ veræ illæ sint, seu tales esse fingantur, purioribus etiam ani- „ mis, vel ob innatam imaginandi vim, vel nimiam ob timi- „ ditatem, aut solicitos mentis angores, maxima et patientiæ, „ et meriti messis exurgit „. Obedientiæ partes quo melius impleret, non modo prompte et alacriter imperata faciebat, sed Superiorum placita, voluntatis judiciique sui cum eorumdem consensione, ut sibi etiam placerent, satagebat. Nunquam proinde ullum ei verbum excidit, quo majorum decreta minus sibi probari significaret: quin imo, quibus poterat argumentis, recta illa esse ac justa, et sibi, et aliis persuadere nitebatur. Tutissimam hanc obediendi viam non tantum in gravioris momenti rebus tenebat; sed in levioribus etiam, et quas minus attenti vix dispicerent, ita constanter sequebatur, ut ad minimas etiam Præsidum insinuationes et exequendas, et approbandas, congruentissima rationum momenta semper haberet in promptu. Quod si non aliud interdum occurreret; præter generale illud verissimumque principium, Superiores multo plura prospicere, quæ inferiores lateant necesse est; hoc etiam addebat aliquando: Rectorum munere funguntur ipsi; idque satis superque esse debet, ut eis obsequium in iis etiam, quæ minus grata fuerint, exhibeamus.

Ad egregiam hanc obedientiæ laudem, quæ ultra sedulam injunctarum rerum executionem, unanimem etiam voluntatis, et judicii privati cum imperantium judicio, ac voluntate conspirationem requirit, eo facilius pertingere valuit, quo altiores in ejus corde christiana humilitas egerat radices. Hæc sane virtus fuit, quæ in eo forinsecus magis emicuit, cujus etiam in variis religiosæ vitæ eventibus illustriora dedit exempla. Ab omni verborum fastu, quæ sibi commendationem aliquam apud audientes quacumque demum ex parte sibi posset ingenerare, diligenter abstinuit. Firma animi inductione sibi persuaserat,

idem-

idemque aliis persuadere sæpe contendit, se ingenium habile et idoneum ad severiores scientias neutiquam habere; cum tamen a Superioribus ex unanimi Consultorum sententia ad primaria Scholæ munera obeunda fuerit designatus. Id sibi suus cum denuntiasset Magister, Joannes primum obstupuit, deinde tantam inexpectati nuntii displicentiam ostendit, ut opus fuerit Magistro, paucis eum, sed in rem præsentem appositis verbis hortari, et compellere, ut iis, quæ Superiores decreverant, assentiretur. Hic vero Joannes, qui pridem suam exuerat voluntatem, ut ab aliorum, præsertimque Moderatorum arbitrio penderet omnino; hæc duo inter se, ut sibi quidem videbantur, extreme pugnantia vix poterat conciliare: suam hinc ineptitudinem, quam pro demississima sui æstimatione, aperte se videre credebat: inde electionem, ut primas inter condiscipulos partes ageret, quam minus rectam, quippe a Superioribus profectam, non audebat existimare. Citissime tamen, ut nodum solveret, hæc in mentem subiit cogitatio: Superiores, ob eximiam ipsorum benignitatem, suam Joannis inscitiam, nullamque habilitatem plane non advertere, proptereaque de se melius, et honorificentius, quam pro meritis judicare. Vilem hanc sui existimationem deinceps perpetuo fovit, eidemque immortuus est.

Huic firmissimo humilitatis fundamento cum esset innixus, tam longe ab inanis gloriæ studio aberat, ut in literariis actionibus doctrinæ suæ specimen dare, non ostentationis, sed officii implendi causa, pro virili quidem parte contenderet: quod si nihilominus illæ non tam feliciter interdum successissent, nihil inde mœroris, nihil turbationis reportabat. Id utique accidit in publica disputatione, quam primam Salmanticæ habuit, in qua Joannes ob fortuitum, nimisque insolitum casum expectationi, quam de se moverat, non satis visus est respondisse. Sed absoluta disputatione, tam placido tranquilloque vultu semet exhibuit, ut singularem ipsius humilitatem, et inmotam animi pacem omnes suspexerint. Cum aliqui deinde, cui ejus doctrinæ copiam, et ingenii præstantiam optime perspexerant, de iis, quæ in disceptatione contigerant, cum eo dolerent, Joannes ita reposuit: „Quod „vos infortunium dicitis, id ego, citra meam culpam eve-

„ nisse, maxime lætor: sic enim tandem Superiores agnoscent, „ quam ego ineptus sim, ac nullius pretii „. Sed quanquam honoris et laudis non esset appetens, neque timor illum solicitaret, ne aliquando literario in certamine ob infelicem exitum (quod aliis multum negotii facessere solet) rubore suffunderetur; nunquam tamen obtinere a se potuit, ne illius animus quasi sponte sua refugeret ab ea, quam diximus, designatione, ut in primis Provinciæ cathedris docturus olim sederet. Itaque, dum primos illius morbi sensit insultus, qui tandem ei vitam eripuit, hæc una spes illum recreabat, fore ut Superiores eum ab incepto cursu propter suam valetudinem, vel ipso tacente, removerent, aliumque sufficerent aptiorem.

Ex eadem profundæ humilitatis radice pullulabat altissimum illud silentium, quod æque suis in rebus, atque in alienis servabat, quando aut sibi commoda, aut aliis incommoda sua verba possent accidere. Dum Methymnæ degeret, febri quartana correptus est, quæ diu illum multumque vexavit: quo tempore, præter febriles molestias, quas patientissime toleravit, valetudinarii Præfectum indiligentem adeo nactus est, ut is Joannis lectum tredecim ipsos dies omiserit sternendum. Eam autem incuriam ita tulit, ut neque conquestus sit ipse, neque per alios, ut benignius haberetur, efficiendum curaverit. Salmanticæ vero, cum quiddam levioris momenti turbatum fuisset apud nonnullos Theologiæ auditores, Doctor, quem Joannes quotidie in Academiam comitabatur, mirari se dixit, quod ab eodem de iis, quæ acciderant, non fuisset edoctus. Cui Joannes integro animo: „ Si credidissem, in- „ quit, huic qualicunque malo mederi te posse, illud utique non „ te celassem: sed cum id ipse non possis, nescio equidem, „ hujusmodi rumusculos ad aliorum aures effundere, quid tan- „ dem prosit „.

Hæc vitæ ratio fuit, quam tenuit Joannes Baptista Cosius per octo annorum spatium, quos egit in Soc. Jesu. Videtur autem potentissimus ejus, idemque beneficentissimus Patronus S. Aloysius clientem suum, ut is eum in vita sequi studuerat, morientem quoque multis sibi partibus similem reddidisse. Nam et in ipso fere limine juventutis, cum Theologicis adhuc vacaret studiis, antequam gravissima Sacerdotii one-

onera subiret, et eodem atque ille tabifici morbi genere sublatus est. Nempe jam cœlo maturum, eo sperandum est avolasse, ut innocentis vitæ suæ, mansuetudinis, obedientiæ, ac demissionis, cæterarumque virtutum uberrimos, et suavissimos fructus colligeret, ac degustaret. Cujus rei non levem conjecturam ex hoc eventu facere posse videmur, quo brevem hanc ipsius vitæ narrationem concludam, et quem P. Bonaventura Rada, vir magnæ fidei et prudentiæ, nostrique Joannis Magister, sua manu scriptum reliquit. „ Paucis, ait, post illius obitum diebus, cum quidam e nostris magnis animi conflictaretur angustiis, ad templum, Deum precaturus, accessit. Cum autem inter orandum animadvertisset, supplicem se juxta sepulcrum Joannis procumbere, quocum familiariter egerat, et cujus de virtute magnam susceperat opinionem; incitari se sensit, ut ejus se meritis commendaret. Itaque ad Deum conversus, his eum magna cum fiducia deprecatus est verbis: *Domine, per merita hujus servi tui, fratris mei, quem jam tuo conspectu beari confido, quam a te peto gratiam, mihi, quæso, largiaris*. Asserit autem idem ipse, ab oratione sua animo non parum confirmato prodiisse, et cogitationem illam, quæ mœrorem injecerat, jam tum evanuisse, cui pax, et gaudium, quo fruitur in præsentia, successit „.

EM-

## EMMANUEL ANTONIUS AMEZQUETA.

Ad Pyrenæi montis radices, qua is ad superiorem Navarram vergit, tractus est non exiguus, quæ Vallis Gonniensis dicitur; in eaque oppidum Azanza intra Diœcesis Pompelonensis fines situm est. Hic ex honestis, et locupletibus genitoribus in lucem editus fuit Emmanuel Antonius Amezqueta, ineunte anno quadragesimo primo seculi decimi octavi. Cum adhuc literarium ludum frequentaret, commodum in eas partes devenit P. Sebastianus Mendiburus S. J. per universam Navarram, et Guipuzcoam sacris susceptis expeditionibus celeberrimus. Is modo ab Illmo Episcopo Pompelonensi missus, ut Vallisgonnienses populos spiritali cultura exerceret, suæ missionis munere perfuncturus, Azanzæ constitit, cum puer Emmanuel undecimum ætatis annum expleverat. In ea ætatula tam attente et avide omnes illius Patris declamationes, et instructiones excepit, ut virum jam maturo judicio præditum credidisses. Voluit insuper apud eundem omnes brevissimæ adhuc vitæ suæ labeculas generali confessione expiare: idque tam humiliter, modeste, et ordinate confecit, ut Mendiburo spem magnam fecerit, fore, ut quæ cœlestis doctrinæ semina tenero illius animo insevisset, in copiosos virtutum fructus excrescerent. Hac spe ductus, seu potius Dei motus instinctu, qui puerum ad singularem morum perfectionem designaverat, de ratione vitæ optime deinceps instituendæ peculiari studio edocendum curavit. Atque inter alia, teneris illius annis maxime propria, rationem sacratissimi Cordis JESU pie ac religiose colendi, quam popularibus suis e suggestu publice proposuerat, ei privatim exposuit, et commendavit. Utilissimum hoc, et a nobis benemerentissimo Deo maxime debitum pietatis officium, tam mature initum ab Emmanuele, in posterum ab eodem assidue potius fuit auctum, quam unquam intermis-

missum. Ut autem et hoc, et alia salutis monita, quæ sibi tradita fuerant, fideliter exequeretur, tenellus et elementarius puer templum crebro subibat: ibique partim lectioni libri, qui de mirabili Christi erga nos amore in Eucharistia præsertim agebat, partim meditationi tam longa spatia temporis dabat, ut conterraneis suis admirationem, et stimulos ad imitandum injiceret. Frequenter etiam, quamvis non sine incommodo, confessionis, et altaris Sacramenta percipiebat. Cum enim apud Azanzæ Curionem, utpote sanguine sibi conjunctissimum, conscientiam deponere non auderet, neque alius esset ibi Sacerdos audiendis confessionibus destinatus; sæpius in proximum oppidum duo millia, nonnunquam Pompelonem usque sexdecim millia passuum jejunus conficiebat, ut suæ satisfaceret religioni. Hunc sane commendabilem vitæ ordinem impubes tenuit Emmanuel.

Postquam primas literas in patria didicerat, ut humanioribus impertiretur, primum in alias illius Regni scholas, postremo in Societatis Collegium Pompelonense missus est a Parentibus: ubi etiam, absolutis humanitatis studiis, triennium in Philosophicis, tantundemque in Theologicis posuit. Longum hunc literarium cursum ita peregit, ut adolescentibus, qui magna frequentia in eas confluebant scholas, singularis diligentiæ et ad literas, et ad virtutes comparandas maximo fuerit documento. Cum enim otio inutili, superfluis lusibus, periculosisque spectaculis non inserviret, multum sibi temporis suppetebat, ut scientiis, ac Deo vacaret. Cum primum Philosophiæ limen attigit, Congregationi S. Aloysii, quæ ibidem celeberrima erat, pulcherrimarumque virtutum fructu fœcundissima, voluit adscribi, ejusdemque leges ad unguem observandas curavit. In iis decretum erat, ut semel in mense Congregati cœlesti pane simul reficerentur universi: ut item singuli quotidie, divinum Sacramentum veneraturi, templum aliquoties adirent. Duplicem hanc christianæ pietatis exercitationem et utilissimam omnibus, et studiosis adolescentibus minime operosam, non modo nunquam prætermisit Emmanuel, sed illa cumulatius, quam sibi præscriptum fuerat, utebatur. Nam cœlesti convivio non semel tantum intra mensem cum cæteris accumbebat, sed ter etiam, aut quater, nonnunquam

plu-

pluries, juxta illius Sacerdotis consilium, quem sui Magistrum spiritus delegerat: qui perspecta illius vitæ innocentia, ingentique desiderio in virtutibus, et Jesu Christi amore progrediendi, largum Angelici panis demensum facile ipsi concedebat. Et ex hoc ardenti in Christum affectu, ad eum frequenter adorandum, rapiebatur in templum. Etenim præter statas illas, et breves visitationes, quas Sodales Aloysiani facere tenebantur, ipse vacua studiis tempora sibi sæpissime desumebat, ut templum adiret: ibique in secretiorem aliquem locum discedens, genibus humi deflexis, ad longam moram tam modesto corporis habitu perstabat immotus, ut intuentibus tenerum pietatis sensum injiceret.

Dum vero Theologiæ jam operam dabat, præclarum valde suæ religionis, et amoris erga Christum in Eucharistia delitescentem argumentum exhibuit. Qua die Pompelone de more gentis agitandi erant tauri, Scholæ Marianæ Sodales, juxta ipsorum institutionem, aliud longe dissimile, Deoque et Angelis gratissimum præbebant spectaculum. Divinissimum altaris Sacramentum in templo Societatis publicæ exponebant venerationi, civibus æris campani pulsu admonitis, siqui vellent, relictis tauris, eodem convenire: Tobiam scilicet imitaturi, qui spretis aureis Jeroboami vitulis, Hierosolymam Dominum adoraturus pergebat. Signo igitur edito, quidam illius Collegii Pater in superius templi odeum ingressus, inde conspicatus est Emmanuelem, qui jam tum ante Sacramentum supplex ac venerabundus prociderat. Id ille miratus est valde, non quod ab Emmanuelis pietate, jam sibi nota, reputaret alienum; sed quod sciret, eum illo ipso die magnis amicorum precibus et obtestationibus fuisse solicitatum, ut taurorum adesset agitationi, et ad plateam in condictum antecœnio locum accurrere nullo pacto prætermitteret. Maximas proinde Deo gratias egit, quod juvenem tanto animi robore confirmasset, ut taurilibus contemptis ludis, et geniali convivio, longe suaviores delicias, immensumque majus spectaculum in Jesu Christo, super aras pro nobis commorante, quæsisset: quippe quo pascendis animis, et insatiabilibus hominis appetitibus mitigandis nihil sit aptius. Sacra demum solemnitate post duas horas peracta, Pater in suum discessit cubiculum, ubi explendis sui muneris partibus

non

non parum est immoratus. Post hæc in odeum ipsum regressus, Emmanuelem eodem quo prius loco submissis adhuc genibus orantem animadvertit. Neque levem hoc uno ex facto conjecturam fecit, quam ille diu, quamque assidue id genus obsequia Servatori præstaret, qui tali die, tot amicorum efflagitationibus ad omnia alia stimulatus, ante aras tamen positis humi genibus tam longa mora perseveravit.

Ut autem a mundanis rebus longius abesset, propiusque ad Deum accederet; quanquam primum in Clero seculari mereri, animum induxerat, binaque jam obtinuerat Sacerdotia; deinde tamen nuntium mundo remittere, religiosamque inire vitam decrevit. Hoc executurus consilium, postquam alia magna constantia, sed irrito successu tentaverat, Societatem Jesu petiit, et obtinuit. Missus itaque Villamgarsiam, ibidem pro ultramarinis Provinciis, ipso adnitente, tironibus annumeratus est die quinta Octobris anni 1763. Hic enimvero ingens illius ad studia virtutum ardor copiosum et aptissimum pabulum invenit. Ac licet optimam vitæ rationem fuisset adhuc persecutus, quia tamen ad continendos perturbatos animi motus, elidenda vitiorum semina, et virtutes altius inserendas, corporis macerationem plurimum conferre didicerat; cœpit in primis severe in seipsum jejuniis, ciliciis, et flagellis animadvertere. Quod si tirocinii Magister Emmanueli, pro eo quantum ille exoptabat, frenos ad austeritatem laxasset, testatur idem, vitæ suæ fines non parum contractiores fuisse facturum. In cibo moderationem ita servabat, ut a lautioribus abstineret: singillatimque panis saccharo et ovis conditi usum, nisi dum ægrotaret, sibi interdixit: eumque tum ideo non recusabat, ut notam effugeret novitatis. In illud deinde pari studio animum intendit, ut per accuratum rerum spiritualium usum, præsertimque per frequentem et apparatissimam sanctissimi Corporis Christi sumptionem, ipsi magis intime in dies singulos uniretur, et Beatissimam ejus Matrem per obsequia eidem maxime placita sibi conciliaret.

His vero adjumentis quantum in utriusque amore processerit, schedæ illius, a flammis, quibus eas ipse jamjam moriturus damnaverat, reservatæ demonstrant. Ex his enim apparet, antequam primum sui tirocinii annum explesset, vehe-

mentiori jam Deo placendi flagrasse desiderio, istudque cum trahendis ad Deum hominibus, tum etiam virtutibus exercendis comprobandi. ,,Cupio, inquit, dilectissime Jesu, omnino ,,gratum tibi facere omnibus vitæ meæ, imo etiam totius æter-,,nitatis momentis. Et quia te unice diligo, cupio etiam om-,,nes ad te noscendum et amandum perducere: simulque om-,,ne virtutum genus, quæ me maxime decent, ejusdem amo-,,ris impulsu exercere. ,, Opemque imploraturus, ad tam in-,,gentia perfectionis vota complenda, sermone in Virginem Matrem converso, ita pergit scribere. ,, Sanctissima Virgo, ,, ego Emmanuel Amezqueta, eo tandem cupidus evadendi, ut ,, tibi sim vere devotus, in Matrem ac Dominam meam coop-,,tatam et electam te volo: oroque suppliciter, ut memet in ,, filium, licet indignum, ipsa recipere non graveris. Illud ,, etiam tibi recipio, obsequentissimum me tibi fore; semper-,,que quod tibi gratissimum esse cognoverim, effecturum. ,, Opem itidem meis necessitatibus, et afflictionibus implora-,,turus, filiali ad te fiducia recurram.,, Hæc autem incensa desideria, sive proposita, quibus totius fere virtutis summa continetut, non ex subitanei cujusdam fervoris impetu, sed ex firma animi sententia, maturaque deliberatione fuisse profecta; illud non leve fuerit argumentum, quod ea non semel in consequentibus annis instauraverit, et reliquo vitæ suæ tempore diligentius eadem servare decreverit, ut ex ipsius constat adversariis.

Hoc igitur jacto excelsæ perfectionis fundamento, cum jam tirocinium posuisset, votaque biennii nuncupasset, Compostellam mittitur, ubi annum fere commoratus, Grammaticam docuit. Ibidem Sacerdos fieri jussus est, ut cum in Americam venisset, maturius posset incolas adjuvare. Inde in Collegium Legionense pertransiit, eodem munere perfuncturus. Sed vix eo devenerat, cum Hispalim a Paraquariæ Procuratoribus evocatus, in Collegio S. Hermenegildi menses duos semis constitit, ut Philosophiam recoleret, ejusque periculum subiret: quo facto, in Portum S. Mariæ venit, ut opportunum in Paraquariam trajiciendi tempus opperiretur. Interea, cum jam res Societatis perturbari cœpissent, Americæ Procuratoribus indictum, nequem in eas partes mitterent, qui prius

Sa-

Sacerdotio non fuisset initiatus. Cumque inter vicenos fere, qui tum mittendi erant, plerique tirones essent, Sacerdotes admodum duo, quorum unus Emmanuel, ipse cum reliquis in Collegium S. Hermenegildi reverti coactus est. Vix dum ab hoc itinere respiraverat, cum edicto Regis comprehenditur, ab Hispania cum cæteris omnibus exterminandus. Hoc pacto transmissione Americana in Italicam commutata, primum aliquot dies, dum reliqui conveniunt, apparaturque classis, Astæ Regiæ detinetur inclusus: deinde Gadibus, Centumcellas profecturus, navem conscendit; et post varios casus, multiplicesque in Tyrrheno præsertim mari discursus, tandem ad Argaiolam, miserrimum Corsicæ oppidulum ad occidentalem insulæ oram, cum plerisque Bæticæ Provinciæ Patribus exponitur. Duos hic menses in magnis rerum omnium angustiis commoratus est. Cum autem Castellani Patres, qui Calvium eodem tempore delati fuerant, quanquam maximis et ipsi difficultatibus, et armorum strepitu impediti, tamen ad leniendas exilii molestias, et juventutem facilius in officio continendam, asportatis e continenti libris, Scholas pro diversis studentium gradibus constituissent; Emmanuel, bene volentibus Superioribus, Calvium, quod ab Argaiola trium vel quatuor horarum itinere maritimo distat, cum tribus aliis adolescentibus commigravit, ut intermissum diu Theologici studii cursum perficeret. Adscriptus igitur denuo Castellanæ Provinciæ Sociis die 15. Septembris, inter eos Mendiburum illum, de quo supra meminimus, cum ingenti animi sui gaudio reperit: et quem a puero, ad ingrediendam et persequendam pietatis viam, auctorem et hortatorem habuit, quem etiam absens per literas sæpe consuluit, eodem nunc assiduo contubernali, et sui spiritus moderatore usus est: cumque jam in extremis ageret, eundem auxiliatorem experientissimum, et opportunum consolatorem obtinuit.

In hoc tam vario, multiplicique itinerum terra, marique discrimine, quæ unius anni spatio confecit, a Compostella Legionem, inde in Bæticam, a Bætica in Italiam profectus, quin uspiam pedem fixerit ad trimestre; ab optimis, quos jam pridem induerat, moribus, et ab iis religiosæ vitæ principiis, quæ sibi ab tirocinio servanda proposuit, nunquam discessit. Nam ubicun-

que

que gentium degeret, eo cogitationes suas omnes intendebat, ut quotidie propius ad Christum accederet; aliosque ad illius amorem et cultum, quibuscunque modis posset, adduceret; seque ipse per assiduas virtutum exercitationes ad id magis idoneum redderet; ac demum ut Beatissimam Dei Matrem sibi et viventi, et morituro demereretur. Etenim illius amor in augustissimum altaris mysterium, quem in patria puer ebibit, Pompelone auxit, Villægarsiæ perfecit; dum Compostellæ ad Sacerdotalem evectus est gradum, majorem exarsit in modum. Ex eo tempore ad aras operari maximis habuit in deliciis: neque constat, eum, dum liber in Hispania degeret, unquam sponte sua Missam celebrare prætermisisse. Celebrabat autem, diligenti præmisso apparatu, magna comitante reverentia, et ferventi gratiarum actione subsecuta. Hic autem illud observare non desinam, quo peculiarem Deus dilectionem erga Emmanuelem, et castos novelli Sacerdotis amplexus quam sibi gratos haberet, ostendisse videtur: eum, præter receptissimum in Provincia morem, statim a tirocinio in Presbyterorum album fuisse receptum: neque vel ad Philosophica repetenda studia, vel Theologica perficienda, ut erat proclive, sed in Compostellam fuisse destinatum, ut maturrime Sacerdos factus, posset quam proxime, et quam frequentissime cum Domino communicare. Argaiolæ, et Calvii, quibus in locis maxima fuit exulibus, initio præsertim, et altarium, et ornamentorum penuria, Emmanuel noster in quinquemestri spatio, quo vitam comitem habuit, si unum aut alterum diem excipias, rem divinam facere non omisit. Id tamen sine labore, et industria, quam suus sibi amor in Christum suggessit, non obtinebat. Namque vel multo mane surgens, cæteros mature præveniebat; vel, si alios æque solicitos offendisset, ad meridiem usque jejunus expectabat: sicque sine ullius incommodo, et sine illorum præjudicio, qui dies in singulos ad Sacrum celebrandum ex ordine designabantur, ipse fere quotidie celebravit. Præterea sæpius interdiu neque obiter, solitus erat Dominum invisere. Et quidem Astæ, dum in custodia detineretur, et Argaiolæ, cum utrobique longum sibi ab aliis occupationibus otium suppeteret, integras quotidie horas, nonnunquam etiam solidum mane Missis audiendis, medi-

ditationibus, et suavissimis cum Jesu colloquiis miscendis impendebat.

Ex hac frequenti, et intima cum Jesu Christo consuetudine, qua suus in eundem amor et prodebatur, et augebatur in dies, ortum etiam, et incrementum habuit æternæ proximorum salutis procurandæ desiderium. Hoc eum impulit inter alia, ut Societatem Jesu eo pacto inire voluerit, ut ad Indos opportuno tempore mitteretur, quos inter plurimos esse dolebat, qui miseranda fame interirent, propterea quod nullus esset, qui eos cœlestis doctrinæ pane reficeret. Et quanquam id, quod mirifice optabat, exequi non potuit; in Hispania tamen, dum licuit, proximos strenue juvare non desiit. Cum venisset Compostellam, doctrina morum, quam Pompelone degustaverat, duos intra menses ita fuit imbutus, ut statim ad destinatam confessionibus sellam accesserit. Neque id satis habens, neque labore fractus pueros erudiendi, quos simul etiam cum literis ad omnem pietatem informabat, Collegii Rectorem adiit, ab eoque rogavit impense, ut quoties cives Sacerdotem aliquem peterent, qui proxime morituris adesset, se mittere non recusaret: sic enim, ajebat, ad expeditionem Indicam proludere oportet, et hic experientiam capere ad ea præstanda, quæ dum vita maneat, inter miserrimos illarum gentium homines exequi, summis in optatis habeo. Et licet Rectori tum acquieverit reponenti, satis superque esse, si docendi muneri satisfaceret, consuetaque ministeria domi exerceret; paucis tamen post diebus eum denuo convenit, et petitionem suam sic instauravit, ut non potuerit Rector non exorari. Quare, ut illius pio desiderio morem ex parte gereret, festis aliquot et feriatis a Schola diebus eum ad opitulandum ægrotis designabat: quod ille sic efficiebat, ut propterea Cathedræ nihil deesset. Et, quod perfectissimam agendi rationem continet, tum hoc, tum aliis erga proximum officiis, tanquam adminiculis utebatur, ut altius in amorem Dei conscenderet: sic enim ipse in commentariolo suo scriptum reliquit. Propterea que apud se statuit, pauperrimos et abjectissimos quosque singulari quadam benevolentia complecti, et quibuscunque rebus posset impensius fovere, quippe quos ipse Dominus inter cæteros maxime commendavit. Sic eum fecisse

se

se Compostellæ constat, ubi cum ad audiendas confessiones sedisset, quanquam omnes benigne excipiebat, jucundiore tamen voluptatis sensu perfundebatur, quoties pauperes ad ejus pedes accederent, quorum copiosi greges Compostellam peregrinationis causa conveniunt. Id ipse familiari suo testatus est aliquando, ut eum ad subveniendum pauperibus hortaretur.

Ut eam, quam in juvandis hominibus operam impendebat, et sibi, et illis redderet utiliorem, indefessum solidarum virtutum studium adhibuit. Etenim, ut actiones, cogitationesque suæ omnes in altissimum perfectionis scopum collinearent, duo hæc principia sibi servanda proposuit, quibus totius summa virtutis, et maximum ad eam incitamentum continetur. *Dominum Jesum semper tibi præsentem objicies, ut eum et ferventius ames, et imiteris perfectius: quidquid autem aggrediaris, illud attente perpendes, quo tandem modo idipsum Dominus exequeretur*. Alterum: *Sic tibi persuadeas, opus quantumvis minimum ac vile, Deo unice placendi, eundemque honorandi gratia perfectum, infinito pluris apud Deum haberi, quam præclara et illustriora quælibet alia facinora, quæ prædicto fine sint vacua*. Hinc filialis in Deum fiducia difficillimis etiam in rebus, magnaque suæ cum divina voluntate consensio, quibus ab homine Dei gloriam maxime promoveri, eidemque gratissimum obsequium exhiberi credebat, non secus atque alia virtutum ejus decora progerminarunt.

Dum Hispali, in exilium exigendus, est captus, quanquam trajectum ad Indos ardentibus votis optabat, continuo sibi persuasit, Deum ipsius apud illas gentes opera, tum certe, uti non velle: et optatissimæ expeditionis nec opinatam frustrationem tam æquo animo tulit, tanquam si certo agnovisset, illuc profectum, nemini unquam ex usu futurum. Cum appulisset ad Corsicam, ubi verius in actam projectus est, quam Argaiolam deductus, tectum quo se reciperet, cœpit anquirere: ac postquam multa frustra tentaverat, semidirutæ domus stabulum ægre tandem invenit, idque magno sibi pretio elocatum. In eo gurgustio, postquam illud purgaverat aliquorum adjutus opera, quibus sors eadem obtigit, cum iisdem non paucos commoratus est dies. Sed præter habitationis incommoda illud longe majus accessit: pensionem, quam ei Rex

Ca-

Catholicus perinde ac reliquis assignaverat, alius quidam Emmanueli, peracta navigatione, tradendam acceperat. Verum ecquis ille esset, aut quo demum tempore sibi tradenda foret, quanquam id apud cæteros pervulgatum erat, Emmanuel ignorasse videtur. Nam cum esset silentii, ac recessus amantissimus, vel in ipsa navi secretum sibi reperit locum; unde mirum non fuerit, si sermones, qui super hac re ab aliis habebantur, ipse non exceperit. Primis igitur diebus, postquam Argaiolæ pedem fixerat; cum plerique sociorum, et is inter eos, qui pensionem regiam cæteris distribuendam acceperat, Calvium usque navigassent, phaselis inde per vices Argaiolam reducendi, timore aliquo videtur fuisse pertentatus; sive is ab ignoratione sua, sive a Dæmonis oppugnatione processerit. In his rerum angustiis quo se verteret, non habebat: etenim ab miseris insulanis sperare nihil poterat, et ab Sociis aliquid petere non audebat, quippe queis appensa pecunia, si modo ad conducendam, instruendamque domum, victumque comparandum sufficeret, superesse certe non posset; cum præsertim incolæ rerum omnium pretium ob Hispanorum adventum maxime auxissent. Sed hanc animi perturbationem, undecunque tandem exortam, subito compressit. Exiguum æris habebat in crumena, quod sibi nec petenti, nec opinanti donatum in Hispania fuerat, paulo antequam abiret in exilium. Id ergo, quanquam ille primum ad aliquem librum emendum destinaverat, cœpit expendere, certissime interim sperans, hoc consumpto raudusculo, Deum sibi (neque falsus est) alicunde provisurum: proindeque tam securi animi erat, et ab omni solicitudine vacui, quasi thesauros ingentes possideret. Alia insuper singularis fiduciæ edidit exempla, quæ prætereo, ut ea, quæ ad religiosa vota pertinent, attingam.

Castimoniæ laude et speciali Dei beneficentia, et sua simul solertia sic excelluit, ut communem excessisse modum videatur. Is certe, quem ille longo annorum tractu in conscientiæ arbitrum assumpsit, testatur: cum multos alios in ea parte præstantes introspexerit, castiorem Emmanuele juvenem vix ullum agnovisse; illiusque animi candorem aut externa pugna, aut internis imaginibus vix unquam fuisse oppugnatum. Et tamen S. Aloysii, quem singulari cultu venerabatur, sedulus æmu-

mu-

mulator, cum sciret optime, castitatem Dei esse donum, nihil prætermittebat, ut id sibi proprium efficeret, ac perpetuum. Propterea corpus suum male habere, otium fugere, atque hominum vitare frequentiam, quoad ejus facere poterat, semper studuit. Non modo Villægarsiæ, sed Compostellæ quoque opus fuit, ut Superiores ei modum imponerent, ne in seipsum, quantum vellet, omni macerationum genere sæviret. Quod autem ab illis obtinere non poterat, ipse minutis aliis incommodis, quæ permissa cuilibet esse creduntur, et quæ assiduitate ipsa sunt gravia, compensare curabat. Is, qui sub eodem tecto per trimestre spatium cum eo degit in exilio, testis est, quamvis quater, aut sexies illum in dies singulos conveniret, dum suis vacabat studiis, nunquam sellæ innixum tergo reperisse. Atque ex hac studiorum opera, quanquam alioqui sibi gratissima, aliam etiam defraudandi genium occasionem usurpabat. Cum enim condiscipuli spatiandi causa in agrum prodibant, ipse nonnunquam, obtenta a majoribus venia, domi remanebat, ut quantum temporis supererogaret studiis, tantundem de geniali deambulatione detraheret. Et sane, dum obedientia, vel caritas aliud ab ipso non exigebat, solitudinem studiosissime coluit.

Quo tempore in Portu S. Mariæ, imminens occasioni trajiciendi in Americam, morabatur, nunquam domo excessit, nisi cum festis diebus in plateam, ut ad populum verba faceret, mittebatur: neque vero pedem extulit e cubiculo, præter quam in ædem sacram, vel ut alio cum cæteris ex officio conveniret. Dum maritimum iter habebat, quanquam navi, qua vehebatur, plus centum vectores impositi erant, ipse tamen servandæ solitudinis modum invenit. Nautis, dum alto sese committunt, mos est, lembum in navem recipere, et scapham supra lembum collocare. Huc ergo conscendens Emmanuel, intra cavitatem scaphæ sedem sibi constituit, simulque latibulum. Hic secum habens Sacerdotale Breviarium, Theologiæ moralis summam, et aliquot asceticos libros, cum iis horas dividebat interdiu, quoties eum necessitas alio non evocaret. Argaiolæ vero, cum in prima illa rerum post ejus adventum perturbatione certa quædam, et communis disciplinæ forma non posset institui, divinis persolutis officiis, quibus in templo bonas

tri-

tribuebat horas, in specum, quæ proxime aberat, Crucifixi imaginem, et aliquot libros secum asportans, discedebat: ibique fundendis precibus, meditationibus exercendis, legendisque libris reliquum insumebat diem, nisi cum domum redibat, ut corpus modico cibo, et brevi nocturno somno curaret. Neque tantus hic solitudinis amor subrustica ex indole, vel pavida cunctatione credendus est proficisci, cum ita esset a natura comparatus, ut potius acer esset, ac fervidus, et in quotidiana consuetudine suavis, et commodus universis: quod ii sæpius experti sunt, et fatentur, qui cum eo diu multumque egerunt. At cum esset internæ munditiæ studiosissimus, suique frangendi solicitus, omnem pascendi sensus occasionem, necubi impingeret, quantum poterat, effugiebat.

Quod si Superiorum accessisset imperium, aut eorum aliunde sibi innotuisset voluntas, in medios hominum cœtus incunctanter, et alacriter prosiliebat, ut Compostellæ, et in Bætica fecisse jam vidimus. Etenim, ut morem ubique gereret imperantibus, illud sibi servandum statuit, quod suis commentariis, ut ante oculos habere posset, inseruit: *Perquam maxime cavere debes, ne unquam Superiorum placitis vel minimis in rebus obsistas*. Et quoniam Religiosorum obsequium in legum observatione suarum maximam partem continetur, eas sic adimplere constituit, ut ne latum quidem unguem ab eis discederet: quippe cum, ad perfectionem sui status adipiscendam, nullum hoc efficacius duceret adjumentum. Atque in eas maxime regulas majori conatu intendebat, quæ ad trium votorum materiam quomodolibet attinerent.

Animum etiam habuit humanarum rerum adeo non appetentem, ut vel ea, quæ legitime posset habere, siquem eis egentem animadverteret, ipsi libentissime largiretur. Neque vero expectabat, dum alii rebus suis opus haberent: sæpe enim eo tantum fine donabat, ut ipse minus haberet. Paucis ante profectionem Italicam diebus arca sibi, æque ac reliquis, tradita fuit, his rebus instructa, quibus in itinere, et in exilio usus esset futurus. Id ille donum oneri duxit, quod ut levaret, cœpit statim aliis alia impertire. Cumque vellent aliqui ab ea illum largitione deterrere, ne tum ab se abjiceret, quod postmodum maxime esset desideraturus, non ita illorum con-

siliis acquievit, ut omnino conquiesceret. Quare illius arculæ clavem alius servandam accepit, tum ut ipsi pœnam, quam inde trahebat, eriperet, tum etiam ne illam penitus quotidianis largitionibus exhauriret.

His, cæterisque virtutibus insignem animi modestiam, tanquam solidum fundamentum subjecit. Hanc ille jam ab adolescentia sua et amare cœpit, et colere. Postquam religiosam inire vitam statuit, præ cæteris Religiosorum cœtibus in Societatem Jesu vehementer propendebat. Sed ab hoc eum consilio deterruit ingenii facultatum inopia, quam sua sibi humilitas maximam esse persuaserat. Propterea in aliam Religiosorum familiam, ex iis, qui sibi vacant ac Deo, animum convertit: et in tria longe inter se dissita Monasteria eo fine profectus est. In eorum primo, locum non esse candidatis, sibi repositum fuit: sed cum alius ejusdem ordinis Cœnobiarcha, qui per eos dies illuc ex itinere diverterat, spem sibi fecisset eum in suum Cœnobium cooptandi, eo recta contendit. Dum ibi consistit (sive id ex itineris æstu ac defatigatione contigerit, seu quia Deus eum ad alia omnia destinabat) inspectantibus Monachis, e naribus sanguinem fudit: rogatusque ab eis, an alias eo fluore laborasset, ipsoque candide affirmante, valetudinem ejus ad portandum Instituti sui pondus satis firmam non fore, censuerunt. Ipse tamen propterea nihilo fractus animo, in aliud porro Cœnobium perrexit. Sed ibi pariter repulsam passus, idque pro indicio reputans, Deum se ad eam vivendi formam non evocare, Pompelonem regressus est: ubi cum totam itineris seriem ad Confessarium retulisset, tanta animi tranquillitate Theologica sua studia instauravit, quasi nihil frustra petiisset, nullumque in longissima profectione tolerasset incommodum. Sperabat tamen interea, simulque precabatur, ut Deus, qua parte sibi mancipari vellet, evidentius significaret. Cumque tandem ad petendam Societatem animum induxisset, id ea conditione fecit, ut ad Indos amandaretur, quos inter sciebat esse plurimos et miseros, et ignaros, quibus juvandis, et instruendis idoneum se fore, non diffidebat.

Societati jam adscriptus, ne unquam ab hac animi demissione, et viliore sui opinione discederet, ita suis in adver-

versariis scripsit: *Si quando Deo placuerit, te tanquam administrum adhibere, ad aliquem fructum ex aliorum animis colligendum, cave ne quidquam inde tibi, vel minimum, adscribere audeas. Ad id autem oportebit, ut cogites, animi tui dotes quam sint exiguæ, ac prorsus ineptæ.* Præterea jam inde ab initio tirocinii tanquam tesseram sibi propriam tritum illud effatum assumpsit: *Ama contemni, et pro nihilo reputari.* Neque factis omisit sæpius comprobare, quod verbis significabat. In Astensi custodia, ubi pro pluribus Sacerdotibus unica erat ara constituta, ipse valde diluculo Sacellum subibat, ibique ad multam diem, nonnunquam ad prandium usque permanebat, orationi meditationique intentus, simulque opportunitatem expectans, ut sine aliorum molestia divinum perageret Sacrificium. Contigit igitur quadam die, ut postquam Sacerdos ab altari discesserat, et vestem sacram exuerat, ad eam induendam nullus accederet e circumstantibus. Surgit itaque Amezqueta: calicem apparat, et ampullas: cæterisque in rem divinam præviis decenter peractis, ad induendas sacras vestes accedit: jamque amictum, capiti imponendum, manibus tenebat appensum, cum alius quidam in ædiculam eo tempore superveniens, vicem ei præripit celebrandi. Cessit statim Emmanuel in locum suum: et neque tum commotus est quidquam, neque ulla deinde ratione conquestus: ut omnes, qui aderant, modestiam hominis suspexerint, et laudaverint. Hæc etiam eum facile, imo vero statim de jure suo cedere cogebat, quoties in familiari cum aliis sermone nonnulla suboriretur contentio. Huic tribuenda pariter magna ejus ad inserviendum cæteris solicitudo: ac denique difficultas non utique minor, quam vel in quærendis, vel admittendis, quæ sibi ultro offerebantur commodis, exhibebat: cujus non unum dedit exemplum in ea, quæ tandem illi vitam abstulit infirmitate.

Fuit hæc acutissimus lateris dolor, qui septem ipsos dies acriter illum vexavit. Nam neque spiritum trahere libere, neque defessum cubatione corpus, sine ingenti doloris accessione, aliorsum convertere poterat. His adde Medicorum, medicamentorumque penuriam, ac difficultatem, quam pauperibus exulibus in pauperrima civitate ma-

ximam esse oportebat, inveniendi, quæ ad delicatiorem victum, et commodiorem ægrotorum curam necessaria essent. Sane Emmanuel primos gravissimi sui morbi dies in culcita jacuit, tam modico farta tomento, ut stragulum videretur, eaque subtilioribus imposita chordis, quæ augendo potius dolori, quam leniendo deservirent. Sed neque ullam super hac re querelæ vocem edidit, neque de meliori cubandi ratione quærenda fuit ipse solicitus: atque in macerrima sua culcita proculdubio vitam finisset, nisi alius de commodiori lecto providisset. Inter eos, qui jacentem invisebant, unus quiddam excogitavit, quod illius ardentissimæ levandæ siti opportunissimum esset: seque libenter ad id exequendum exhibuit, cum neque sumptuosum esset, nec valde operosum. Sed quod vellet qualemcunque laborem illum sui causa suscipere, sic doluit Emmanuel, iisque dolorem suum verbis expressit, ut alter, ne illi pœnam augeret, ab incepto destiterit: longe minus reputans incommodum, quod illius corpus ab ingenti siti reciperet, quam quod humillimus ejus animus ob sibi præstitum pateretur obsequium. Paucis denique ante obitum diebus commentariolum illud, in quod animi sui sensa retulerat, et quod una cum peculiaris examinis libello sub pulvinari servabat, Confessario suo tradidit, semel atque iterum obtestatus, ut, ipso vita functo, penitus illud dilaceraret: sicque perpetua sepeliret oblivione, quæ hactenus ejus humilitas aliorum oculis eripuerat.

Pro his, cæterisque virtutum actibus per totius vitæ decursum exercendis, et maxime pro ultimo agone strenue decertando, frequentem ad B. Virginem recursum habuit. Ab ipso religiosæ vitæ principio potentissimum ejus auxilium exquisitis officiis demereri studuisse, jam diximus. Quibus deinde votum adjunxit, recitandi quotidie Psalterium Virgineum, quod ab aliis *Piissima erga Dei genitricem devotio* nuncupatur, ad impetrandam illius gratiam pro mortis articulo. Atque, ut alia prætercam, afflictissimæ Matris dolores, quos ob necem Filii pertulit, singulari pietate recolebat: opportunissimaque in eum finem allocutione utebatur, quæ in suis adnotationibus reperitur. In ea mœstissimam Virginem deprecabatur, ut in sui doloris lenimen recogitaret, tam suas, quam

Fi-

Filii pœnas brevi esse finiendas: istumque tormentis acerbissimis, et indignissima morte universum hominum genus in libertatem honestissimam esse asserturum, simulque justissimam æterni sui Patris iram placaturum: ac postquam ipsam, gloriosa sui præsentia suavissimisque colloquiis dignatam, inexplicabili gaudio perfudisset, ad Patris dexteram conscensurum, ut super omnem creaturam æternum exerceret imperium. Demum in memoriam ei revocans, se suam Emmanuelis Patronam esse, suppliciter et enixe rogabat, ut dùm vita maneret, se benigne protegeret, et in morte præsens ferret auxilium, ut hæc in conspectu Domini pretiosa contingeret.

Has clientis sui preces benignissimam Virginem exaudisse, nonnulla fuerunt indicia. Nam Emmanuel sub ipsum infirmitatis initium, cum nondum lectulo decubuisset, mortem sibi certo imminere, magna animi pace significavit. Tertio item die postquam lecto detinebatur, cum nullam adhuc illius morbus solicitudinem cæteris injecisset, Confessario suo dixit, deliberatum sibi esse, quamprimum ad suscipiendum sanctissimum Viaticum præparari. Quod quidem sine cunctatione perfecit: quinto enim die totius vitæ noxas per confessionem expiavit, postridieque Eucharistiam cum insigni pietate recepit. Per hos etiam dies cuidam familiarissimo suo significaverat, optare se intra natalitia Domini festa, quæ jam imminebant, vitam finire. Et tandem die septimo, in quem incidebat pervigilium Nativitatis Dominicæ, placide expiravit sine ulla corporis agitatione, sine sudore, et lacrymis, et quod in paucis usu venire solet, sine oris aliqua diductione. Illud insuper, qui morienti aderant, non immerito visum est singulare. Sacerdotem, qui ad inungendum eum accessit, sublato modice capite, et manu versus illum protensa, his verbis excepit: *O quale gaudium! negotium meum plene confeci*. Asseruit autem Confessarius, quem Emmanuel nihil celabat, quod alicujus esset momenti, nullum ei præ manibus negotium esse, nisi quod ipse familiari suo indicaverat: ut quo tempore Dei Filius natus est mundo, ipse, relicto mundo, in meliorem transiret vitam. Obiit Calvii 24 Decembris anno 1767, postridieque tumulatus fuit in Parochia, quæ unica est intra muros illius urbis.

Sed ereptum oculis hominum Emmanuelem, ab eorum

ani-

animis, qui eum aliquando cognoverunt, nulla unquam temporum diuturnitas abolebit. Etenim cum adhuc inter mortales ageret, illius vitæ rationem singulari commendatione laudabant. Hos inter quidam ejus individuus comes per totius fere religiosæ vitæ suæ discursum affirmabat; non in Collegiis modo, sed in magna quoque itinerum varietate, atque in ipsa navigationis perturbatione, tam modestum corpore et animo, tam officiosum in cæteros, tam sui continendi solicitum, et in servanda quotidiana temporis distributione, privatæque pietatis explendis officiis tam constantem illum ubique observasse, quam fuerit in tirocinio, ubi ferventium extiterat exemplar Novitiorum. Multi etiam, qui eum Hispali, et alibi cognoverunt, paribus elogiis commendabant Emmanuelem. Hic autem a recto vitæ cursu, quem puer arripuit, nunquam deinde digressus, documentum posteris esse debebit, quantum intersit, ut mature quivis assueverit optimis.

# JOSEPHUS FERNANZIUS.

Fonté Pelaio, quod oppidum viginti millia passuum ab urbe Segovia distat, in lucem editus est Josephus Fernanzius, nono Kal. Augusti anno 1729, a parentibus pietate conspicuis. Mater illius, ante etiam quam prolem suscepisset, Deum enixe deprecabatur, ut filium sibi concederet, qui divino se totum manciparet servitio. Quam vero cumulate ipsius preces sint exauditæ, ex iis liquido apparebit, opinor, quæ de Josephi moribus paucis dicturus sum verbis. Pueritiam sub optima parentum disciplina magna cum innocentia, et pietate transegit: neque serviliter compellendus erat ad bonum, quem ad meliora sectanda natura peperisse videretur. Cum etiam aptissimum ad eruditionem sortitus esset ingenium, postquam primis, et humanioribus literis abunde fuit instructus, ad altiora progressurus studia, Segoviam mittitur: ubi Dialecticæ operam dare cœpit apud Patres Societatis, cum ætatis annum attingebat decimum sextum. Dum in hoc Philosophico stadio versatus est, morem hunc sibi servandum proposuit, constanterque tenuit: antequam gymnasium adiret, templum ingrediebatur, eodemque, ab schola dimissus, recta contendebat, lumen et opem imploraturus a Deo, ut in humana, simulque in divina Philosophia proficeret. Eosque fecit in utraque progressus, ut condiscipulis in frequentandis Sacramentis, et scholis esset exemplo, et Magistro suo (quod ipse superstes adhuc testatur) stimulos adderet ad commentandum intentius, ut difficiles nodos, quos absolutis scholis, proponere solitus erat, expedite dissolveret.

Sed Deus, qui Fernanzium, ut pia Matris ejus vota compleret, ad Societatem Jesu jam ante vocaverat, quam ille Segoviam veniret, aut aliquem ejusdem Societatis hominem agnovisset, noluit in arrepto feliciter Philosophico cursu eum ulte-

rius

rius procedere. Quare, cum Logicen didicisset, acriores ei subjecit igniculos, ut ocyus, quo vocabatur, accederet. Neque ille divinis obstitit insinuationibus; sed cum mentem suam Patribus aperuisset, ii, legitimis factis experimentis, non modo ipsorum Societati adscribi posse censuerunt, verum inter eos quidam sapientia, et prudentia præstantissimus: Aut me, inquit, fallit animus, aut hic adolescens optimus evadet Religiosus. Igitur in Societatem receptus postridie Kal. Octobris anni 1745, et Villamgarsiam deductus, ad illius tirocinii mores intra paucos dies totum se finxit. Et quam de se concitavit expectationem, eam et in tirocinio, et in reliqua vita sustinuit. Fuit enim semper modestiæ, ac silentii servantissimus: nec, nisi manifesta necessitate compulsus, induci poterat ad loquendum, qui falsas violandi silentii causas nunquam sibi confingeret. Dum vero colloqui permissum erat, de rebus ad profectum spiritus attinentibus sermonem instituebat, eo leporis ac moderationis sale conditum, ut omnibus gratus accideret. In spiritualia exercitia magno ferebatur studio, quod illius et in inchoandis alacritas, et in absolvendis constantia demonstrabat: in iisdem vero exequendis tam quieta, et reverenti corporis habitudine perseverabat, ut alios ad æmulationem provocaret. Ad orationis studium mortificationis externæ pariter, et internæ curam adjunxit. Nam solitas tirocinii austeritates ita exercebat, ut solus illius animi ardor vires ei præstaret ampliores, quam ab ipsius tenera ætate, et gracili corpore poterat sperari. In coercendis autem animi cupiditatibus tantam diligentiam adhibuit, ut is, qui et in tirocinio, et in toto studiorum cursu cum eo perpetuo vixit, affirmet, cum esset natura pronus ad irascendum, nunquam tamen vidisse Fernanzium aut alicui condiscipulorum fuisse succensum, aut cum eorum aliquo contendisse, aut denique de quoquam fuisse conquestum. Imo vero et se, et alios non semel observasse confirmat, exurgentes iræ motus quam strenue compesceret, quin ullam eis erumpendi licentiam permitteret, aut ullum saltem verbum proferret, quo aliquem doloris sensum ostenderet.

Atque hunc laudabilem frangendi sui conatum, ut molestias undelibet sibi illatas æquo, pacatoque animo ferret, jam

inde

inde ab inito tirocinio cœperat exhibere. Hortus erat, a domo probationis quasi quingentorum passuum intervallo dissitus, in quem tirones, ut animum a seriis tirocinii occupationibus relaxarent, semel aut iterum per hebdomadam venire consueverant. Contigit igitur quadam die, dum ibi rusticarentur, ut signo ad exeundum dato, omnes ad januam accederent, præter Fernanzium, qui vel signum non audierat, vel longius aberat, quam ut posset cum cæteris ad januam simul accurrere. Cum vero is, qui tirones ante illorum egressum recensebat, ei, qui præerat, denuntiasset, universos ad januam adesse, jussit hic aperiri januam, et domum versus procedere. Clausis itaque januis, Fernanzius intra horti septa remansit, neque prius eum abesse animadversum, quam reliqui domum venissent. Quid ibi solus, et inclusus effecerit, sciri certo non potuit: videtur tamen ad orationem confugisse. Illud tum certe fama vulgavit: olitorem, qui statim eo missus est, ut Fernanzium domum deduceret, eum genibus flexis orantem reperisse. Siquid autem peccatum fuit ibi, omnis in eum culpa rejicienda videtur, qui tirones ad januam male recensuit. Tamen et hunc, et Fernanzium castigari oportere, Novitiorum Magister existimavit. Neque id, credo, novum illis videbitur, qui noverint, apud Religiosos viros, et maxime Novitios, multo his leviores defectus impunitos non prætermitti. Ambo igitur jussi sunt in medio triclinio, dum cæteri cœnarent, genu flectere; atque ex editiore loco publica in eos animadversum est reprehensione: quod supplicii genus non leve putabatur in Societate, et ad ingenuos homines corrigendos valde opportunum. Fernanzius vero neque tum aliquid excusavit, aut questus est, neque deinceps ei, cujus per incuriam se pœnam illam subiisse, poterat opinari, quamvis ad septennium cum eo degerit, aliquid exprobravit. Erat enimvero, ut paucis multa complectar, ad S. Ignatii leges ita compositus, ut Antonius Villafannius (vir et virtutum insignibus, et gubernandi laude clarus in primis) asserere non dubitaverit: cum eum Palentiæ sibi subditum, dum Philosophiam audiret, itemque Vallisoleti, dum eandem doceret, sæpius inspexisset, et observasset attente, nullius regulæ transgressionem in eo notasse.

Peracto tirocinii biennio, se totum Deo per simplicia Societatis vota dicavit, quæ deinde anno 1763 in purificatæ Virginis festo solemni ritu nuncupavit, quarto superaddito circa missiones voto. Quanto autem animi gaudio ea primum concepit, tanto deinceps studio eadem observanda curavit. Pecuniam ne apud alium quidem, scientibus et volentibus Superioribus, nedum apud se habere volebat: cum mallet paupertatis effectus aliquot experiri, quam aliquid de illius perfectione detrahere. Siquid ab aliquo dono accipere cogebatur, aliis, petita venia, facile redonabat. Nec solum ad aliquid dandum, vel accipiendum, sed alias etiam ad Præpositos frequentissime recurrebat, ut in agendis, vel omittendis, eorum ductum sequeretur omnino, quos Dei loco reverebatur; cum sit in inferioribus obedientia tanto prudentior, quanto ipsorum minus innituntur prudentiæ. Dum Palentiæ Philosophiam disceret, ipsius Pater, quem ab inita Societate non viderat, Collegium ingressus est, quo tempore filius cum condiscipulis colloquebatur: et accedentem ad se, salutationis vice, his verbis Patrem excepit: *Hic, precor, mane tantisper, dum a Superiore loquendi tecum veniam obtineo.* Laudarunt scilicet condiscipuli Josephi in servanda disciplina constantiam: et Pater ejus, quippe vir rectus, et probus, tam longe abfuit, ut filii factum rusticitati, vel inobservantiæ tribueret, ut pene lacrymabundus exclamaverit: *Proh! quantum Religiosorum obedientia valet efficere!* Exquisitam hanc obediendi rationem non erga Rectores modo, sed in quoslibet etiam tenebat, qui delegatam præcipiendi potestatem haberent, atque in eos vel maxime, qui sui moderatores spiritus designabantur. Cum enim ad rigidam corporis macerationem valde esset propensus, et aliunde ob pectoris compressionem debiliore valetudine uteretur, opus erat, ut Rectores eum, et Confessarii sæpe continerent, ne salutem jam afflictam penitus everteret. Et quanquam ex eorum præscripto sibi temperaret, ejus tamen moderatio non improprie poterat austeritas appellari. Nam cum esset ad castimoniæ custodiam vigilantissimus, eorum, quæ eidem tuendæ maxime conferunt, nihil, quantum sibi fas esset, prætermitebat. Propterea, quem ab tirocinio præ se ferre didicit et pudorem vultus, et gravem loquendi, incedendi, operan-

randique modum, eundem deinceps constanti studio retinuit. Vallisoletanus quidam civis non sine admiratione narrabat, cum Fernanzius, qui Philosophiam ibi docebat, alteri Magistro comes datus, domum suam interdum adiret, seorsum a colloquentibus sedere consuevisse, ibique modeste consistere, quin alia verba faceret, nisi quæ urbanitas exegisset. In cibo parsimoniam adhibuit, sæpeque ad prandium vel jejunus accedebat, vel tenui et viliore jentaculo refectus; cum lautitias non nisi coactus admitteret. Ad humaniores literas explicandas Abulam missus, ubi frigidissimum est cœlum, hiemem nactus est ibi, cæteras rigida glacie sic excedentem, ut eruditissimus medicæ artis Professor assereret, quæ de algidis Norvegiæ tractibus apud itinerantium ephemerides legerat, se illo anno Abulensia intra mænia vidisse, et comprobasse. Hic Fernanzius sui commodi tam negligens fuit, ut commiserationem aliis Sociis moveret: unde quidam illorum magnis eum precibus rogavit, ut ad se quotidie mane veniret, potione chocolatica contra hiemis intemperiem reficiendus. Cumque id sæpe frustra dixisset, et cum eo quodam die de sincerissimæ invitationis repulsa conquereretur, Fernanzius responsum dedit, quo suum et austere se habendi propositum, et humilitatis studium demonstravit. Neque ullis aut precibus, aut suasionibus ab eo, quod destinaverat, dimoveri potuit, donec ei Superior injunxit, ut a suscepto rigore valetudinis causa remitteret.

At quantum sibi durus, et asper, tantundem erga cæteros officiosus erat, ac suavis. Quos in discendi, vel docendi munere socios obtinuit, siquando aut incommoda valetudo, aut aliqua negligentia ab explendo retardaret officio, ipse ad fungendam eorum vicem promptus, et hilaris accurrebat: solitus ad viliora non minus, quam ad honoratiora supplenda munera convolare. Dum Theologiam audiebat Salmanticæ, quidam e condiscipulis, instruendis lampadibus designatus, eas vesperi accendere prætermisit: illiusque indiligentia in amplissimo Collegio notabilis, et reprehendenda fuisset, nisi ei diligens Fernanzius opportune occurrisset. Dum pauperibus cibum aut pro domi foribus, aut in publicis custodiis impertiebat, eorumque pedes osculabatur; dum item infirmis in Nosocomiis inserviebat, gaudium ex illius facie emicabat, hæc omnia

nia jucundissime, et alacriter obeuntis. Valetudinarii quoque Præfectum in humilibus circa ægrorum curam ministeriis sæpe sublevabat. Quo in officii genere id ego quemdam post longissimum temporis spatium recentissimo adhuc grati animi sensu commemorantem audivi: Dum ipse in Hispania ante hos quinque et viginti annos tertiana febri miserabiliter laboraret, ad se visendum, et consolandum accessisse Fernanzium, quo tempore et febris æstu, et ardore sitis ultra solitum torquebatur. Cumque rogasset eum, anne libenter aquæ potum acciperet? imo vero, infit, libentissime. Perrexit ergo Fernanzius gelidam allaturus, eamque febricitanti semel et iterum bibendam obtulit. Quo Fernanzii obsequio non modo tum mirifice fuit recreatus, sed febris ita est depulsa, ut longo post tempore non amplius recurrerit. Fatetur autem ipse, id se Fernanzii caritati maximam partem tribuisse: nam siti fatiscentem ita fuit commiseratione prosecutus, ad eumque sublevandum tam sedulo adlaboravit, ut sibi certe videatur, voluisse Deum illius veritatem sententiæ comprobare, qua dixit, calicem aquæ frigidæ propter ipsum proximo exhibitum, sine mercede non remansurum: cujus mercedis partem aliquam in præsentia rependisse videtur. Hæc illius propensio ad bene merendum de omnibus communem sibi benevolentiam, ubicunque degeret, conciliabat. Et in frequentissimo Salmantino Collegio propter hoc ejus inserviendi cæteris studium, cum exacta disciplinæ observantia conjunctum, non modo studentium juvenum, sed Doctorum etiam, et Sociorum omnium oculos ad se convertit, cunctorumque animos sibi devinxit.

Sed illius morum suavitas tum maxime enituit, cum aliquam imperandi cæteris potestatem obtinuit: quod Abulæ præsertim, et Villægarsiæ contigit. Ibi, dum Grammaticam docuit, Collegii Minister designatus, siquem reprehendere opus esset, suo potius exemplo, quam verbis castigabat. Quemdam e domesticis Adjutoribus reperit illic, in demandata triclinii cura parum solicitum. Hunc officii sui cum aliquoties benigne commonuisset, illeque nihilominus in eo adimplendo negligens foret; quadam die triclinium eo tempore ingressus, quo sciebat, se ab illo observandum, nonnulla vasa, quæ parum nitida erant, cœpit abstergere, ut sic illius socordiam argueret,

et

et excuteret. Post aliquos annos missus est Villamgarsiam, ut tirocinii Magistrum in instruendis tironibus adjuvaret. Adolescentes, qui tunc in illa probationis domo pro Castellana non solum, sed pro Indicis etiam Provinciis educabantur, octoginta facile superabant: quorum proinde institutio, ut erat summi momenti, cum ab iis tanquam seminibus sua quælibet desumat incrementa Religio; sic etiam laborem exigebat, et industiam non vulgarem, quippe quam numerus ipse redderet difficiliorem. Sed in hujus novellæ sobolis educatione Fernanzius ita se gessit, ut studium disciplinæ solicite promoveret in omnibus, et tamen benignitati potiores partes tribueret. Delinquentium errores utique corripiebat: non tamen, ut irascentis, nedum conviciantis personam indueret; sed ut reus culpam agnosceret, ac emendaret. Quod si publice id esset agendum, ut sæpe post prandium fiebat (cum scilicet tironum aliqui ex Superioris designatione vel sua quisque errata coram cæteris enuntiabat, vel sibi ab iis, qui ea notassent, objiciebantur) tunc enarratione facta delicti, non semper statim pœnam imponebat, sed quæ merito imponenda foret, indicabat, aut delinquenti dijudicandam relinquebat. Aliquando, Sanctis Aloysio, et Kostka, Ven. Berchmansio, aliisve insignibus pietate viris in exemplum adductis, quo tandem pacto in pari rerum occursu sese habuissent, ostendebat; ut et is, qui deliquerat, et reliqui pariter ad eos æmulandos excitarentur.

Novitios omnes ita diligebat impense, ut in eo maternam solicitudinem singuli agnoscerent. In his erat quidam adolescentulus naturæ difficilis ad erudiendum: qui propterea Fernanzio magnam exercendæ caritatis, et industriæ occasionem exhibuit. Cum enim videret, eum, nisi resipisceret, fore tandem e tirocinio evellendum, quod acerbissimum sibi fuisset, nihil non tentabat, ut improbulum emendaret, Et sane, opportunis remediis solerter adhibitis, id ille sæpe obtinebat: non ita tamen, ut stabilis esset novitii resipiscentia, qui citius ad solitas revertebatur ineptias. Itaque, quoniam tirunculum illum non tam mentis perversitas, quam ætas immatura disciplinæ impatientem reddebat, id excogitavit Fernanzius, ut ei munus imponeret, unde posset illius levitati aliquod pondus accedere. Nam plerique hominum ita sunt a natura compa-

pa-

parati, ut si negligantur, aut otio torpescant, aut ineptiis diligenter incumbant; si vero ad honoratiora adhibeantur, se ipsos excitent, et excedant. Jam vero id moris erat in tirocinio Villagarsiensi, ut verno recurrente jejunio, in oppida ad quatuor, sexve millia passuum circumposita, tirones aliqui Dominicis diebus prædicaturi mitterentur, ut ad ministeria Societatis olim exercenda mature proluderent: eaque lege proficiscebantur, ut dum abessent a domo, nihil omnino cibi degustarent. Bini in singula Castella procedebant: quorum alter aliquod e fidei rudimentis brevi sermone explicabat: alter super aliquo Decalogi, vel Ecclesiæ præcepto longiorem orationem habebat, aut in vitium quoddam acriori declamabat stilo. Bini etiam comites addebantur e discipulis externis, qui tirones ignaros viæ recta deducerent, ac reducerent, simulque testes esse possent, siquid illi ab officio defecissent. Huic ergo velitationi Fernanzius irrequietum illum Novitium destinavit: unde duo simul ab eo obtinere contendebat: ut et illum a puerilibus nugis abstraheret, dum orationem sibi traditam memoriæ mandabat, eidemque pronuntiandæ in umbratili exercitatione incumbebat; et ineundæ spe profectionis, ac verba coram frequenti populo faciendi, mentem ipse mutaret, dignasque tirone cogitationes susciperet. Constituta igitur die ad concionandum missus, ita se gessit in omnibus, ut alius ab eo, qui prius esse consueverat, videretur: ipseque adeo tirocinii Rector, qui multum ad expellendum illum inclinabat, consilium mutasse, aut saltem suspendisse visus sit. His ergo, aliisque sui muneris partibus adimplendis tam studiose adlaborabat Fernanzius, ut dum aliorum commodis servit impensius, salutis suæ dispendium non semel incurrerit.

Propterea Segoviam missus est, ut Theologiam auditoribus exponeret, simulque ut ejus valetudini, quam magna defatigatione in erudiendis tironibus debilitaverat, aliquod nativi soli propinquitas levamentum afferret. Sed vix bene convaluerat, cum longius, ac difficilius iter aggreditur in exilium. In eo cum aliarum virtutum exempla, tum maxime singularem cum Dei voluntate conformationem exhibuit. Cum Centumcellas classis jam appetebat, nuntius a litore affertur, Pontificem expulsos ab Hispania Socios, quamvis eorum expul-

sio-

sionem ægerrime ferret, in suam tamen ditionem justis de causis nolle recipere: simulque Præfectus navium literas accepit Roma, quibus a Ministro regio, Corsicam remeare, ibique nova Regis mandata præstolari jubebatur. Id, quod plerisque maxime dolendum fuit, Fernanzius æquissimo animo tulit: et juvenem, qui paulo ardentius dolorem inde conceptum significabat, paucis sed gravibus verbis, atque rationibus e sapientissima Dei providentia petitis, ita compescuit, ut errorem ille suum agnoverit, et emendaverit. Calvium autem appulsus, cum viribus deficeretur in dies, missus est Lumium, quod in conspectu Calvii situm est, et illius restaurandæ saluti credebatur fore commodius. Ipse vero priusquam excederet Calvio, sciscitanti cuidam de salute sua respondit, optare se quam primum vitæ metam attingere, idque suppliciter a Deo deprecari; quoniam in tam perturbato rerum statu, Religioni se usui jam esse non posse, suisque fratribus oneri futurum esse cognosceret. Lumium profectus, nihil de fervore remisit, quo rebus sacris solitus erat intendere: nam bene mane consurgens, templum oraturus, Deoque litaturus adibat: donec socius illius, a Præfecto Provinciæ pro Superiore designatus, ei modum imposuit, quem ille perfecte tenuit in omnibus. Sed nihilominus ingravescente dyspnœa, qua multis ab annis ob angustias pectoris laborabat, tandem ad extrema redactus, et sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis munitus, pie, sicut vixerat, expiravit. Mors ejus incidit in diem VII Idus Januarias anni MDCCLXVIII, cum ante annos octo et triginta natus esset. Paucis, quibus apud Lumienses commoratus est, mensibus, tantam illorum gratiam, ac benevolentiam vitæ integritate, et facillimis moribus inivit, quantam in ejus funere demonstrarunt. Id enim Lumii legibus cautum erat, nequis vita defunctus in Parochia sepeliretur, præterquam oppidi Sacerdotes, et infantes pueri: cæteri omnes in cœmeterium, quod extra oppidum erat, efferebantur. Mortuo vero Fernanzio, Presbyteri, qui unus et viginti erant, sine quorum universali consensu illa lex infringi non poterat, omnes unanimi sententia decreverunt, ut Fernanzius in ipsorum inferretur sepulcrum. Neque id solum: sed funebrem etiam ducere pompam, et justa consueto more

per-

persolvere, nec rogati, neque vocati, sponte sua voluerunt; nulla pro iis, aut pro sepultura, vel cereis ad aras accensis, rogata, neque accepta, quæ ipsis offerebatur, mercede. Quin et de laicorum numero illi ad funus ultro convenerunt, qui Sodalitati Sanctæ Crucis erant adscripti: quorum quatuor demortui cadaver suis deportandum humeris sustulerunt, cæteris cum funalibus Sodalitii sui cereis agmen lugubre præcedentibus. Hoc honestissimo funere, ob insignem Lumiensium pietatem, elatus est Fernanzius: qui suis optimis moribus, quam apud gentiles suos commoratus benevolentiam semper obtinuit, eandem peregrinus, et exul, apud exteros etiam sibi conciliavit.

# ANTONIUS SALGADUS.

Quanquam Evangelicum operarium doctrina pariter, ac virtute instructum esse, oporteat omnino; quantum vero sanctioris vitæ præsidium, ad animarum salutem procurandam, vel eminenti præstet scientiæ, ex Antonio Salgado poterit dijudicari: quem eximia morum integritas cum mediocri, sufficienti tamen apparatu doctrinæ conjuncta, præclarum Dominicæ vineæ cultorem effecit. Is anno millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, die decima septima Junii natus est Cellæ novæ, non tam incolarum frequentia, quam celeberrimo Benedictinorum Patrum Cœnobio, apud Callaicos loco notissimo. Licet in lustrali fonte denominatus sit Joannes Antonius, deinde vero tum a domesticis, tum ab externis Antonii solum appellatione dignoscebatur: et eandem ego propterea in ejus vitæ narratione usurpabo. Pueritiam primis literis addiscendis impendit in patria, quo etiam tempore Deum timere cœpit, ac revereri: ad idque præter genitorum ejus institutionem, magno illi momento fuit frequens cum sanctissimis æque, ac sapientissimis S. Benedicti filiis communicatio. Nam cum ad illos sæpius accederet, ab iisdem et illustria virtutum exempla, et opportuna recte vivendi monita reportabat. Ac sane solidæ pietatis succus, quem tunc ab optimis imbibit magistris, ad ineundum, et conficiendum rectissimum vitæ cursum, mirifice illum adjuvit. Cum jam per ætatem licebat, a parentibus missus est Montem regium, ut in Collegio Societatis latinitati operam daret. Quo in studio parum illius Magistris laborandum fuit, ut assiduitatem, ac diligentiam exhiberet. Cum enim et patiens laboris esset, et impatiens dedecoris, suavique ac docili præditus ingenio, non opus erat, ut acerbioribus modis ad explendum officium incitaretur.

Grammaticis peractis studiis, Philosophiæ, ac Theologiæ morali discendæ triennium in singulas facultates. ibidem impendit. Ut autem in literis, et ætate progrediebatur, sic etiam proficiebat exercitatione virtutum. Quam enim christianæ vitæ normam a Monachis Benedictinis in patria didicerat, et quæ sibi modo a Magistris tradebantur consilia, sic observabat, ut inter plurimos adolescentes, qui Montis regii scholas per id tempus frequentabant, omnes Antonio Salgado primas in studio virtutis laudes facile concederent. Non satis habebat ille, si nihil scholis detraheret temporis; si domi, quæ sibi a Magistro præscripta fuerant pensa, accurate persolveret, sine quibus studentium juvenum virtus constare omnino non potest: neque his item contentus erat pietatis operibus, quæ a Societatis Jesu discipulis eorum Præceptores exigebant; sed alia etiam, quæ suæ conditionis adolescentibus parum usitata esse solent, superaddebat. Corporis macerationi, quam ad extremam usque senectam adhibere non desiit, ita jam tum deditus erat, ut cilicio, et flagellis frequentissime uteretur. Id necui suboleret, maximo studio curabat Antonius: ideoque latebras solicite conquirebat, unde flagellationis strepitus ad aliorum aures devenire non posset. Sed occultæ diu sui corporis castigationes (ut est insita multis, et maxime pueris, abdita quæque rimandi libido) Antonii condiscipulis omnino celari non potuerunt. Mirum ipsius contubernalibus accidebat, Antonium sub noctis crepusculum domo prodire, ab eaque per aliquam moram abesse. Cumque id assidue faceret, cupido eis incessit, quo pedem ferret, quidve ageret, investigandi. Egressum igitur de more Antonium, quidam ex insidiis observarunt, intra muros dirutæ domus delitescentem, longa et immiti adeo verberatione sese percutere, ut curiosi observatores maximo stupore perculsi domum suam redierint. Hinc autem præconcepta jam pridem virtutis ejus opinio tantum apud æquales percrebuit, ut nemo cavillis Salgadum excipere ne per jocum quidem auderet; sed illum præcipua reverentia prosequerentur, quem etiam apud Magistros suos magno in pretio esse cognoscerent. Multi propterea ex vicinis oppidis, dum filios erudiendi causa Montem regium adducerent, magnopere contendebant, ut eos in Antonii diversorio

col-

collocarent, aut illius certe curæ committerent: sic enim existimabant, filiorum progressibus in literis, et virtute quam optime providisse.

Post confectum studiorum cursum in patriam regressus, de perfectioris vitæ statu deligendo cogitare cœpit. Ut autem ad rem summi momenti obtinendam tutissimum iter arriperet, in consilium adhibuit R. P. Emmanuelem de Herrera, in Monasterio Cellanovensi rerum spiritualium Magistrum experientissimum, qui moriens præclaram suæ virtutis opinionem reliquit, et Antonium a teneris unguiculis ad omnem pietatem effinxerat. Hujus ductu et consiliis, ad explorandam Dei voluntatem, preces suas auxit, et corporis afflictationes, divinaque frequentius percipiebat mysteria. His sanctis operibus intento Franciscana non parum placebat disciplina. Sed quadam die Societatis Jesu venit in mentem, et quod menti occurrerat, tam alte animo insedit, ut se a Deo in Societatem vocari, firmissime sibi persuaserit. Cumque id ad Confessarium retulisset, et is non solum probasset, sed asseveranter etiam confirmasset, Antonius ad petendam Societatem Jesu profectus est Montem regium. Ibi, cum Magistris aliisque Collegii Patribus nota esset ejus vitæ ratio, quam longa studiorum serie tenuerat in scholis, ubi magnæ pietatis exemplis præiverat condiscipulis; admonito Provinciæ Præposito, Sociis adjunctus est 16 Septembris anni 1722, missusque de more Villamgarsiam. Hic ad æmulanda virtutum exempla, quæ suis quotidie oculis objiciebantur, omnes animi vires intendit. Et primæ quidem probationis solitas exercitationes, magna cum aviditate susceptas, cum magno etiam spiritus fervore confecit: et ab iisdem ingentes desumpsit animos, ad omnes officii sui partes, quam accuratissime posset, implendas.

Statim a tirocinio missus est Ovetum, Principatus Asturicensis nobilissimam urbem, in qua tum docendis humanioribus literis, tum aliis ministeriis magno cum animorum fructu exercendis, usque ad indictam exilii legem, uno excepto anno, permansit. Et in docendi quidem munere ita versatus est, ut quamvis tironis vestem exuisset, nihil de spiritus ardore, quem hauserat in tirocinio, remiserit. Puerorum autem

institutioni sic incumbebat, ut neque ipse labori parceret, neque discipulos vitiose cessare permitteret. Horum progressibus quam maxime consulturus, ad scholam ita paratus accedebat, ut quæ in ea pertractanda forent, apud se ante decerneret, ac prævideret; ne inter docendum vel tempus inutiliter tereret, vel quæstionibus, quæ sibi fieri possent, minus apposite responderet. Pari etiam solicitudine adlaborabat, ut teneris puerorum animis Dei timorem, et amorem pariter instillaret: ut item eos ad intelligenda fidei documenta, ad christianæ legis sevanda præcepta, et ad exhibendum Sanctissimæ Deigenitrici cultum instrueret, et hortaretur. Id sæpe alias, sed recurrente Sabbato, dedita opera, adeoque diligenter efficiebat, ut ex discipulis ejus plurimi, post longissimum temporis intervallum, adhuc admirabundi commemorarent, quam gravibus verbis, ac sententiis, quanto animi fervore, ex ejus oculis, totoque vultu emicante, eos ad rectæ vitæ formam excitaret: ut sibi alius ab eo, quem in quotidiana consuetudine noverant, videretur. Post biennium Sacerdos fieri, et in eadem puerilis institutionis versanda mola pergere, jussus est. Id utique nonnihil doluit Antonio: non quod vel laborem illum refugeret, vel aliqua præstantioris muneris cupidine tangeretur; sed quia sine Theologicæ scientiæ præsidio, ad quam in scholis audiendam, se jam mittendum non esse videbat, et Religioni, et proximis minus se profuturum existimaret. In quo tamen eum fuisse deceptum, indefessus illius labor, per annos amplius quadraginta in plurimorum salutem utilissime impensus, manifeste comprobavit. Sed excitatam ægritudinis commotiunculam ubi persensit, cum esset sui continendi solicitus, humilitatis, et obedientiæ contentione compressit: seque ferventius ad illa virtutum, et literarum studia cővertit, quæ Sacerdotio digne suscipiendo, et utiliter exercendo conducunt. Post aliquot menses, in recolenda doctrina morum expensos, cujus non vulgarem notitiam coram designatis Censoribus exhibuit, ad Sacerdotii fastigium provectus est ab Illustrissimo Præsule D. Joanne Avello, et litteris, et effusa in pauperes misericordia inter Hispanos Antistites spectatissimo.

Ex novo Sacerdotii munere novos etiam desumpsit animos

mos ad omnia religionis officia ita peragenda, ut majores inde fructus colligeret, quos deinde cum proximis communicabat. Festis omnibus, et liberis ab schola diebus, post consuetam meditationis horam, ad confessiones audiendas alacer accurrebat, indeque non ante discedebat, quam ad sacrificandum juxta Superioris præscriptum evocaretur: peractoque Sacrificio, et gratiis Deo persolutis, eodem sine mora reversus, in utilissimo æque, ac laborioso ministerio ad prandium usque perseverabat. Quoniam vero ad Confessarii munus exercendum bene instructus, et apprime comparatus accesserat; tripartitum illud officium docendi, medendi, sententiamque ferendi sic adimplebat, ut unicuique eorum caritatem admisceret vere paternam. Prudentissima hæc illius agendi ratio, et indefessa in audiendis quotquot ad eum accedebant perseverantia, cum per illos, qui jam eam experti fuerant, ad aliorum aures emanasset; magnus ad eum pœnitentium accursus in iis diebus fiebat, quibus a docendi vacabat munere. Ac sicut ille in eorum spirituali commodo promovendo, qui ad se veniebant, zelo infatigabili desudabat, sic etiam ipsi in exequendis ejus mandatis, et auscultandis consiliis, ita fideles erant, ut apud Ovetenses opinio ista invaluerit: quicunque sacram Antonii Salgadi exedram frequentarent, et tutissimam ad salutem viam ingressos, et brevi, siquis esset, deposito fastu, suis suorumque moribus ordinatissimis facile cæteros inter cives esse agnoscendos. Tantum apud eos, quos dirigendos susceperat, et verborum pondere, et suarum præsidio virtutum valebat Antonius!

Cum plurimos annos huic animorum culturæ, simulque puerorum in scholis eruditioni dedisset, Præpositus Provincialis, cui notus erat Antonii zelus, eum a docendi munere exemptum, in eadem statione consistere, et spiritalem operarium agere decrevit. Hic vero Antonius, ut suam operam ad omne hominum genus extenderet, industriam auxit, in labore constantiam ingeminavit. Nam qua hora celebrari Missæ incipiebant, ipse templum ingressus, pro sacro tribunali sedebat, quod paucos intra dies maxima pœnitentium omnium ordinum, et conditionum frequentia circumfusum est: quibus ut satisfaceret, ante meridiem ab opere suscepto non desistebat.

Tunc,

Tunc, nec vero antea, ab Æditimo monebatur, ut ad celebrandum Sacrificium consurgeret: editoque signo, hæc passim verba per urbem exaudiebantur: En appetit hora diei duodecima: adeamus ergo ad Societatis Jesu, nam P. Antonius ad celebrandum accedit. Igitur coram frequentissimo populo rem divinam graviter, ac devote faciebat: et nequid sibi pietatis sensum, debitamque reverentiam impediret, ministro utebatur, quem ipse prius instruxerat, ut et verba proferret optime, et quæ sibi agenda erant, accurate perficeret. Cum eum aliquando vir optimæ notæ sacris operantem videret, ad quendam nostrorum, qui proxime aderat, conversus: *Quam bene*, inquit, *personam Domini, qui Sacrificium instituit, ad aras sustinet P. Antonius*! Post Missam, siqui adhuc confiteri vellent, eos libenter audiebat: ac tum demum lætus ibat ad prandium, si nullam messis particulam colligere neglexisset.

Jam vero ex hac ejus in audiendis confessionibus assiduitate necesse erat, ut nova ei laborum series exurgeret. Hi enim, qui apud eum soliti erant peccata sua deponere, eundem urgente morbo solicite requirebant. Ex iis etiam plurimi, qui nunquam Antonio, dum bene valerent, conscientiam suam aperuerant, illius in extremis opem implorabant. Adeo enim ejus zelus, atque in juvandis morti proximis dexteritas per urbem celebrabatur, ut quicunque ad incitas redigebantur, eum sibi adesse desiderarent; et in maximam sancte obeundi fiduciam adducebantur, dum sibi ex hac emigraturis vita ad caput lecti adstitisset Antonius. Propterea vix ullus præteribat dies, quin semel, aliquando vero sæpius ad ægrotos evocaretur: plerumque sex, octo, plures etiam noctes per singulos menses extra domum juvandis moribundis ducebat. Illudque non raro visum est evenire, ut cum simul a pluribus expeteretur, ipse ad maxime indigentem opportunissime accurreret: quod nonnulli supernis Angeli Custodis insinuationibus referebant, et Archangeli Michaelis patrocinio, quem singulari cultu prosequebatur. Eos autem infirmos, ad quos semel fuisset accitus, non deserebat, donec aut vita defungerentur, aut mortis periculum evasissent. Unde aliquot anni temporibus his præstantis misericordiæ operibus ita deditus erat, ut vix domi manere sineretur, nisi ut frugalissimum cibum sumeret post

pe-

peractum Missæ Sacrificium. Hoc enim nullis quantumvis magnis distentus occupationibus offerre prætermittebat. Ac licet ipse per noctes continenter octo ad carpendum in lecto somnum non recubuisset, quod interdum ob ægrotantium periculum, sive frequentiam accidebat, nihilominus quæ sibi agenda erant; sic ordinabat, ut plerumque ad undecimam diei horam in domum sacris operaturus regrederetur: sumptoque modico cibo, sine alia laboris interspiratione, ad subveniendum infirmis revertebatur: eandemque agendi rationem et postera, et insequentibus diebus, dum instaret mortis periculum, observabat.

His tam eximiæ caritatis officiis intentus, a visitationibus illis, quas urbanitas induxisse fertur, penitus abstinebat. Etenim per universam Ovetensium urbem, ægrotantium et pauperum limina terere solitus, aliorum tecta civium, nisi ex alicujus spiritalis ministerii causa, nunquam subibat. Et tamen, quoniam bona religiosi viri existimatio officiosis salutationibus minime paritur, Antonius maximo in pretio, atque honore erat apud omnes. Ad ipsum intra Collegii septa, nisi caritas extraxisset, delitescentem, Ecclesiastici, Equites, Senatores, alii aliorum ordinum cives, illius opinione virtutis adducti conveniebant, ut sermonibus ejus, et consiliis ad suscepti muneris partes perfectius adimplendas excitarentur; ut rerum agendarum deliberationes ad prudentiæ, justitiæque leges exigerent; ut denique suam quisque familiam christiane instituere, recteque administrare perdisceret. Hos inter frequenter ad eum veniebat vir sapientissimus Emmanuel Verdexa, in Academia Salmanticensi primarius olim Canonum Doctor, Oveti deinde per multos annos Senator, ac tandem Ovetensi Senatui Regentis nomine præfectus. Is etiam sub initium hebdomadæ sanctæ, cum sibi a gravissimis sui muneris occupationibus vacabat, per triduum in Collegium Societatis secedens, sacris meditationibus exercebatur, ut animi sui rebus prospiceret, easque melius in dies, ut Christianum hominem decet, constitueret: quæ omnia sub Antonii ductu, et consiliis, quæ sibi maximi erant ponderis, exequebatur.

Hos, cæterosque Antonii labores, utpote ab animo divinæ gloriæ, salutisque hominum studiosissimo profectos, Deus be-

benigne secundabat: et ille, cum verba sua solidarum virtutum confirmaret exemplis, uberem industriæ suæ fructum reportabat. Illius animi mansuetudinem, et demissionem facile omnes vel ex sola loquendi ratione deprehendebant. Sive enim cum domesticis colloqueretur, sive ageret cum externis, pacifice semper, ac submisse, quod in re quaque opus esset, eloquebatur, quin eum unquam aliquis elatiorem proferre vocem audierit. De se ipso adeo sentiebat abjecte, ut firmissima animi inductione crederet, et affirmaret; sicut ipse, propter diuturniorem in ea commorationem, cæteris Sociis notior erat in urbe, sic etiam omnibus multo esse ineptiorem. Atque hac humili sui opinione permotus, viliora quælibet in iis, quæ ad victum, et habitaculum pertinent, tanquam sibi maxime propria deligebat. Siquando, vel sæviente hieme, vel languente stomacho, jentare cogebatur, nonnihil ex illo cibo capiebat, qui pro inferioribus servis apparabatur. Quod si eum aliquis ad meliorem dapem sumendam vellet urgere, nihil eo sibi aptius, nihil esse jucundius affirmabat. Per annos tres et quadraginta, quibus Oveti commoratus est, cubiculum, in quo primum receptus est, et quo vix ullum erat magis incommodum, nullis unquam precibus voluit deserere. Cum autem ad regendum Collegium illud is aliquando venisset, qui multis retro annis Antonii Collega fuerat in docenda Grammatica, demiratus perseverantem hominis humilitatem, eique de commodiore habitatione providere cupiens: Oportet, inquit, Antoni, ut hoc tandem relicto cubiculo, aliud incolas minus incommodum. Cui Antonius: Ego vero, Pater, cubiculum hoc optime novi, et vicissim notus sum illi. Oro te igitur, et quam submisse possum obtestor, ut me sinas ibidem consistere. Acquievit his precibus Rector, ne, cui beneficium facere constituerat, molestiam potius inferret.

Pari etiam studio religiosam colebat paupertatem, cujus non domi tantum, sed foris etiam præclara dedit exempla. Cum enim universis civibus acceptissimus esset ob indefessam operam, quam in juvandis ægrotis, et bene valentibus quotidie collocabat, eorumque plurimi nonnullam illius erga se meritis gratiam vellent referre, ipse gratificationes ejusmodi non admittebat. Illud tantummodo a sui conditione ministerii non

re-

reputabat alienum, si ea, qua pollebat gratia apud omnes, in aliorum commodum uteretur interdum. Idque tum maxime solitus erat efficere, cum ad audiendas ægrotantium pauperum confessiones accitus, eorum aliquem, ut sæpe contingit, inedia potius, quam alterius vi morbi laborantem reperiret. Tunc enim, misso nuntio in aliquam divitum domum, de miseranda pauperis egestate monebat, simulque, ut eidem subvenire vellent, deprecabatur: quod ipsi, et ob suam erga pauperes misericordiam, et in rogantis Antonii gratiam, prolixe libentissimeque faciebant. Cæterum ab acceptandis muneribus tantum abhorrebat Antonius, quantum ex iis, quæ subjiciam, apparebit, ut alia id genus prætermittam. Pecuniosi cujusdam civis uxori, gravissimo correptæ morbo, qui tandem ei vitam eripuit, per aliquot dies, ac noctes Antonius more suo adstitit, ut eam ad obeundam christiane mortem compararet. Vir ejus, postquam uxori justa persolverat, vigiliarum, quas Antonius domi suæ egerat, et testis, et memor, aliquam grati animi significationem eidem exhibere decrevit: sed quo id pacto faceret, vix inveniebat. Sciebat enim, Antonium tabaco, et chocolato non uti, aliaque his similia munuscula solitum fuisse constantissime rejicere. Sed postquam multa secum volverat, id animo subiit, quod Antonio non modo non recusandum, sed gratissimum fore sperabat. Librum emere constituit, qui de rebus moralibus ageret, aut de jure Canonico, eumque Antonio dono mittere, utpote illius ministerio maxime proprium. Empto igitur libro (is erat, nisi fallor, Henrici Pirhingii opus Canonicum) misit eum Antonio: qui nihilo demoratus, per servum, qui librum asportaverat, illum domino suo remisit. Hic vero, cum Antonium convenisset, primum amice de repulsa conqueri, deinde suppliciter rogare, obtestari, demum rationibus agere, et urgere, ut librum tandem reciperet. Sed Antonius nullis hujusmodi artibus potuit a sententia dimoveri. Quare vir ille: Quoniam tibi fixum est, inquit, librum non acceptare, mihi etiam deliberatum est, eum non iterum meam referre domum: hic igitur maneat, et catalogo Bibliothecæ vestræ inscribatur. Hanc in recusandis donis constantiam sæpe alias ostendit: et quo se magis ab humanæ retributionis affectu perhi-

m be-

bebat alienum, eo in se magis rapiebat civium oculos, et voluntates. Domi vero frequentiora, imo etiam quotidiana præbebat voluntariæ paupertatis argumenta. Nam supellex, qua cubiculum ejus erat instructum, tenuis erat, et modica: mensa nempe cum forulis, in quibus libri aliqui morales, et ascetici: sellæ admodum duæ vulgaris operis, et materiæ: lectus, in quo lodicem, et stragulum, quæ sibi tradita sunt, cum primum Ovetum venit, semper retinuit: in parietibus, præter Crucifixi effigiem, alteramque papyraceam imaginem, et lustralis aquæ vasculum, nullum depictum linteum, nullus ornatus. Vestibus, quæ omnibus in commune distribuebantur, magna cum moderatione utebatur: neque constat, eum unquam ad Vestiarium accessisse, ut peteret femoralia. Quanquam hæc sane minus sibi necessaria erant, quam cæteris: alia namque diutius permansura sibi ipse confecerat ex cilicio, quo simul corpus tegeret, et excruciaret.

Erat enim in sui corporis castigatione rigidus, et austerus. Præter cilicii usum, de quo diximus, asperrimis flagellis sese cædebat, per plurimos quidem annos, bis in dies singulos, deinde vero, ingravescente jam ætate, aut semel omnibus diebus, aut certe plerisque. Et quanquam ipse locum ad se torquendum ab arbitris remotissimum exquisierat, quippe supra templi fornicem abscondebatur; adeo tamen in se desæviebat immaniter, ut verberum crepitus ad eos, qui tum forte in choro, vel odeis aderant, magno cum horrore pertingeret. Neque hoc rigore contentus, ventri etiam, adhibita ciborum maxima parsimonia, bellum indixit fere perpetuum. Oveti per annos amplius triginta nullum sumpsit jentaculum: in postrema vero ætate, cum jam sexagenario major esset, nonnihil interdum ex iis, quæ magis obvia sunt, desumebat, ut corpus nimia frigoris intemperie rigescens foveret. Potionem chocolaticam ne tum quidem degustare voluit, cum aliquo valetudinis incommodo laboranti profuturam esse, Medicus significaret: tunc enim ipse desuetudinem excusabat, et jusculum tanquam sibi maxime commodum præferebat. Cum autem jejunus plerumque veniret ad prandium, in eo tamen non multo sibi indulgebat benignius. Etenim ex modico ciborum apparatu, quibus mensæ nostræ instruebantur, præcipuum ferculum,

in

in quo selibra carnis inferebatur, omnino relinquebat intactum, pauperi deinde cum Rectoris venia largiendum. Illius itaque prandium ex olerum, aut cujusdam levioris edulii lance, parva scutella juris, et uno vel altero pomo constabat: quanquam istorum etiam sæpissime pauperes volebat esse participes. Noctu quoque frugalissime cœnabat, nec raro cubitum ibat incœnatus. Nam quoties domum ab auxiliandis ægrotis (quod non erat infrequens) post mediam noctem redibat; ut postmodum Sacrificium offerre posset, omnimodis abstinebat, quamvis nihil diu ante gustasset: in ægrotantium quippe domibus, licet ultra vicenas interdum horas immoraretur, et adstantium precibus urgeretur quam maximis, nihil unquam, ne vini quidem, vel aquæ stillam degustavit. Hæc illius frugalitas eo cunctis erat admirabilior, quod Antonii stomachum et optime temperatum, et concoquendis cibis aptissimum esse, non ignorarent. Ut autem in fame, sitique toleranda constantiam servavit, sic etiam in carpendo somno moderationem exhibuit. Nam præterquam quod eum ipsius caritas ad lectum graviter decumbentium sæpissime excubare cogebat, quin ulla deinde evigilatæ noctis compensatione uteretur; dum domi noctu manebat, multo quam reliqui maturius surgebat e somno: et quoties a ministerii sui functionibus, duas etiam horas antequam cæteri surgerent, revertebatur, ne tum quidem lectum petebat, sed reclinis quiescebat in sella, donec edito ad consurgendum signo, in templum de more pergeret ad orandum. Roganti cuidam, quo pacto tam multas noctes ducere posset insomnes? *Mihi satis est*, dixit, *si prope alicujus infirmi lectum tantisper obdormiscam*. Tantum assiduo repugnandi sensibus studio profecerat, ut corpus suum paucis assuefieri obtinuerit.

Hac austerioris vitæ ratione castitatem suam tanquam firmo vallo munivit, eidemque tuendæ quam maxime, alia insuper addidit propugnacula. Modestiam, circumspectionemque adhibuit, gratam illam quidem, sed quæ ad severitatem accederet, quoties id prudentiæ leges exigerent. Siqua eum mulier in templum vocabat, neque esset instituenda confessio, stans Antonius extra confessionum sedem, ac demissis in terram oculis, rem omnem, quam paucissimis poterat, expediebat.

bat.

bat. Si vero ad Collegii januam evocaretur, patentibus foribus mulieres, quæ ad eum convenirent, excipiebat, et in prætereuntium conspectu, quæ sibi proponenda essent, auscultabat: quibus cum responsa dedisset, inde sine mora discedebat. Extra domum vero, cum ad infirmos pergeret, ita incedebat modeste, ut eum cives tanquam modestiæ, decorique totius exemplar suspicerent, ac prædicarent. Et quoniam, ut est apud Cassianum, ad continendos concupiscentiæ motus summopere oportet, ut quis prius voluntatem suam superare didicerit per obedientiam; huic semper Antonius magnam studii partem impendit. Nec solum erat animo ad mandata quælibet obeunda paratus, sed factis etiam hanc animi comparationem identidem comprobabat. Quacunque hora diei, vel noctis ad subveniendum ægrotantibus mitteretur, abrupto, relictove somno, atque itidem prandio, sine murmure, ac tædio, omnique abjecta cunctatione pergebat. Neque, ut morem majoribus gereret, illorum expressa jussa expectabat; sed eorum vel indicatæ voluntati alacriter obsequebatur. Quotidianis autem religionis officiis, cæterisque domesticæ disciplinæ functionibus sic aderat prompte, ut vel signum præveniret, vel primus omnium accederet, iis tantum diebus exceptis, quibus major esset confessionum frequentia: tunc enim ardens animarum zelus, qui eum ante alios ad audiendas confessiones impulerat, non raro tardius ad prandium venire compellebat.

Omnis virtutum ejus vigor ex frequenti rerum æternarum commentatione oriebatur. Huic ita erat deditus, ut consuetæ meditationis horæ alteram fere quotidie, tres etiam, aut quatuor frequenter superadderet. Oraturus autem, quo facilius ad reverentiam, et fervorem excitaretur, coram augustissimo altaris Sacramento sese sistebat in odeo ante aram S. Ignatii constituto, quod jam vulgo odeum P. Antonii dicebatur, eoquod ab ipso tam sæpe frequentaretur. Hic provolutus in genua, diu perseverabat immotus, vultu adeo sereno, atque placido, nonnunquam ita succenso, ut internam, qua perfundebatur, dulcedinem, et flammas, quibus cor ejus æstuabat, portendere videretur. Alias divinis rebus, quas animo volvebat, sic erat immersus, ut siquando compellandus esset, aut aliquid monendus ad aurem, sæpius essent verba

ite-

iteranda, antequam ea plene percepisset. Neque ab orationis loco digressus, penitus ab oratione cessabat: siquidem Deum ubique sibi præsentem objiciens, in eum mentis aciem cum ardenti animi affectu, quam frequentissime poterat, intendebat. Silentium ea de causa ita studiose colebat, ut quos obvios haberet domi, aut per urbem incedens, aperto capite, sed verbis plerumque parcens, revereretur: ne scilicet minus necessariæ confabulationes suavissimam cum Deo consuetudinem impedirent. Præterea singulis mensibus, ut jam a tirocinio didicerat, integrum diem rebus dabat spiritualibus, quo die animum a noxis, quas eo mense contraxerat, generali confessione purgabat.

Cum has Antonii virtutes, et egregiam illius in juvandis animis industriam bene nosset Præpositus Generalis, eum ad solemnem trium votorum professionem, utpote insignem Societatis Operarium, promovendum censuit. Id ille tanquam majus suis meritis beneficium humili, gratoque animo accepit: emissaque professione, majori cum gaudio, et alacritate ministeria sibi demandata instauravit. His adimplendis desudabat strenue, cum Hispaniarum Rex Catholicus omnes, qui in Societate Jesu censebantur, in Italiam relegare decrevit. Cujus decreti nuntium, cum Ovetum perlatum esset, magno cives illos dolore confecit, ut quibus ejus Collegii Patres carissimi semper fuissent. Sed ob Antonii maxime desiderium ita dolebant acerbe, ut per Ovetensis Senatus Præsidem libellum supplicem Regi mittere constituerint, ut saltem Antonium Salgadum, suis alendum sumptibus, sibi relinquere dignaretur. Et quanquam ab hoc deinde consilio recesserunt, propterea quod illius perficiendi nulla spes affulgeret; id tamen vel tentasse tantummodo, non leve fuit argumentum, quanto apud Ovetenses in pretio esset Antonius. Huic ergo cum cæteris ex urbe fuit excedendum inter effusas civium lacrymas, sibi magnis clamoribus vale dicentium. Et licet ob incommoda valetudinis equitare non nisi difficillime posset, equo tamen impositus iter illud instituit: sed paululum ab urbe digressus, cum ulterius equo vehi omnino non posset, plaustro cujusdam rustici fuit imponendus. Hoc modo, magnis fractus molestiis ex frequenti succussione vehicu-

li,

li, quas ille æquissimo animo tulit, reliquum iter peregit, dum Gegionem venit. Ibi, dum navis instruebatur, parumper demoratus, ab incolis, quibus notissima erat ejus fama virtutum, maximis honoris, ac doloris significationibus exceptus est. Ipse vero de sua calamitate mœstissimos placido vultu, verbisque prudentissimis solabatur.

Post dies aliquot navem cum reliquis Sociis conscendit, sublatisque anchoris, Ferrolium versus tranquillo mari cœptum est navigari. Sed proxima nocte, gravissima tempestate coorta, ita convulsum est mare, ut navis, elusa nautarum industria, sævientium ventorum jactaretur arbitrio. Multi propterea, supremam adventasse horam existimantes, ad Antonium peccata sua denuntiaturi accesserunt: quos cum audisset, tam eos, quam reliquos hortabatur, ut fusis ad Deum precibus, et oculis in eam, quæ maris Stella dicitur, pie conversis, opportunum in tanto discrimine auxilium firmissime sperarent. Hæc inter vehementior adversi venti flatus, et iterati fluctuum impetus navem in portum, unde paulo ante solverat, rejecerunt. Hic autem, ut stet aliqua accepti beneficii memoria, æquissimum fuerit commemorare, quid erga Patres Ovetensis Collegii fecerint religiosæ Virgines, quæ sub strictiori S. Augustini regula præclaris illibatæ vitæ exemplis Gegione degunt. Consciæ periculi, quod Patres subierant, et evaserant, statim in chorum convenerunt; et coram Venerabili Sacramento, quod super aram exponi fecerant, suppliciter procumbentes, primum cœlesti Sponso quam maximas egerunt gratias pro Patrum in procellæ discrimine vita, et incolumitate servata: deinde ferventissimas fuderunt preces, ut iisdem proficiscentibus tranquillum mare concederet. Et sane (quoniam innocentia morum, et vitæ austeritas gratiosissimos Deo reddit orantes) pia Virginum vota visa sunt exaudiri. Ventorum quippe furor resedit, paulatimque mare detumuit: unde Patres, cum Monialibus grates pro exhibita in eos pietate reddidissent, iterum se mari committunt: et longum iter per oceani, mediterraneique maris undas secundis ubique ventis usque ad oras Etruriæ confecerunt. Antonius vero diuturnum prolixæ navigationis otium rectissime collocavit. In remotum locum, quantum vectorum frequentia, et navis angustiæ patiebantur, dis-

ce-

cedens, orationi, lectioni, sacrisque precibus longa dabat horarum spatia. Nonnunquam, cum esset humilitatis, religiosæque paupertatis studiosus, suas sibi vestes reficiebat. Quibus, aliisque virtutum exemplis magno semper in honore fuit apud nautas.

Hanc inter navigandum rationem vitæ secutus, in Corsicam tandem devenit, theatrum eo tempore belli civilis, quod multis retro annis inter colonos exarserat: quorum aliqui pro Liguribus Insulæ dominis, plerique pro sua libertate decertabant. Erat proinde tum Corsica earum sedes calamitatum, quæ diuturnum, et intestinum bellum consequantur necesse est. Hispani exules in præsidiis maritimis, quæ pro Genuensium Republica stabant, omnes constiterunt. Castellanis Calvium obtigit, in præruptæ vertice rupis extructum, circumfluoque mari præcinctum, angustissimo excepto isthmo, qui venientibus ab Insula aditum in arcem præbet nimis arduum, et confragosum. Hic Antonius, quam dudum animo imbiberat mortalium rerum despicientiam, cœlestium contemplationem, ac desiderium, reliquarumque virtutum copiam, quas per ante actæ vitæ spatium comparaverat, manifestius ostendit, et exercuit studiosius. Animi constantiam, et æquabilitatem, cujus exhibendæ quam plurimæ per id tempus, nec sane leves occurrebant opportunitates, ita retinuit, ut nulli eum casus adversi perturbarent. Erant profecto tum Calvii domiciliorum angustiæ adeo magnæ, commeatuum inopia, vitiataque qualitas, aliaque diversi generis tot, tantaque incommoda, ut si ea minutim enarrare contendam, fidem legentibus vix me facturum sperem. Et tamen Antonius in eo calamitatum occursu pene incredibili nullum vel queruli, vel concidentis animi signum, ne vultu quidem, nedum verbis unquam expressit. Et quasi parum adhuc pateretur aliunde, de consueto castigandi corporis sui rigore nihil remisit. Interea lætus, et gaudens, ubique se comem, et affabilem omnibus exhibebat: multique solatium ingens, et optatam tranquillitatem in illarum ærumnarum fluctibus sibi ex Antonii colloquiis advenisse profitebantur.

Sed quem alii labores non fregerant, tabidæ febris æstus tandem absumpsit. Hunc ille morbum initio, cum leviorem

cre-

crederet, neque esset commodi sui solicitus, fere neglexit. Primis enim diebus, cum omnia solis ardoribus in media æstate flagrabant, laneis indutus vestibus supra lectum recubuit. Sed cum Superiores, adhibito quodam ex Pharmacopolis (iis infirmantium cura demandanda fuit Calvii) graviorem esse morbum agnovissent, medicamenta, quæ opportuniora videbantur, invenirique poterant, cœpta sunr adhiberi. Hæc vero cum depellendæ febri minus juvarent, Antonius invalescentis morbi dolores patientissime tolerabat. Demumque inter ferventes virtutum actus, susceptis Sacramentis, vivere desiit die 21 Julii ann. 1768, cum explevisset annos septuaginta duos. Decentissimo funere sepultus est in templo Minorum observantium S. Francisci, quod in conspectu Calvii paucis a suburbio passibus situm est. Solemni peracto ritu, corpus inclusum est arcæ (hæc apud nos infrequens honoris significatio Antonii decreta fuit meritis) et in Sacrario prædicti templi reconditum. Sic apud humillimi Francisci filios, quorum ipse vivendi formam olim amplecti voluerat, humilis Antonii cineres requieverunt.

ADRI-

## ADRIANUS ANTONIUS CRUCIUS.

Victoriæ in Alavensi Provincia celebri urbe natus est Adrianus Antonius Crocius, sive Crucius, exeunte anno 1689, die vigesima sexta Decembris. Progenitores ejus e Belgio multis retro annis digressi, in Hispaniam commigrarunt, et sedem inter Cantabros sibi constituerunt. De prima illius ætate id unum generatim possim asserere: liberaliter eum fuisse educatum, et adolescentiam in optimis studiis ita feliciter collocasse, ut in iis parum sibi fuerit immorandum, cum ad Societatem accessit. Ad hanc autem expetendam non aliquo inductus fuit adversæ fortunæ casu, cum potius ei mundus ob præclaram indolem animi, egregiam corporis constitutionem, et ingenii magnitudinem ad honores et opes facilem exhiberet accessum. Sed illam, mundi spretis illecebris, ambire cœpit virtutis pulchritudine captus, et Jesu Christi percitus amore, illorumque ministeriorum ductus studio, quæ ad ejusdem exemplum Societatis homines exercere nitebantur. In altissimum hunc scopum cum collineasset, vota sua Patribus Societatis aperuit, quibus annumeratus est die vicesima prima Junii anno 1713. Longum religiosæ vitæ suæ cursum magna cum alacritate, et spiritus fervore suscepit: et in tirocinio firma posuit fundamenta virtutum, quibus deinde colendis, et augendis studuit, humilitatis præsertim, mortificationis, et amoris in proximos propter Deum. Ibidem etiam cum ingenua simplicitate, in qua multis ætate minoribus consimilem sese reddebat, judicii maturitatem, et majorem considerantiam in agendis conjunxit, quippe qui jam quartum et vigesimum ætatis annum attigerat. Postquam tirocinium laudabiliter posuit, Compostellam, Grammaticæ rudimenta docturus, eo fine fuit missus, ut post annum Philosophiam ibidem recoleret. Sed, quoniam liberalibus disciplinis optime instructus apparuit, an-

nuo circumacto spatio, Salmanticam ad Theologica studia sine cunctatione dimittitur. In discendo vero, tantum ingenio valuit, et labore profecit, ut deinde non exteros modo, sed domesticos etiam magna cum laude docuerit; primum Humanitatem, et Rhetoricam in Seminario Villagarsiensi, deinde Philosophiam in Collegio Compostellano, ac denique Salmanticæ, et Vallisoleti Theologiam.

Cum primum ad Sacerdotium fuit evectus, spiritus cœpit ostendere, quos in tirocinii, et studiorum decursu collegerat ad aliorum salutem procurandam. Ad eamque porro obtinendam iis naturæ facultatibus, et gratiæ donis erat ornatus, quæ Societatis ministeria requirunt. Erat enim comis, et affabilis omnibus: urbanus, et officiosus sine artificio: mansuetus, et humilis sine ullo vanitatis, et superbiæ vestigio: divinæ gloriæ zelo succensus: quam ut augeret, cum nullis suis laboribus parceret, nulli tamen industriæ suæ confidebat, sed omnia ex immensa Dei beneficentia sperabat. Talis denique erat Adrianus, ut dilectus Deo, et hominibus verissime dici posset. Ac talis cum esset, multi ad eum consilii, et solatii causa conveniebant, et ab omnibus magno habebatur in pretio; quoniam omnes ille, cujuscunque demum conditionis essent, humanissime excipiebat, quin ullum ab se rejiceret, quantumvis gravibus docendi, ac prædicandi occupationibus esset distentus. Omnes item ab illo, cum esset prudentia æque, ac doctrina præstantissimus, solamen in ægritudine, lucem in dubiis recipiebant, et in rectam salutis viam sine tædio et amaritudine, mira potius dulcedine inducebantur. Nunquam eum otiosum, nunquam animo evagantem observasses: quin imo ex corporis motu, atque incessu hominem sibi, ac Deo, a quo regebatur, intentissimum agnovisses. Nec domi solum, sed foris etiam nota erat Adriani modestia, ex cujus agendi, loquendique ratione omnes, magno cum ipsorum profectu, compositos illius mores arguebant. Compostellæ vir quidam alterius ordinis religiosus, cum obvium habuisset adolescentulum, Adriani in Philosophia auditorem: O! te felicem, inquit, cui Magister obtigit, et literis, et virtute commendatissimus. Cum autem omnia bene, ac perfecte agere studeret, Deusque illius secundaret industriam; ipse tamen nihil inde sibi usurpabat,

sed

sed omnia in totius auctorem boni refundebat. Quare, cum juvenes Compostellani (quos Adrianus, simul cum Societatis juvenibus, magno numero discipulos habuit) peracto triennali Philosophico cursu, drama quoddam, ad Magistri laudes celebrandas, in scenam producere decrevissent; nihil ipse non tentavit, cum primum id rescivit, ut ingratissimum sibi spectaculum impediret: ac licet omnia jam parata essent, et juvenes ab iis, quæ prudenter statuisse credebant, ægerrime dimoverentur; ab eis tandem, ne carmen illud exhiberetur, obtinuit.

Quibus in Collegiis morabatur, cum Sociis omnibus exemplo, tum maxime Superioribus solatio erat, et adjumento singulari. Hi enim in magnis rei cujuslibet expediendæ difficultatibus, tutiorem evadendi viam non inveniebant, quam ut opera uterentur Adriani, de quo minime dubitabant, quin opus impositum prompte susciperet, susceptoque cumulate satisfaceret. Cum P. Petrus Calatayudius, Evangelicæ prædicationis laude, et animarum zelo in omnibus Hispaniæ Provinciis celebratissimus, Compostellam ad disseminandum Dei verbum venisset; inter operas, quas in auxilium vocavit, potiores partes habuit Adrianus noster tum in agro illo subigendo, tum etiam in uberrimis fructibus colligendis. Idem Vallisoleti contigit anno insequenti: ubi sacra, ut ajunt, Missione instituta, cum ipse ad audiendas confessiones quadam nocte sederet, mandatum a Superiore recepit, ut ad concionem in proximam diem habendam sese pararet. Fecit libenter, et optime quod jubebatur Adrianus, minime, nisi juberetur, facturus: nunquam enim antea, neque vero posthac in suggestum ascendit (ascendebat autem sæpissime) quin prius ea, quæ dicturus erat, post diligentem commentationem, et chartis, et memoriæ commendasset: nolebat enim Orator extemporalis audire. Propterea, licet aptus esset ad omnia, in hac tamen dicendi facultate plurimum eminebat, quippe cui omnes inerant perfecti Oratoris christiani dotes. Nam et verbis ad audiendum jucundis, et sententiis ad comprobandum aptissimis, cum actionis etiam dignitate quadam conjunctis, uti didicerat. His illud, quod in Rhetorum schola non discitur, ipse studiose adjungebat: ut auditorum salutem, Deique gloriam, non suam in dicendo soli-

licite promoveret. Salmanticæ, quo tempore Theologiam docebat, munus etiam Concionatoris obire jussus, in amplissima illa Sapientium, Doctorumque sede frequentissimum auditorium utili voluptate complebat, et, quem minime consectabatur, plausum etiam obtinebat ingentem. Quam autem apposite diceret ad movendum, magnus eorum numerus significabat, qui eum ad exonerandas conscientias requirebant: quibus ille infatigabili constantia deservire nunquam prætermisit.

Sed præclaras animi dotes, et illustria virtutum exempla nusquam evidentius, quam Victoriæ in patria sua ostendit Adrianus: non quo civibus universis acceptus esse potuerit; sed quod abalienatos quorumdam animos sibi devinxerit, aliorum obtrectationes invicta patientia toleraverit. Ibi enim Excellentissimus Dominus Joannes Franciscus Manriquius, rebus in bello gestis apud Hispanos notissimus, neque Austriacis ignotus, quos inter expugnando Tauruno sub Eugenio Principe miles voluntarius interfuit, ac deinde Catholici Regis copiis pro Imperatore præfectus; Collegium Societati Jesu erigendum curaverat, eidemque constituendo domum suam, et congruentem pecuniæ summam assignavit. Sed pio præclari Equitis consilio gravissimæ difficultates, lites prolixæ, magnaque intercessere dissidia. Opus proinde erat præstantis prudentia et patientia viri, qui commotos sedaret animos, voluntates conciliaret aversas; qui verbis non solum, sed optima etiam agendi ratione Victoriensibus persuaderet, quanta demum ab stabiliendo Sociorum domicilio sperare possent subsidia. His obtinendis nullus aptior profecto, quam Adrianus Crucius, in quem propterea Superiores oculos intenderunt, ejusque solerti religiosæque prudentiæ perdifficile negotium commendarunt. Ipse vero, qui nunquam contra imperata repugnaret, collum submisit oneri, quo nihil magis adversabatur mitissimæ illius indoli, pacis ac secessus studiosissimæ. Illuc profectus est e vestigio, quietem et tranquillitatem suam, imo et honorem libenter devovens pro Religione: neque enim facile dictu est, quanta ibi egerit, quanta sit passus, ut rem ad exitum perduceret. Nam eorum nonnulli, qui ædificando Collegio repugnabant, sive rerum nostrarum ignoratione, sive falsis, ut sæpe con-

tin-

tingit, imbuti rumoribus, sinistram de Societatis hominibus opinionem in animum induxerant, ideoque ne ibi pedem figerent, omnia sibi tentanda crediderunt. Hic tamen mihi non est animus, nec vero juvat, ingratam contentionum illarum subtili narratione refricare memoriam: ut enim illæ ad commendandam Adriani patientiam multum efficerent; sine offensione tamen quorumdam enarrari vix possent. Illud summatim dixisse sufficiat: multos adversariorum in veritatem diligentius inquirentes, exemploque permotos Equitum Victoriensium, qui rebus Societatis impense favebant, præjudicatas opiniones suas exuisse: et P. Adrianum tacendo, tolerando, in ministeriis Societatis heroice desudando, omnia tandem obstacula superasse, et condendæ domui quasi sternere solum obtinuisse. De hac ejus commoratione Victoriensi solitus erat dicere illius socius Josephus Iturrius; nec poterat a lacrymis sibi temperare, cum diceret: neminem verbis assequi posse, in procuranda Collegii fundatione, quanta perpessus esset Adrianus.

Hic autem, magnis perfunctus laboribus, tranquillitatem et quietem, quam minime voluisset, invenit. Etenim Vir clarissimus Dominus Josephus Corralius, inter Victorienses cives splendore generis, rerum agendarum industria, et religione præstantissimus; cui propterea quotquot erant Equestris ordinis, ad agendam Societatis causam, potestatem omnem detulerant; in eadem tuenda sic adlaboravit, ut demum a Catholico Rege Ferdinando VI extruendi templi, et collocandi Collegii facultatem impetraverit. Sed in eo moliendo, perficiendoque negotio, tot se dimicationibus objecerat, tantisque molestiis, et oblocutionibus fuerat insectatus, ut ejus valetudine debilitata, pene de potestate mentis exierit. Propterea illius uxor, pari nobilitate et virtute femina, Domina Teresia de Aguirre, Marchionum Montis Formosi filia, et in Aula Catholici Regis amplissimis perfuncta muneribus, enixas ad Societatis Superiores preces direxit, ut, quoniam vir ejus in transigenda Victoriensi causa salutem suam profudisset, P. Adrianum Crucium sibi concederent, cujus unius consuetudine, opportunissimisque consiliis et viri morbus, et afflictissimæ familiæ mœror poterat sublevari. Hoc tanto rationum pondere

non

non flecti Societatis Moderatores non potuerunt. Quare Præpositus Generalis, et Provincialis Castellæ Adriano præceperunt, ut in Corralii domum transiret, ibidemque ad illius juvamen et solatium permaneret. Fuit hæc enimvero singularis grati animi significatio, cujus vix exemplum repereris in Societate: ut unus aliquis illius filius in seculari domo sedem suam fixerit ad multos annos. Sed hinc illustrissimorum conjugum præclara in Societatem merita, et acerbum eorumdem infortunium; inde spectata P. Adriani virtus effecerunt, ut non modo consilium istud non fuerit improbatum, sed omnes illud justissimum duxerint, et collaudaverint. Per id vero tempus laudatus Dominus Corralius Azcoithiæ prope Lojolam morabatur, ubi domum hereditario jure possidebat, quæ domus Balda dicitur, a qua felicissima in paucis femina Marina Saez de Balda, S. Ignatii Mater, originem duxit. Propterea-que domum illam Teresia de Aguirre elegantibus Romæ pictis iconibus, quibus vita S. Patris ab ipsius infantia exhibetur, magnifice ornavit.

Huc igitur diversaturus venit Adrianus: ibique vitam instituit non religiosam modo, sed pene dixerim solitariam. Ut enim longius ab omni strepitu abesset, cubiculum minus commodum in extrema domo sibi delegit: atque, ut omnes eo penetrandi aditus domesticis servis præcluderet, quæcumque ad habitaculi munditiem spectabant, per se ita exercebat, ut immunda quoque vasa ad latrinam ipse deferret. Prospiciebat utique et invigilabat iis omnibus, quæ ad optimam præclaræ domus administrationem pertinebant, præsertimque illius Hero, hujusque Sponsæ solandis et sublevandis, eorumque copiosæ soboli cum reliqua familia christiane pieque instituendæ. Sed quo putas modo? suavissimo nempe, tamque ab omni fastu, vel imperandi libidine alieno, ut ab omnibus optimi Parentis loco haberetur, omnesque illi a maximo usque ad minimum et obsequium sine violentia præstarent, et reverentiam tanquam viro sancto exhiberent. Nihil enimvero in Adriano aspiciebant, quod optimo exemplo non esset: nihil ab illius ore auscultabant, quod spiritali, vel temporali ipsorum commodo non deserviret: quapropter domus Balda simillimam religiosæ familiæ speciem referebat. Et sane mirandum valde

est

est, omnique commendatione dignissimum, cum Adrianus in illa domo plus viginti annos permanserit, neque domus illius Dominos Adriano, neque item istum illis unquam fuisse succensum. Tantum et prudens Adriani virtus, et nobilissimorum conjugum pietas potuit efficere!

Sed quanquam his in ædibus habitabat, ad fratres suos in Azcoithiensi Collegio commorantes, itare non prætermittebat. Ad eos veniebat fere quotidie, tum ut pœnitentiæ Sacramentum ipse susciperet, tum ut illos in eodem Fidelibus administrando juvaret. Et in hoc utilissimum ministerium tanto ferebatur studio, ut festis omnibus diebus tempestivius e somno consurgens, atque in templum Societatis accurrens ( pro cujus foribus, antequam illæ panderentur, sæpissime adstabat ) ad destinatum confessionibus locum et primus omnium accederet, et postremus inde discederet. Quadragesimalis jejunii tempore ibidem concionatus est, dum sibi per valetudinem licuit. Sed, cum post aliquot annos vertigines pati cœpisset, propter quas nonnunquam, inter dicendum, tantisper consistere cogebatur, a publicis concionibus abstinuit. Non ideo tamen a prædicando cessavit omnino: nam, cum esset in juvandis animis ingeniosus, modum excogitavit, quo sibi quidem minus afferret incommodi, sed auditoribus non minus prodesset, ac antea. In amplis ædibus Baldæ ante domesticum Oratorium atrium protenditur spatiosum, in quod etiam conclave prospicit satis laxum, quæ proinde magnam hominum multitudinem percommode caperent. Huc igitur Adrianus invitavit, qui se, de divinis rebus disserentem, vellent audire. Qua invitatione per nobilissimos Azcoithiæ incolas divulgata, plurimi e primariis viris, ac feminis, atque etiam ex ordine Sacerdotum statis diebus in condictum locum conveniebant: et Adrianus, in Oratorii aditu sedens, de scripto ( quod in templo facere nemo unus inter Hispanos auderet ) instructiones, et orationes sacras magno auscultatorum fructu pronuntiabat. Hæc autem concionandi, et confessiones audiendi solicitudo aliam etiam maximæ caritatis exercendæ sibi peperit occasionem. Nam sæpe ad eos juvandos evocabatur, qui in extremis essent: quibus et prompte aderat, et constanter, dum sua indigerent ope, subveniebat. Sed ardens illius quam

plu-

plurimis benefaciendi studium non intra fines oppidi continebatur. Non raro ad agricolarum domos per circumjacentes agros sparsas excurrebat, ut ægrotos inviseret, eosque spiritalibus subsidiis adjuvaret. Quod si hæc, aut iis similia caritatis officia in publicum prodire non cogerent, domi libentissime latebat, ut lectioni, et scriptioni vacaret. Præter alia multa, quæ per id tempus cultissimis mandavit scriptis, Apologias fere omnes, quæ pro Instituto, doctrina, aliisque Societatis Jesu rebus Gallico sermone prodierunt, ipse in Hispanum convertit. Si quando spatiandi causa prodibat, Lojola tenus, quæ mille fere passus abest, recta contendebat, ut S. P. Ignatium in sancta ejus natali domo veneraretur. Sed frequentissimum illud iter ita peragebat, ut, licet obvios perhumaniter salutaret, miscendis tamen colloquiis minime immoraretur: alium quippe comitem sibi gratissimum deligebat, libellum de imitatione Christi, cujus aureis sententiis per viam legendis, ac meditandis, animum recreabat.

Provinciæ Castellanæ Præpositi plus vice simplici conati sunt Adrianum ab illa domo removere, ut eum Sociorum admoverent regimini, cui tam idoneus erat, ut primariis administrandis Collegiis destinaretur. Nec vero per Adrianum stetit unquam, quominus illi conata sua perficerent: cum ipse a Superiorum nutu penderet omnino, et nihil optaret ardentius, quam ut cum fratribus suis conviveret. Sed cum id perillustris Dominus Corralius, ejusque uxor ægerrime ferrent, nihil non tentabant, ut ne solatio, et commodis privarentur, quæ sibi ex Adriani apud ipsos commoratione obveniebant. In eamque rem adducebant diuturnam singularis gratiæ possessionem, quam sibi supremus Societatis Administer concesserat: quæ autem primum ad beneficium conferendum impulerat, eandem prorsus causam adhuc persistere: Adrianum vero verbis et moribus suis non solam ipsorum domum, sed universum Azcoithiæ populum ad honestatis et justitiæ leges componere; cum ad eum omnes consilii, et auxilii causa recurrrerent, omnesque ille divini verbi prædicatione, confessionibus excipiendis, adjuvandisque moribundis in salutis viam deduceret, in Deique timore contineret: quare tam longe abesse, ut otiosam, aut parum utilem vitam domi suæ perage-

geret, ut vel unus Adrianus pro multis, cum præclara Societatis laude, laboraret. His, aliisque de causis Superiorum conatus irriti ceciderunt, neque Adrianum, ut optaverant, ad gubernationem, cui natus esse videbatur, adhibuerunt.

Attigerat jam octavum et septuagesimum annum vitæ suæ, laboribus ac meritis erga Deum et homines plenæ, cum ii omnes, qui de Societate Jesu erant in Hispania, natale solum deserere, Italiamque adnavigare jussi sunt. Inopinus hic adversantis fortunæ casus etsi cæteris acerbissimus fuerit, Adriano tamen oportuit eum multo fuisse acerbiorem, cum ob provectæ jam ætatis incommoda, tum ob molestissimum ramicem, quo multis jam ab annis laborabat, et cujus pondere devexo nimis corpore incedere cogebatur. Sed calamitatem istam constanti, patientique animo tulit. Hoc enim habuit singulare, ut nullæ res adversæ, nulli vel obtrectationis, vel despectionis eventus, quorum multos, nec meritos, perpessus est, imparatum eum exciperent, quantum certe ex illius verbis et gestibus apparebat; sed omnia, tanquam prævidisset, æquo animo ferret sine ullo indignationis, aut commotionis indicio. In illa vero communi fratrum suorum expulsione poterat utique in Hispania consistere, si privilegio valetudinis uti voluisset: hoc enim iis, qui nimia corporis imbecillitate laborabant, concedebatur. Sed religionis amor amorem patriæ vicit: et vehemens ac nobile desiderium suorum fratrum laboribus communicandi, extremumque vitæ actum glorioso fine claudendi, vires et animos addidit, ut longissimum iter incommodis et periculis plenum, ærumnosumque exilium tranquillæ in patria vitæ, quæ sibi offerebatur, præferret. Inter navigandum, sicut dici vix potest, quanta pertulerit, ita etiam difficile fuerit exprimere, assiduas variasque molestias, quam læto animo, et hilari vultu toleraverit. Ad navigii angulum sese recipiens, neque ulli fastidium exhibebat, neque ulla de incommoditate conquerebatur: ita sua sorte contentus, ut ne beatissimo quidem mortalium quidquam invideret. Ibi precibus, et meditationibus intentus, Deum laudabat jugiter, ejusque providentissimam rerum omnium ordinationem exaltabat. Atque his, ac similibus pietatis deditus exer-

citiis, vix cum hominibus colloquebatur, nisi ut fratres suos consolaretur, quod verbis efficiebat aptissimis: quibus cum exempli sui pondus accederet, mirum quantum illa ad erigendos, et confirmandos animos deservirent. Vir quidam, justus ille rerum æstimator, qui Adrianum in Hispania doctrinæ ac prudentiæ laude florentem agnoverat, cum eum modo jacentem, et tanquam hominem nauci super naviculi tabulato projectum videret, in ejusque gestus et verba diligenter intendisset; primum quidem Dei consilia, qui rebus in humanis mirabiliter ludit, reveritus est: deinde vero maximam de Adriani virtute imbibit opinionem, quem magni labores in tanta fortunæ commutatione non frangerent. Enimvero quarumdam rerum copiam vel maximam obtinuisse, aut nulli, aut modicæ laudi tribuitur; sed illis vel in utendo rationem, vel in carendo patientiam exhibuisse, præcipua commendatione dignissimum est.

Demum Calvium delatus, ibi quatuordecim mensium spatio commoratus est tanto animi gaudio, ut famem, sitim, habitationis angustias, aliasque ærumnas, quæ primis præsertim mensibus omnibus erant communes, ipse tanquam singulare beneficium, e Dei manibus descendens, lætissime exceperit. Id unum illius animum perurgebat, quod e fratribus suis alios morbo correptos, reliquos maxima temporalium rerum inopia oppressos videret. De cætero bellicus apparatus et strepitus, frequentes tormentorum explosiones, æneæque pilæ, quæ non solum eminus audiebantur stridere, verum etiam ad incedentium pedes nonnunquam concidebant; rumores denique sparsi de insperata hostium irruptione nocturna, illius animi pacem nihil admodum immutabant: sed in maxima difficillimi temporis perturbatione mirabilem adeo tranquillitatem, et lætitiam ostendebat, ut se alloquentium, et intuentium animos exhilararet. Etenim præclaras inter dotes, quas Adrianus a natura recepit, et quas ille supernis auxiliis luculenter excoluit, singularis quædam affabilitas eminebat, quam comiter omnibus semper exhibuit. Sed hæc illius comitas in exilio maxime eluxit: cum enim tot adessent causæ, quæ grandævum præsertim senem efficere possent insuavem, et morosum, ne subtristem quidem effecerunt. Id in

illa

illa calamitate quibusdam adeo visum est admirandum, ut non defuerit, qui Adrianum cum præstantibus sanctitate viris conferret. Et sane sine solidæ præsidio virtutis, ac diligenti cœlestium contemplatione bonorum, quorum intuitu asperrima quælibet in humanis appetitione digna reputaret, tanta mentis serenitas in tam turbulento rerum statu constitisse non poterat. In pauperrimo sternendo lectulo, magna cum defatigatione, ob angustias et incommoditatem loci, quadam die desudabat Adrianus. Id cum animadvertisset quidam laicus, illico accurrit, eumque enixe deprecatus est, ut se sineret eo labore fungi, quoniam ipse non posset. Cui Adrianus humanissime, ac facete respondit: Perbelle quidem mecum ageretur, carissime, si tu meritum istud tolleres, mihique illud præriperes. Id ego minime patiar; sed meritum ex labore meo suscipiam: tibi autem satis esto, quam ostendisti, benefaciendi mihi prompta voluntas. Tandem maximas illi gratias egit, sed quominus inceptum opus absolveret, obtineri ab eo nullo modo potuit.

Quoniam vero tantam in adversis constantiam, et alacritatem exhibuerat, quasi Deus in ea sibi complaceret, Adriani vitam, et exilium produxisse videtur, ut amarum calicem, quem ille hactenus, tanquam a benefica Dei manu porrectum, lætissime biberat, penitus exhauriret. Etenim amarissimus sibi restabat haustus, nempe trajectio ab Insula Corsica in ditionem Pontificiam: quod quidem iter, licet priore multo esset brevius, varii tamen eventus, quos prætermitto, longe difficilius reddiderunt. Post duos tandem menses inter magna maris, et terræ pericula, et incommoda Castellani Patres in tractum Bononiensem, qui sibi designatus fuerat, devenere. Adrianus in pagum, cui nomen est Crespelano, ad Apennini radices situm, et a Bononia decem millibus passuum disjunctum, cum aliquot sociis concedere jussus est, ubi duplicis exilii sui laboribus brevi erat finem impositurus. Paucis post adventum diebus sic ægrotavit, ut prima die Decembris sacro Viatico, in die vero Nativitatis Domini extrema fuerit unctione muniendus. Post hæc morbus ita remisit, ut periculum evasisse crederetur. Sed febris, quæ paulo post supervenit, et ægrotum viribus exhaustum, et gravissimis herniæ doloribus defatigatum reperit, cum iterum Sacramenta recepisset, eum tan-

dem confecit 17 Januarii 1769, annos octoginta natum, quorum sex et quinquaginta vixerat in Soc. Jesu. Sepultus est in ædicula S. Rochi prope Parochiam Crespelani.

Quam in reliqua vita servaverat animi tranquillitatem, eandem in extrema retinuit. Supremæ Dei potestati, paternæque illius providentiæ per omnia submissus, nullum incommodum lamentabatur; sed inter acerbos morbi dolores frequenter ad Deum recurrebat, ut sibi vires adderet ad sustinendum. Da mihi, Domine, ajebat, patientiam christianam: nisi enim eam ipse mihi concesseris, illam ego non habeo, omnino non habeo. Id ipsum tamen sine ulla perturbatione dicebat, gravi quodam, pacato, atque humili modo; reverentis adinstar filii, qui benignissimi Patris auxilium in afflictione sua fidenter implorat. Quanquam domus, in quam Adrianus receptus est Crespelani, satis erat ampla; quia tamen in ea amplius sexaginta Socii degebant, opus erat, ut quaterni, vel plures per singula cubicula dormirent. Sed tanta fuit Adriani caritas, et patientia, ut iis, quos habuit cubiculi socios, vel in maximis sui morbi doloribus, nullam interdiu molestiam attulerit, neque nocturnam quietem interturbaverit. Non ii modo, qui Crespelani frequentem illam domum inhabitabant, sed quotquot Adrianum uspiam agnoverant, illius desiderio maxime doluerunt. Fuerat enim gratus, et carissimus omnibus Sociis, nec facile quis invenietur, quem Adrianus offenderit aliquando. Et sicut omnes, dum viveret, illum ejus merito amabant plurimum, sic etiam post obitum multas in eum laudes congesserunt. Hi morum illius suavitatem, tanquam propriam Adriani notam prædicabant: illi modestiam animi in secundis rebus, constantiam in adversis extollebant: alii obedientiam, alii animarum zelum commendabant, et infatigabilem assiduitatem in juvandis proximis, quorum spiritalem non solum, sed corporalem etiam indigentiam, quantum poterat, sublevabat. Omnes tamen uno ore asserebant, Adrianum religiosum virum fuisse, quales S. Ignatius suos esse filios optabat: multis nimirum præditos naturæ donis, quæ ipsi deinde, virtutum comitatu exornata, et expolita, ad suam ipsorum perfectionem, aliorumque salutem æternam obtinendam, cum maximo divinæ gloriæ incremento converterent.

Ita-

Itaque sicut Adrianus, quod initio dixeram, dum inter mortales egit, dilectus Deo, et hominibus fuerat, ita etiam, postquam vivere desiit, Memoria ejus in benedictione est.

EM-

# EMMANUEL LANZA.

Immensum laborum pondus, quos Hispani Societatis Jesu Patres eo tempore sustinuerunt, cum suis repente depulsi domibus, in Italiam coacti sunt proficisci, nonnulla per Dei misericordiam immissa solatia quadantenus sublevarunt. Inter quæ postremo commemorari loco non debet invicta multorum adolescentium constantia, qui nullis vel propinquorum suasionibus et lacrymis, vel extraneorum artibus gravissimisque molestiis, ad deserenda militiæ signa, in qua tirocinium adhuc ponebant, cogi potuerunt. Præclarum fortissimorum juvenum facinus, privatis quorumdam scriptis enarratum, dignissimum sane foret, ut in publicam lucem emitteretur: multa quippe in ea narratione continentur, quæ lectorem cum fructu tenere possent, et ad commendandam divinæ gratiæ virtutem excitarent. Nos inde quædam huc derivabimus: alias quidem, cum de quibusdam ex prædictis tironibus, qui laudabilem jam mortem obierunt, inciderit sermo: hic vero, ut Emmanuelis Lanzæ brevem, sed rectissimum vitæ cursum exponamus. Quanquam enim primam religiosæ vitæ institutionem a Patribus Toletanis accepit, in quos propterea rerum ab eo optime gestarum laus præcipua refunditur; sed cum deinde Castellanæ Provinciæ Sociis fuerit adscriptus, et inter eos supremum diem clauserit, insignibus hujus Provinciæ viris non immerito poterit accenseri. Is enimvero, tametsi nullam a Parentibus oppugnationem sit passus, ut ab incepto vitæ cursu discederet, sed hortantem potius, et adjuvantem Matrem invenerit; pro retinenda tamen illius disciplinæ forma, quam semel probaverat, rem adeo gessit egregiam, ut æquissimum fuerit, eam posterorum memoriæ commendari.

Igitur Emmanuel Lanza Sanctanderi natus est anno Domini 1751, mense Martio. Parentes ejus Bonaventura Lanza de

de Strada, et Magdalena Viruleta, ambo ex honesta stirpe oriundi, rei familiaris commodis abundabant. Mater, insigni pietate femina, quanquam reliquos filios christianis imbuendos moribus magno studio curaverat, in Emmanuelis tamen educatione, quem tenerrime amabat, præcipuam adhibere industriam constituit. Sed puer, postquam ei rationis lumen affulsit, tam mitis indole, et ingenio docilis evasit, ut parum ejus Matri fuerit enitendum, quo filium juxta vota sua ad omnem pietatem induceret. Dei timorem, ac reverentiam sic in illius animo insculpsit, ut quæ divini sunt cultus, jam tum studiose perageret, et ab iis, quibus Numen offendi didicerat, cane pejus, et angue refugeret. Cum primum per ætatem licuit, Confessionis, et Eucharistiæ Sacramenta frequentare cœpit: concionibus, catechesibus, aliisque religionis officiis assidue aderat in templo: ubi etiam Sacerdotibus ad aras operantibus magna cum animi voluptate, et corporis modestia ministrabat. Parentibus erat obsequentissimus, quin ullam eis unquam offensionis causam attulerit: eorumque consiliis, quæ sibi vel agenda essent, vel omittenda, dimetiebatur. Illa æqualium consortia devitabat, a quibus aliquod innocentiæ periculum immineret: et is, qui cum Emmanuele per id tempus familiariter egit, pro testimonio dicit, se nunquam in eo quidquam, quod peccatum redoleret, aut reprehensione dignum esset, animadvertisse. A mendaciis etiam, in quæ pronior est ætas puerilis, diligenter sibi cavisse, ex ejus ore dignovimus: nam ipse jam grandior ingenue coram aliis confessus est aliquando, se, dum puer esset, nescisse mentiri.

Postquam primas literas in Collegio Societatis Sanctanderensi didicerat, ibidem latinitati operam dedit: et quam hactenus in sectanda pietate diligentiam exhibuerat, eandem ad studia contulit literarum. Cum studendi munus a Deo sibi impositum crederet, nihil prætermittebat, ut eidem cumulate satisfaceret. Quod si majus sibi onus, quam quod ferre posse putabat, interdum imponeretur, non inde nimium commovebatur, neque vires tanto impares oneri multis excusabat: sed cum ad primos ejus conatus Magistrum non flecti videret, facile conquiescebat, illud secum reputans, quod aliquando coram cæteris condiscipulis auditus est dicere: Equidem, quantum

tum possim, enitar, ut datum pensum absolvam: at, si designatam non attigero metam, a Deo certe non arguar, quem scio, nihil a me præter id, quod possum, exigere. Unde satis apparet, Emmanuelem ad studii officium explendum, non tam metu supplicii, quam Deo placendi desiderio, fuisse permotum. Ad Societatem Jesu cum vocari se sensit, nihil cum animo suo depugnandum sibi fuit, ut supernæ cederet invitationi, nihil item cum genitoribus decertandum; nam Pater illius tam sancto filii sui consilio noluit obsistere; et Matri, quæ duos jam filios in eadem Societate Deo dicaverat, nihil poterat jucundius accidere, quam ut tertium offerret Emmanuelem. Is ergo, postquam legitimum subiit examen, Matriti tirocinium inchoavit postridie Kalendas Aprilis anni 1765, cum explesset ætatis annum decimum quartum.

Hic brevi novit Emmanuel, divinæ vocationi, quam ipse tanquam singulare Dei beneficium magno semper in pretio habuit, melius se respondere non posse, quam si ad omnes initæ Societatis leges vitam, et mores studiose conformaret. In id sane pro sua virili parte contendere, ex firma animi sententia decrevit, et quod animo constituerat, Deo juvante, confecit. Per integrum biennium in Matritensi tirocinio ita versatus est, ut quæ ibi ad probandos, et excolendos tirones sapienter instituta erant, prompte omnia susciperet, exacteque ac diligenter absolveret. Et quanquam ad bonum sectandum ingenita quadam facilitate ferebatur, magnoque ad id præsidio sibi erat judicii major, quam pro ætate, maturitas; in ejus tamen optima vitæ ratione potiores proculdubio partes habebant superna illa lumina, gratiæque cœlestis auxilia, quæ sibi Deus in attenta rerum æternarum commentatione, aliisque spiritalibus exercitationibus large communicabat. His incitatus stimulis, in via virtutis non segniter progrediebatur: cujus quidem progressionis indicia vel ex ejus tantum aspectu dignovisses. Vidi ego illum non semel, cum alterum suæ probationis annum jam fere compleret. Descendebat festis diebus in templum, ut ibi Sacerdotibus inserviret, et simul aliis, idem facturis, tironibus invigilaret. Hoc fungentem munere, quod uni tantum e modestioribus committebatur, Samuelem aptissima vocis accommodatione vocabant. Atque haud scio, an unquam aptius in alium, quam in Emma-

manuelem, nomen istud quadraverit; cum ob perspectam pueri innocentiam, tum etiam ob facinus suæ Matris egregium, quæ tunicam filio deproperavit, ut eum heroico religionis exemplo Deo iterum immolaret. Verum hæc fusius deinde. Nunc Emmanuelis modestia, sive in conspectum prodiret aliorum, sive intra claustra tirocinii maneret, tanta erat, ac tali vultus hilaritati conjuncta, ut et internam animi sui æquabilitatem ostenderet, et religiosæ vitæ jugum suave sibi esse luculenter significaret.

His tria illa conjunxit, sine quibus perfecta novitii laus esse non posset. Primum, ad moderandam linguam, intentam adeo solicitudinem, ut dum fari vetitum esset, altissimum servaret silentium; dum vero loqui permissum, ea tractaret argumenta, quæ ad sui pariter et aliorum in spiritu profectum deservirent. Quod si in aliquem incidisset, qui negligentior in hac parte foret, sermonem alio mira dexteritate convertebat, non modo sine cujusquam offensione vel tædio, sed tanta verborum gratia, tam sedato venustoque gestu, ut ejus agendi, dicendique modus omnibus arrideret. Propterea omnes cum eo colloquia serere contendebant, cujus e jucunda, religiosaque consuetudine tantum sibi spiritalis commodi proveniret. Nemo quidem loquacitatis notam ei unquam affixit: at cum de rebus, quæ ad pietatem pertinent, disserendum erat, multo, quam alias, uberior, et eloquentior apparebat: tum vero maxime, cum de B. Virginis cultu, ejusque laudibus occurrebat oratio. Etenim cœlestissimam Dei Matrem tenerrimo prosequebatur affectu (et hoc erat alterum, in quo visus est singulariter præstitisse) ad illiusque honorem Sabbatis omnibus jejunium agebat. Progressu vero temporis animadversum est, prædictos dies recolendis tristissimæ Matris doloribus impendere, quos in acerbissima Filii sui nece pertulerat. Atque ut eos animo suo altius infigeret, duas in eam rem scripserat meditationes, ad excitandos erga Filium, et Matrem commiserationis sensus aptissimas. Præcipuas etiam ejusdem B. V. solemnitates, præmissis novendialibus precibus, et obsequiis, devote celebrabat. Et hoc pium colendæ Deigenitricis studium, quo veluti suavissimo lacte a teneris annis fuit enutritus, quo item in Societate adolevit, magno sibi solatio fuit, cum ad

extrema devenit, et spem obtinendæ salutis ingeneravit. Denique in reddenda conscientiæ suæ ratione mira sinceritate utebatur: sæpiusque per hebdomadam sui Moderatores animi conveniebat, ut eis intimos pectoris sui recessus aperiret, et consilium caperet ad recte operandum. Idque propterea libentissime faciebat, quod sciret, rem summi esse momenti, et iis maxime, qui perfectionis viam recenter sunt ingressi, plane necessariam, ut eam inoffenso pede percurrant.

Sub tirocinii finem, cum suam in servanda disciplina diligentiam omnibus probasset, spemque fecisset non exiguam, ad Societatis ministeria valde idoneum esse futurum, Superiores facile consenserunt, ut religiosa emitteret vota, quo nihil ipse desiderabat ardentius. At Deus, quasi consuetas tirocinii probationes non satis haberet, aliam ei longe difficillimam apparabat, ut et illustre virtutum specimen daret, quas adhuc accumulaverat, et sacrificio postmodum perficiendo majus superadderet decus, et pretium. Etenim, cum vota sua tertio Nonas Aprilis esset nuncupaturus, contigit, ut ante biduum Societatis Patres comprehenderentur, qui Matriti commorabantur: iisque sine mora domibus abire suis, et in exilium proficisci coactis, tirones eodem die in Benedictinorum Patrum Cœnobium sunt deducti. In gravissimo hoc infortunio non facile dixerim, quanto dolore sit affectus Emmanuel: cui præter luctuosam fratrum suorum vicem, illud etiam accidit perquam acerbum, quod optatissimam opportunitatem se Deo per vota religiosa consecrandi, quam propediem expectabat, illa calamitate sibi tanquam e manibus præreptam esse videret. Ad Monasterium, in quo tirones detinebantur, Minister quidam regius post aliquot dies accessit, ut eis decretum Regis indiceret. In eo sancitum erat, ut tironibus, si modo vellent, liberum esset cum Patribus in exilium abire, nulla tamen pro eorum victu annua pensione designata. Id erat ex edicto Regis tironibus denuntiandum. Sed Minister illud etiam inculcare non destitit: nullo jam pacto fieri posse, ut Patres assequerentur: hos, longe ante progressos, naves jam conscendisse Carthagine: inde multo ante vela facturos, quam ipsi ad eam urbem, quantumvis properarent, accederent: quare nihil jam reliquum esse, nisi ut domum quisque suam reverteretur.

Post

Post hæc jussit eos religiosas vestes exuere, et secularibus indui, quas in tirocinio Societatis de more depositas, ad prædictum Cœnobium fecerat asportari. Ac denique sufficienti viatico, et aliis ad iter commode peragendum suppeditatis, singulos in patriam suam remisit. Hic vero Emmanuel animum minime despondit, sed Sanctanderum lætissimus ibat; non quo remeabat in patriam, sed quod audierat, Castellanæ Provinciæ Patres Sanctanderum plerosque convenire, navibus inde in Italiam transvehendos. Et quoniam fratribus adjungi suis Carthagine sibi non licuit, id in patria sua sperabat consecuturum. Hac spe ductus, iter illud quam citissime conficere desiderabat, et moram omnem, quamvis exiguam, longissimam reputabat. Unde, cum servus a pedibus, qui eum deducebat, alicubi diem integrum constitisset, id Emmanuel ægerrime tulit, nec requiem, cujus obtentu cessatum erat, invenire potuit, donec iterum aggressus est iter, quod tandem, ut optaverat, antequam Patres Societatis profecti fuissenr, absolvit.

Cum domum suam advenit, Pater ejus jam vixerat: supererat Mater, quæ filium tenerrime excepit. Et cum ab eo didicisset quæcunque Matriti contigerant, sibique deliberatum esse, Castellanos Patres in exilium comitari, consilium illius non modo non improbavit, verum etiam exultabunda laudavit, et quantum penes se foret, ad illud maturandum, effecturam promisit. Filius interim, ut optata perficeret, pro sua quoque parte non segniter contendebat. Literas ad Provincialem Castellæ dedit, quibus, cum profectionis suæ causas exposuisset, enixe deprecabatur, ut se suis subditis adnumeraret, et cum iisdem ad indictum exilii locum, ut sibi constitutum erat, adnavigare permitteret. Sed perlatæne fuerint literæ ad Provinciæ Præsidem, jam tum in Collegio Sanctanderi pervigili custodia detentum, incertum est. Præterea, nequa sua culpa, quod tantopere avebat, impediretur, domi suæ vitam agere perrexit, ab ea, quam in tirocinio instituerat, non absimilem. His exceptis horis, quibus templum adibat, pedem e domo sua vix efferebat. Tantummodo, ut a quibusdam observatum est, noctis jam incumbentibus tenebris, in locum e regione Collegii pergebat, unde sublatis in altum oculis, hinc

ærumnosam quidem, sed invidendam suorum fratrum conditionem, inde vero se ab eis divulsum contemplatus, fervidas erumpebat in lacymas, donec plorando defessus, suam se recipiebat in domum. Nec defuerunt, qui has Emmanuelis lacrymas suo more vellent abstergere. Nam multi ex amicis, et propinquis nihil non tentarunt, ut eum ab incepto deterrerent. Sed ille qua prudenti silentio, qua sapientissimis responsis, frequentique ad Deum recursu, omnes adversantium sibi conatus aut elusit, aut scite confregit.

Maximum per eos dies solatium accepit, cum audisset, multos e tironibus Villagarsiensibus, post exhibita admirabilis constantiæ documenta, Sanctanderum, ut Patribus adjungerentur, adventare. Obviam eis processit statim: nec potuit non incredibiliter commoveri, simulque in proposito suo quam maxime confirmari, cum teneros videret adolescentes, qui religiosa veste spoliati, injuriis affecti, et gravibus vexationibus afflicti, pedibus, et stipem emendicantes centum sexaginta millia passuum non minore animi robore, quam corporis defatigatione confecerant, ut Dei vocem, qui eos ad Societatem vocaverat, sequerentur. Hos cum ingenti animi gaudio in urbem deduxit, ab eisque deinceps, nisi dum rebus vacabat spiritualibus, avelli non poterat. Consilii quoque sui conscios illos effecit, et rogavit impense, ut pro felici ejus exitu Deum enixe deprecarentur. Denique ab eis petiit, ut dum se occasio ferret, suam causam promovendam susciperent apud urbis Judicem, cui demandata erat cura imponendi navibus omnes e Societate Jesu, qui Sanctanderum devenissent. Cum igitur profectionis dies jam immineret, pridie ejus diei is, qui inter novitios erat antiquior, Judicem allocutus est pro Emmanuele suo, ut eum cum cæteris abire permitteret. Aderat tum Emmanuel, ad quem Judex conversus: Ergone, inquit, certum tibi est cum Patribus proficisci? Certum, ait ille. Cur ergo Toletanos Patres non es secutus? Quia, dum sequi liberum erat, nusquam eos assecuturum, confirmatum fuit mihi: ideoque huc properavi, ut Castellanos assequerer. At mihi, subdidit Judex, id tantum negotii datum est, ut Castellanos conscendere faciam: quare Toletanos, si libet, alia via requiras; hac enim, per me certe, licere tibi non potest. His dictis, dis-

ces-

cessit Judex. At Emmanuel, nihilo fractus animo, cum tironibus postmodum colloquens: Equidem, ait, licet Judex petitionem meam, ut audistis, rejecerit, vobiscum me profecturum, Deo ejusque Matre Sanctissima bene juvantibus, firmissime confido: verum quo tandem id agendum sit modo, Deus ostendet.

Inde ad Matrem retulit, quod habuerat a Judice, responsum. Doluit utique illa, sed non animo concidit. Quare filium bono animo esse jubens, continuo ad quendam e Navarchis accurrit, qui vehendis Patribus fuerant designati. Hunc illo dictionis genere, quod maternus amor, cum eximia pietate conjunctus, suggerebat, etiam atque etiam rogavit, ut filium suum, tanquam cubiculi servum, in suam navem reciperet: se illi maritimam vestem impposituram, ut eo sub cultu et lateret securius, et Navarchi jussa sine rubore perficeret. Obstupuit is primum ad insolitam nobilis feminæ petitionem: deinde generosam Matris, et filii pietatem admiratus, libenter iis, quæ rogabatur, assensit. Itaque Magdalena domum læta regreditur: nauticas filio vestes partim suis ipsa manibus consuit: partim, quoniam tempus urgebat, aliis tradidit conficiendas: aliaque præparare festinat, quibus filio navigationis incommoda aliqua ex parte deliniret. Postera die, cum jam Patres e Collegio Societatis educti fuissent in portum, filium suum nautico indutum habitu tenerrime complexa, et impertita benedictione, sub noctis crepusculum misit ad navem. Hoc modo magnanima æque, ac pia femina carissimum sibi pignus in Dei obsequium, et cultum ab se dimisit, cujus iterum aspectu frui, nisi beata in æternitate non sperabat. Filius autem, tali Matre dignus et ipse, lætissime properavit ad navem: eaque Nonis Maii conscensa, quo vectoribus ignotior esset, simul cum veste nomen etiam mutare constituit. Unde, altero suo nomine, cum altero Patris sui cognomine desumpto, Bonaventura Strada cœpit denominari: atque ista denominatione, dum mare trajecit, ab omnibus appellabatur.

Qua nocte navem conscenderat, eadem e portu solvit, ut Ferrolium cum cæteris veniret. Sed flantibus a prora ventis, tantum ab litore fuit discedendum, ut portum illum non nisi undecimo post die tenere licuerit. Sensit per eos dies Bona-

naventura solita navigantium incommoda: vix enim in altum venerat, cum cœpit nausea miserabiliter commoveri. Jacebat novellus in puppi nauta, ut ignotus omnibus, ita etiam ab omnibus derelictus. Verum ille sereno vultu satis significabat, non ad illam tantum, sed ad graviores etiam molestias perferendas esse animo comparatum. Cum primum ab ea incommoditate convaluit, cœpit solicite Patribus inservire. Quanquam in hac quidem parte minus, quam ipse voluisset, effecit: quia Návarchus ei modum, quem in hoc teneret, imposuit. Illud erat præcipuum ejus studium, ut quam induerat nautæ personam, eam constanter, et aptissime sustineret, ne cui alius ab eo, quem referebat habitu, videretur. Propterea frequenter ad funes, nonnunquam ad vela, et alia navis armamenta cum cæteris accurrebat, non tam ut eos in opere faciundo adjuvaret, cum parum valeret viribus, quam ut ea dissimulatione se tegeret. Atque his et aliis hujusmodi artibus profectionis suæ consilium ita omnes celavit, ut vix ulli notum esset, præterquam uni Navarcho. Is vero, postquam Ferrolium advenit, quoniam ulterius progressurus non erat, Bonaventuram in Italiam advehendum alteri Navarcho commisit, cui etiam mandata dedit, quæ ipse ab illius Matre receperat Sanctanderi. In hujus igitur navem translatus, sub eadem navicularii specie reliquum iter confecit. Et quoniam in ea navi majorem quandam reperit opportunitatem, majus etiam ibi suæ virtutis specimen dedit.

Familiarem cum cæteris nauticis consuetudinem devitabat, et quam parcissime poterat, cum eis colloquebatur, ne quid audiret ab illis, quod delicatissimas suas aures offenderet. Reverenter divino intererat Sacrificio, quoties illud peragi tranquillum mare permitteret. Pium aliquem legebat librum, vel ad eos ausculandos accedebat, qui a Patribus de more legebantur; sed eo plerumque loco constitutus, unde ab eis observari non posset. Conscientiam suam frequenti peccatorum confessione repurgabat, cœlestique pane reficiebatur simul cum juvenibus Theologis, et aliis e Societate, qui eadem vehebantur in navi. Hoc tamen efficere nonnunquam de industria prætermisit; ne, si constanter cum eis ad sacram mensam accederet, suspicionem aliquam, quæ se proderet, ingeneraret.

ret. Sed quantumvis ille dissimularet, non pauci tamen fuerunt, qui diligenter in ea, quæ adhuc diximus, intuentes, et illius modestiam, ac maturitatem, gratiosumque, et liberalem agendi modum considerantes; vehementer suspicabantur, arcanum aliquod sub ea veste latere. Neque persuadere sibi poterant, iis moribus, eaque indole adolescentem propterea navem conscendisse, ut nauticam artem disceret, et in eadem pergeret exercenda. Unde nonnulli ex ipso Bonaventura, quid hominis esset, non semel elicere contenderunt. Sed in his contentionibus, quamvis multæ, difficilesque fuerint (ab uno præsertim e juvenibus, qui eum maxime omnium urgebat) tam sereno animo, et vultu, atque ita caute se habuit, ut curiosi indagatores nihil ab eo certi explorare potuerint. Sic enim apud se statuerat, suum nemini, antequam veniret in Italiam, revelare consilium, nequa forte difficultas eidem perficiendo suboriretur. Quod quidem in id ætatis adolescente præclarum prudentiæ, pariter et constantiæ fuit exemplum.

Constanti hac solicitudine, ut semet occultaret, adhibita, ad S. Stephanum in Tyrrheni maris litore secundis delatus est ventis. Cum autem ibi Præfectus classis certior effectus esset, Pontificem Summum Societatis Jesu Patres in ditionem suam nolle recipere, in Corsicam conversa prora, ad S. Florentii portum secessit, dum Matrito nova mandata reciperet. Eodem Toletani Patres, et ob eandem causam, jam ante devenerant, multisque in statione illa immorati sunt diebus. Cum igitur eo adventassent Castellani, cœperunt alii in aliorum naves, visendi salutandique causa transire. Hinc dissipari cœptus est rumor de Matritensi quodam tirone, qui sub aliena mesonautæ specie, navem ingressus fuerat, ut Castellanos Patres in exilium comitaretur. Id cum primum inaudivit Joachimus Cortesius, qui Matriti fuerat Socius Magistri novitiorum, et cui propterea novitii omnes, ut carissimi fuerant, sic etiam erant notissimi; ad eum perquirendum acceleravit, quem sperabat, quamvis ementita veste contectum, facile dignosciturum. Accessit primum ad navem, in qua tirones venerant Villagarsienses, inter quos si minus, quem requirebat, invenit; attamen ab eis accepit quæcunque de Emmanuele Lanza ipsi noverant Sanctanderi. Quæ cum audisset, inde digressus

est

est, ac tandem in eam incidit navem, in qua incredibili cum exultatione reperit Emmanuelem. Is vero non æque exultavit: maluisset enim tandiu incognitus latere, dum e navi descendisset, ut melius suæ consuleret destinationi. Aliorum tamen consiliis debuit acquiescere, qui nihil jam esse timendum asseverabant. Itaque cum illius nomen, et factum passim per naves evulgaretur, plurimi ad invisendum adolescentem accurrerunt, cujus singularem constantiam, et eximium religionis studium admirabantur. At ipse, nihil hæc pensi habens, ea tantum de causa dignosci gavisus est, quod pietati suæ liberius jam poterat indulgere. Deinceps enim cum Scholaribus Societatis, qui eadem erant in navi, ad suscipienda Sacramenta, ad quotidianam orationem, et lectionem, ad omnia denique spiritualia exercitia constanter accessit.

Cum dies aliquot in S. Florentii portu Castellani constitissent, inde deducti sunt Calvium, cujus in litus projecti sunt, ibique derelicti, ut in calamitoso, belloque infesto præsidio sibi, ut quisque posset, quærerent domicilium. Ibidem Navarchus ille, cujus fidei commissus erat Emmanuel, hunc una secum in terram deductum, Patribus tradidit custodiendum. Atque ut ab iis humanissime fuit exceptus, sic etiam ille tam ingenti perfusus est gaudio, ut et quæ jam tum aderant, et majora, quæ in posterum imminebant incommoda, imperterrito aspexerit vultu, et animo tulerit constantissimo. Etenim in primo illo ad Calvium accessu, S. Francisci Cœnobium ingressus, templum reperit Sociorum lectulis stipatum. Eo quippe ducenti fere convenerant: sed cum ædes Religiosorum, quorùm conspicua fuit in exules çaritas, his recipiendis nimis essent angustæ, id consilii ceperunt, ut nonnullis in ipsorum cellis admissis, reliqui ad templum, sublato inde Sacramento, diverterent. Hic Emmanueli, cum cæteris novitiis, et aliis quamplurimis dormiendum fuit in simplici culcita, supra durum et madidum pavimentum protensa. Sed neque hic labor, neque proximæ timor obsidionis minime vanus, aliæque gravissimæ difficultates, quæ minus constantem animum ab incepto deterruissent, eum ne tantillum quidem vacillare fecerunt. Suorum, quod tanti sibi steterat, consortio fratrum lætissimus, nihil adversi pertimescebat: et ad perferen-

rendas calamitates, quibus se propter Deum objecerat, vires sibi ab eodem suppeditandas sperabat. Unde videre licet, Emmanuelem, postquam e tirocinio ejectus, longum iter in Patriam primum, deinde per maris undas in Italiam instituit, vestes utique mutasse, non mores. Quam autem ascensurus navem, induerat nauticam vestem, statim ab exscensione deposuit: et Scholastico indutus habitu, quem secum attulerat, cæteris immixtus tironibus, eos ad omnia religionis officia comitabatur. Verumtamen illius animus omnino expleri non poterat, donec Societatis vestem, quam exuere coactus fuerat, iterum obtineret. Nec diu fuit sibi solatium istud desiderandum. Nam admonito, et annuente Præposito Generali, simulque Provinciali Toletano, denuo in Societatem receptus est, et Castellanæ Provinciæ Sociis annumeratus.

Relicto S. Francisci Cœnobio, quod extra muros positum rebelles Corsi occuparunt, Emmanuel in urbem cum cæteris sese recepit. Non ideo tamen lætioribus uti rebus licuit exulibus. In exigua quippe urbe, diuturnoque afflicta bello, in qua propterea domorum aliæ ruinosæ, aliæ ventis perviæ ( qui vehementissimi sunt ibi ) pleræque nulla supellectili ornatæ; non facile erat commodam habitationem tot denuo accedentibus advenis reperire. Verum hæc leviora fuerunt incommoda. Illud longe maximum, quod urbem, qua parte mari non cingitur, hostes obsidione cinxerunt. Hinc, ut alia multa prætercam, annonæ caritas maxima, aquæ vero tanta penuria, ut opus fuerit, tirones ad quingentos fere passus extra urbem emittere, ut aquam e fonte haurirent, pro cujus possessione Genuenses, et Corsi summis utrinque viribus decertabant. Hic vero Emmanuel noster, qui nautarum exercere munia non erubuerat, lixarum etiam onera subire, minime recusavit. Per duos fere menses, quos tenuit obsidio, ad fontem quotidie mane cum cæteris novitiis, aquam inde asportaturus accessit. Eratque profecto spectaculum dolore non minus, quam admiratione dignissimum, teneros videre adolescentes, qui belli nunquam experti discrimina, per medias militum stationes incedebant intrepidi, et magnis sese objiciebant periculis, ut suorum fratrum necessitatibus subvenirent. Verum quidem est, neque obsessos, neque item obsessores, in

explodendis ballistis igneis, unquam ad tirones collineasse, quos potius utrique honore et amore maximo prosequebantur, eisque proinde liberum ad fontem accessum relinquebant. Sed, cum adversæ belligerantium partes se invicem, ac frequenter impeterent, non raro fiebat, ut in alios displosæ pilæ prope tironum capita, et latera horrifico stridore circumvolarent. In his subeundis periculis mirabilem constantiam exhibuit Emmanuel, et singularem in Deo fiduciam, qua firmissimo veluti scuto protectus, ab eis, sicut et cæteri socii, liber et illæsus evasit.

Jam ad ea obeunda officia, quæ novitii maxime sunt propria, non minorem adhibuit Calvii, quam adhibuerat Matriti diligentiam. Præter legitimas meditationis horas, alia etiam spatia temporis cum Superiorum permissu huic mentis exercitio dabat, quod sibi jucundissimum æque, atque utilissimum experiebatur. Orationi, quæ voce fit, frequenter etiam, et attento vacabat animo. Beatissimæ Virgini, præter ea, quæ alibi diximus, Rosarium quotidie, aliasque preces reverenter persolvebat. Magno etiam studio Sacratisissmum Cor Jesu venerabatur, ejusque cultui sextas totius anni ferias destinaverat: ad eas vero, quæ primæ incidunt singulis mensibus, preces per novem continuos dies præmittebat, ut se aptius ad easdem pie celebrandas compararet. In prædictis cujusque hebdomadæ feriis ad altaris mensam splendide reficiebatur, et in triclinio, dum sibi per majores liceret, jejunii modum servabat. Scripserat quoque commentariolum, ut iisdem diebus infandos Christi e cruce pendentis dolores in oratione sua meditaretur: quos etiam interdiu, sicut et immensam, quam in Eucharistia nobis exhibet, caritatem recogitabat: ac denique iis omnibus majores aliquot sui corporis cruciatus, ultra solitos, superaddebat. Erga Sanctos Aloysium, et Stanislaum singulari ferebatur pietatis affectu, eorumque virtutes sibi proposuit imitandas, sicut etiam Venerabilis Berchmansii, cujus propterea axiomata sibi descripserat in libello, quem frequenter recolebat. Et quidam e Superioribus Emmanuelis, qui hujus opera cum prædictis axiomatis conferre solitus erat, perquam optime inter se utraque convenire, testatus est.

Ex

Ex frequenti cum Deo consuetudine, studioque viros sanctitate conspicuos imitandi, eumque ante omnes, qui cum sit mitis, et humilis corde, sese in exemplar exhibet, quod omnes intueri debeamus; mansuetudinem et humilitatem, cæterasque virtutes apprime didicit. Erga omnes agendi, loquendique modum servabat caritate, et affabilitate plenissimum, nemoque apud ipsum mendosus erat, reprehensioneve dignus. Divinæ providentiæ plene submissus, tribulationes, undecunque demum advenirent, Dei beneficium reputabat, ideoque homines, quorum manibus immittebantur, non attendebat. Huic innixus christianæ Philosophiæ principio, inter incredibiles calamitates, quæ vel ipsis Corsis, bello licet assuetis, lacrymas extuderunt, mirabilem servavit animi tranquillitatem, quæ in ejus læto vultu emicabat. Et cum esset ubique sui memor officii, in mediis tribulationum procellis ad omnem exercendæ virtutis occasionem invigilabat. Qui eum, dum Calvium incoluit, sedulo inspexerat: „ Non memini, inquit, ullum me, „ dum Calvii constitimus, in Emmanuele deprehendisse defec- „ tum. Maximam imo vero in illius verbis circumspectionem „ observavi, seque in quibusdam eventis omnino contine- „ re, in quibus maxime responsare solet natura. Maturi- „ tatem denique vidi in tota ejus agendi ratione, cui gra- „ tam erga omnes facilitatem aspergebat: idque constantissi- „ me retinuit. „

Erat quidem omnibus carus, omnesque libenter potiores ei partes concedebant: et tamen nullam in eo vanitatis umbram, nullum jactantiæ signum invenisses. Primis post appulsum diebus non modo Castellani omnes, sed multi etiam ex Bæticis Patribus, nonnullique Aragoniensium ( hos inter novitii fuerunt Tarraconenses, qui et ipsi opprobrium, et molestias exilii patriis honoribus, domesticisque deliciis prætulerant, et modo ventorum vi delati sunt Calvium ) ad eum invisendum accurrerunt, omnesque certatim præclarum illius facinus collaudabant. Deinde vero aliqui etiam ex primoribus Calvii civibus, cum de adolescentis facto inaudissent, eum videre, et coram alloqui contendebant. Permolestæ quidem Emmanueli fuerunt hujusmodi visitationes, easque libentissime devitasset: ad Superioris tamen imperium præsto erat invisen-

 tibus;

tibus; sed vultu, animo, et verbis ad modestiam ita compositis, ut facile omnes agnoscerent, mirari eum quam maxime, se, suaque facta aliquo in pretio haberi. Etenim ab ostentatione virtutis penitus abhorrebat: atque, ut is asserit, quem in tirocinio Calviensi Rectorem habuit, tanto illius virtus erat præstantior, quanto longius ab omni aberat singularitate: tandiuque illum cæteris parem existimasses, quandiu in ejus agendi modum non inspexisses attentius.

Cum præstitutum tirociniii sui tempus adeo laudabiliter exegisset, antequam vota emitteret religiosa, rogavit eum Rector ex Præpositi Generalis consulto, paratusne esset ad labores, non modo qui jam tum aderant, sed majores etiam, siquando advenirent, perferendos, vitamque in eis perpetuo transigendam. Respondit Emmanuel, se corde, et animo ad omnia comparatum esse, vitamque profusurum, si opus esset, ut Jesum in ejus Societate sequeretur. Hac nobili animi præparatione ad offerenda Deo vota processit, quæ tandem cum ingenti gaudio nuncupavit die sacro V. Mariæ in templo præsentatæ XI Kal. Decemb. anni 1767. Quanto autem ardentius immolare se Deo desideraverat, et graviores ob eam causam labores subierat, tanto etiam majore contentione curavit deinceps, ut quæ Deo sancte promiserat, inviolata fide servaret. Ac primum in retinenda paupertate ita erat diligens, ut ne chartæ quidem frustulum, sine Superioris expressa venia, aut aliis elargiretur, aut ab aliis ipse reciperet. Quod si nonnunquam ad hujusmodi res minutas vel dandas, vel accipiendas urgeretur; nisi esset debita facultate munitus, modeste quidem, sed aperte, id sibi non licere, respondebat. Quoniam vero in ea tempora incidit, in quibus frequentissimi, et maximi erant paupertatis effectus, in iis alacriter perferendis magnum quoque suæ virtutis specimen dedit. Cum sciret P. Josephus Solarius, tirocinii Genuensis Rector, quanta rerum penuria Castellani Patres laborarent, maximeque tirones, quorum nemini ea pecuniæ summa pendebatur, quam Rex Catholicus cæteris assignaverat; nonnulla vestimenta Calvium transmisit, quæ magnæ tironum inopiæ sublevandæ poterant deservire. Ex iis talaris quædam tunica obtigit Emmanueli, adeo jam attrita usu, ut pristinum colorem nigrum in subalbidum

com-

commutasset. Hanc ille vestem per annum induit, nihil de mutanda illa solicitus, donec aliam a Superiore recepit. Si quando tironum Rector panem invenisset aliquanto meliorem communi, qui furfureus et arenosus erat, inter eosdem dispertiebatur: eumque Emmanuel, tanquam vere pauper, magnis gratiarum actionibus recipiebat. De cætero neque de ciborum parsimonia, deterrimaque qualitate, neque de habitationis angustiis, et incommoditate conquestus est aliquando.

Singulare castitatis donum a Domino acceperat, ut ii testes sunt, qui eum intime noverunt. Et tamen illius vigilantia, quam ad pretiosissimi thesauri custodiam adhibuit, utpote hominis erat, qui passim illum amittere verebatur. Oculos semper ab omni licentia studiose cohibuit: nec minorem adhibuit in loquendo circumspectionem. Omnes quidem urbanissime alloquebatur, agebatque cum omnibus perhumaniter: singularem tamen cum aliquo amicitiam ita nunquam instituit, ut ab eis potius solitus esset sensim discedere, qui sibi peculiaris benevolentiæ signa exhibuissent. Cibo, et potu adeo moderate utebatur, ut sæpe illius Rector admiraretur, juvenem in eo ætatis flore tam modice vesci, et tamen valentem viribus, et colore vegetum esse. Sed crediderim, vigorem corporis magnam partem ex animi tranquillitate manasse, quæ tanta erat, ut asserat vir summæ fidei, cui nota erat ejus conscientia: Emmanuelem mortalis hujus vitæ varietatibus superiorem videri: neque ad penetrale sui spiritus aut inordinatas animi affectiones, aut tentationes Satanæ accessum habuisse: nullisque propterea eventibus sui pacem animi perturbari.

Non minus obedientiæ laude præstitit, cujus leges in animo impresserat, ut eas melius executioni mandaret. Quodcunque a Superioribus mandatum haberet, observatum est, illud arrectis auribus auscultare, deindeque singulari alacritate adimplere, sine ulla vel suæ voluntatis repugnantia, vel proprii contradictione judicii. Et quoniam Moderatores suos tanquam Dei locum tenentes aspiciebat, eorum placita maxime reverebatur, et sui, suarumque rerum curam eorumdem paternæ solicitudini relinquebat. Ad eos sæpissime recurrebat, vel consilii petendi causa, vel ut facultatem pro rebus etiam minimis obtineret. Neque amabat indefinitis, quæ sibi jam factæ

tæ fuissent, concessionibut uti: sed quoties idem agendum, aut omittendum recurreret, novam sibi potestatem dari expetebat. Cum morbo, quo tandem periit, jam tactus esset, domi ob nimiam frigoris intemperiem indutus pallio incedebat. Dixit ei Medicus, id suæ valetudini non expedire: ipseque bene memor in Societatis regulis admoneri, non minus corporis, quam animi Medicis obtemperandum, pallium sibi, quamvis algeret frigore, non amplius imposuit. Tunc etiam, ut valetudinem domesticis deambulationibus tueretur, certus quidam locus, tempusque certum, in quibus spatiaretur, sibi præstituta fuere: ab eaque designatione nec momentum unquam abfuit, neque item excessit. Postquam vero ita morbus invaluit, ut in lecto ne sedendo quidem posset consistere, rogavit ab eo quidam, anne postridie sacram esset sumpturus Eucharistiam? Quidni sumam? reposuit ille: imo vero surgam, et cum cæteris ad altare pergam, si modo Superior id jusserit.

Hactenus in religiosæ vitæ statu obtinendo, illiusque perfectione exercenda solicitum perspeximus Emmanuelem. Deinceps ad scientias comparandas, quantum sibi per brevissimum reliquæ vitæ spatium, et longi moras itineris licuit, nihilo segnius incubuisse videbimus. Noverat utique, in literis quantum præsidii sit, ad animorum salutem promovendam, quam jam tum ita mente versabat, ut morti proximus, ea tantum de causa longiorem vitam optasse affirmaverit, ut aliorum saluti prodesset: quanquam in hoc etiam divinæ se voluntati omnimode subjiciebat. Huc igitur spectans, primum literas humaniores per annum Calvii recoluit: in quibus et studendi assiduitate, et præstantis ingenii dotibus magnum progressum fecit. Deinde jussus est ibidem audire Philosophiam. Sed vix dum sibi hoc fuerat injunctum, cum omnes e Societate, qui relegati erant in Corsicam, jussi etiam ipsi, ea relicta Insula, quæ jam in Gallorum venerat potestatem, in proximam Liguriæ continentem, indeque in ditionem Pontificis pertransire. Itaque undevigesima die Septembris anni 1768, Calviensi relicto portu, omnes Gallicis impositi navibus, in Liguriæ litora vela fecerunt.

Fuit iter illud cum omnibus perincommodum, tum Em-

ma-

manueli nostro maxime infaustum, quippe quod valetudinem ejus ita debilitavit, ut paucis mensibus supervixerit. Ita erant cuncti in navibus constipati, ut noctu fere omnes vestibus induti cubarent, multique super tabulato navis sedentes, sive jacentes, noctem sub dio ducerent. Victus idem exulibus, ac nautis designatus: quanquam ita per eos dies convulsum fuit mare, ut lautioribus etiam cibis vesci nauseabundi vix potuissent. Illud tot afflictos incommodis solabatur, se brevi e navibus exscensuros: quod contra accidit, quam sperabant. Vix enim Segestam Tigulliorum attigerat classis, cum Præfectus mandatum habuit, ut Genuam cum Patribus Societatis sine mora regrederetur. In eo portu, in quo multos immorati sunt dies, præter navium angustias et sordes, frequentium quoque imbrium perferenda fuerunt incommoda. His, aliisque laboribus fractus Emmanuel, gravedine laborare cœpit, quæ postmodum in phthisim desinens, sexto post mense illum tandem absumpsit. Interea vero, præter constantem animi fortitudinem in tot, tantisque perferendis adversis, aliarum quoque virtutum exempla dare perrexit. Dum in portu Genuensi constitit, Sociis ad mensam considentibus alacriter, et expedite ministrabat: ac nisi iis, aliisve injunctis officiis destinaretur, in remoto navis angulo rebus spiritalibus, et literariis vacabat. Non pauci tunc, ut eum inviserent, ad navem accesserunt. In his fuit Excellentissima Domina Helena Brignola Serenissimi Ducis Neptis: hanc Sacerdos quidam comitabatur, Emmanuelis uterinus frater, qui laboribus exilii defessus, a Societate defecerat in Corsica, modoque fratrem suum videre cupiebat. Id ille, quippe potentissimum nactus patrocinium, facile obtinuit, alias, credo, non obtenturus. Jussus igitur fuit Emmanuel ad scapham, in qua ambo venerant, prope navem descendere: rogatusque, quomodo valeret? essetne tot inter calamitates sua sorte contentus? ipse primum Helenæ comiter, urbaneque satisfecit. Deinde ad fratrem conversus, postquam ei candide asseruit, se in Societate Jesu et fuisse semper, et esse modo lætissimum; paucis, sed gravibus verbis significavit, quanto sibi dolori esset, eum Societatis castra, cum primum ad arma conclamatum est, deseruisse. Quæ quidem adolescentis verba honoratissimæ illi, piæque feminæ maximæ admiratio-

tio-

tioni fuerunt, maximumque laudandi Deum præbuerunt argumentum. Sacerdos autem, ignaviam suam palam professus, deliberatum sibi esse dixit, iterum Societatem petere, in eaque ad extremum usque spiritum manere constantius. His aliquanto recreatus Emmanuel, cum utrique humaniter vale dixisset, ad navem rediit.

Ligustico tandem relicto mari, dum apparantur ea, quæ ineundo terrestri itineri opus erant, ad Genuense Lœmocomium translati sunt Socii: ubi si tectum, et stabile solum excipias, nihilo levioribus, quam in mari, afflicti sunt ærumnis. Hic ergo Emmanuel ab incommodo valetudinis, quod in nave contraxerat, sublevari nullo modo potuit. Inde Segestam venit medio jam Octobri. Et quanquam ibi tantisper respirare licuit, nondum tamen confirmatis viribus, ad Pontificiam ditionem aggressus est iter, quod primis quatuor diebus asperrimum fuit, planeque difficillimum. Nam et jumenta, utpote vectandis assueta sarcinis, prave ingredientia, maleque phalerata; et diversoria tot simul viatoribus excipiendis nimis angusta: unde in paleariis interdum, nonnunquam in æde sacra fuit pernoctandum: anni quoque tempestas, adulto jam autumno, et ingruentibus imbribus, perfrigida. Illud vero longe periculosius, quod altissima, præruptaque Apennini juga prætereunda fuerunt per angustos adeo tramites, ut multi, vel offendente jumento, vel alterum præire conante, in subterlabentium fluminum vortices præcipites devolvi, sæpissime reformidaverint. Verumtamen pervigili, ut mihi persuasum est, Angelorum custodia, et Sancti Parentis Ignatii patrocinio, qui olim in eodem itinere maximum vitæ suæ discrimen incurrit, omnes illius filii e salebrosis montibus ad patentes, et amœnos Æmiliæ campos sospites, et incolumes evaserunt. Emmanuelis vero valetudo, quamvis salva integritate membrorum, assiduis tamen itineris divexata molestiis, in pejus quotidie ruere videbatur: quod ille æquissimo semper animo, atque adeo lætissimo perferebat.

Cum Regium Lepidi ventum esset, Illustrissimus illius urbis Episcopus semel, atque iterum allocutus est Emmanuelem, cujus aspectu, rebusque bene gestis mirifice gavisus est, eumque xenio donatum, a se benignissime dimisit. Ibidem Sacer-

cerdos quidam magnopere optavit, eum in domum suam ad prandium deducere, propterea quod existimaret (sic enim affirmabat) Angelum se in Emmanuele excepturum esse convivio. Hoc igitur consilio venit in diversorium, in quo manebant Patres, qui precibus Sacerdotis annuendum esse censuerunt. Id cum ad Emmanuelis aures pervenit, ægerrime tulit, tantumque dolorem inde concepit, ut multis hortandus fuerit ad obediendum: nec vero penitus acquievisset, nisi certior effectus, Superioris placitum esse, ut piis honestissimi Sacerdotis annueret desideriis. Alia etiam honoris signa in eo itinere exhibita sunt Emmanueli, quæ fuerunt ipsi tanto magis ingrata, quanto aliis solent esse gratiora.

Ad Bononiensem regionem, in quam destinati fuerant, tandem aliquando venerunt Castellani. Et Emmanuel cum juvenibus, qui Philosophiæ daturi erant operam, aliisque non paucis in Bianchinam missus est Villam, ad Lavinum inferius sitam, septimo ab urbe Bononia lapide. Hic autem, ubi fixa jam sede, totque mari, terraque laboribus perfunctus, afflictam salutem reparaturus videbatur, nullum suis incommodis levamen invenit: quin imo, ad aggravandam ejus invaletudinem, omnia conspirare videbantur. In primis enim sarcinæ, quæ in Parmensi oppido Foro novo detentæ fuerant, inde non nisi extrema hieme advenerunt: unde et culcitæ deerant ad cubandum, et modica erat tegendo corpori supellex. Deinde domus, quam mense Novembri subiit, utpote æstivis destinata rusticationibus, parum erat, sub frigido nimium cœlo, ad hiemandum opportuna. Postremo morbus ipse, quo laborabat, tanquam ignis sub cinere latens, ita eum lente depascebatur, ut neque sibi, neque medentibus vis ejus penitus innotuerit, donec tabificæ febris ardor tam violenter erupit, ut antequam is extingui posset, Emmanuelem extinxerit. Quanquam illud verius mihi videor esse dicturus: Deum, cujus oculis gratiosus erat Emmanuel, per longam, nec intermissam laborum seriem, eum ad uberiorem ex illis fructum celerius colligendum, providentissima rerum ordinatione præparare voluisse.

Cum igitur gravedine tantum, vel obstructione ex frigore contracta, laborare crederetur, Philosophica studia, quæ

Calvii non potuit, hic pari contentione aggressus est, ac si robusta valetudine uteretur. Jussus quidem fuerat, multo quam cæteri serius e lecto consurgere: sed quoniam in eodem conclavi prælectiones suas Magister habebat, eas ipse per multos dies in lecto manens commendavit scriptis. Erat in scribendo tardior: neque ullam propterea vel tædii, vel querelæ significationem visus est exhibuisse. Deinde, cum injunctum illi fuisset, ut omissa scriptione, Dialecticam ex Auctore typis edito addisceret, constantissime ad Magistrum accessit, ut quotidianum sibi pensum designaret. Sed cum odisset, in religiosæ vitæ consuetudine diversam ab aliis agendi rationem sequi, concessionem illam parum sibi placere affirmabat: et Magistro suo multis persuadere nitebatur, posse utique se cum cæteris condiscipulis dictata sua scriptis excipere. Hoc modo literarum studia cum virtutum exercitatione jungebat. Ac sane magnam spem omnibus fecerat, si vita maneret, fore olim industrium, et utilissimum aliorum salutis administrum. Secus vero placitum est Deo, qui ad Emmanuelem, tanquam granum electum, cœlestibus horreis inferendum, visus est properasse.

Vires illum quotidie deficiebant, et frequenti superveniente tussi, vix poterat somnum capere: cumque jam aliquoties sanguinem reddidisset, tum demum Medicus eum phthisi correptum pronuntiavit. Quod vitæ sibi reliquum fuit tempus, in lecto decumbens, præclaris patientiæ, et obedientiæ, aliarumque virtutum exemplis insignivit. Parcissimum cibi modum, et calidam semper bibere, illi Medicus injunxerat. Sed in his, cæterisque suæ ægrotationis incommodis lætam adeo faciem omnibus exhibebat, ut nihil omnino pati credidisses. Quæcunque Superior, aut Medicus, vel ægrotorum curator imperassent, non adimplere modo, sed ne punctum quidem invertere, omniaque ad unguem perficere satagebat. Cum jam ex Medici sententia ultimis muniendus fuit Sacramentis, ad eum ingressus est Rector, ut admoneret, mortem sibi jam imminere, sed multum e re sua fore, si brevissimam, et ærumnosam vitam cum æterna, et beatissima commutaret. Cui ille: Mortem equidem obire non renuo; sed reddendam vitæ rationem pertimesco. Hæc autem reformidatio, non diu illum solicita-

vit

vit. Nam paulo post, in fiduciam timore converso: Spero utique, dixit, rationem, quam a me Deus exiget, ob immensam ejus clementiam, ac bonitatem, bene mihi successuram. Et cum in conspectum devenero Dei mei, rogabo eum suppliciter, ut fratres meos, quos tot laboribus oppressos relinquo, dilectamque mihi Societatem Jesu benignis oculis aspiciat.

Deinceps omnia sibi pacata tranquillaque fuerunt. Totius vitæ noxas confessus est Sacerdoti: neque longum in ea confessione tempus impendit, ut qui vitam egerat, qualem hactenus exposuimus. Deinde Sanctissimæ Eucharistiæ viaticum piissime suscepit. Post hæc interrogavit, quid sibi facto opus esset, cum sacro inungeretur oleo? Expositi sunt ei breviter hujus Sacramenti ritus, et quænam illud suscipientis sint partes. Has ille deinde tam attente, ac devote peregit, ut adstantes omnes commoverit, multisque lacrymas elicuerit. Acta sunt hæc die quinta Aprilis: et cum insequenti nocte solitis precibus illius anima Deo commendata fuisset, et applicata plenaria Indulgentia pro mortis articulo, reliqua vitæ momenta iterandis virtutum actibus insumpsit, qui proxime decessuro conveniebant. Inter alia non semel hæc auditus est dicere: Aliam non habeo Matrem, præter Sanctissimam Virginem, in qua totam spem meam reposui. Quæ verba nonnulli propterea ingeminasse existimarunt, ut totum sui cordis affectum a genitrice sua, cujus forte tum meminit, ad Deum, et ad Deigenitricem converteret. Quanquam alioqui, dum viveret, vix unquam de Matre sua, nisi cum rogaretur, auditus est loqui: et rogantibus ita satisfaciebat, ut cum ostenderet, se Matrem, ejusque optima erga se officia plurimi facere, simul etiam significaret, nimio adversus sanguine junctos affectui nihil indulgere.

Tandem postridie Nonas Aprilis anni MDCCLXIX, hora sexta antemeridiana, magno omnium dolore nobis ereptus est Emmanuel Lanza in adolescentiæ suæ flore, annos natus admodum octodecim, quorum quatuor in Societate Jesu laudabiliter posuit. Pulchram illus faciem ita mors non immutavit, ut vel timidiores cominus, ac sæpius eam intueri nihil formidarent, illud non temere existimantes, ipsius animum ad

Dei advolaſſe complexum. Elatus eſt ad Parœciam S. Helenæ in Secerno. Suaviſſimis profecto moribus adoleſcens, et mirabili vitæ innocentia, præcipuaque laude digniſſimus ob inſignem in ſequenda Dei vocatione conſtantiam: qui ne illi deeſſet, nullum incommodum, nullum vitæ diſcrimen recuſavit: qui pro data fide ſervanda, in mediis calamitatibus magnanime toleratis, vitam ipſam profudit: quem denique Deus mundo videtur hiſce temporibus exhibuiſſe, ad multorum excutiendam ſocordiam, et aliorum ignaviam coarguendam.

EM-

# EMMANUEL CANCELA.

Si copiosa laborum seges propria est, et perpetua justorum hereditas, iis accenseri non immerito poterit Emmanuel Cancela, quem Deus amaris, sed utilissimis fructibus, qui ex arbore sanctæ crucis proveniunt, in extremis brevissimæ vitæ suæ annis abunde cibavit. Ipseque cibum istum, validioribus animis saluberrimum, tam avide sumpsit, optimeque concoxit, ut paucis annorum circulis ad robustæ virtutis gradum sit evectus.

Pontevedræ in Gallæcia nobili et amœno loco natus est anno seculi decimi octavi undequinquagesimo, die vigesima secunda Novembris. Pueritiam sub optima disciplina ita laudabiliter egit, ut vix pubertatem ingressus, mundum deserere constituerit, et Patribus Societatis adjungi. Ab iisque libenter fuisset sine mora receptus, cum præter mores optimos, culturam etiam in literis, prout in illa ætate, non mediocrem haberet, nisi per ipsius domesticos stetisset. Cum enim placidissima esset indole, perspicaci mente, et ingenio ad scientias aptissimo, cujus non dubia jam tum dabat indicia, moribus denique ad pietatem omnem propensis; suorum animos stricte sibi devinxerat, eumque proinde a se divelli, ægerrime ferebant. Præ cæteris illius Mater, quæ virum jam amiserat, et in præclaris adolescentis filii dotibus spem domus, et viduitatis suæ solatium collocaverat, multa tentavit, ut eum a suscepto consilio dimoveret. Evigilatas propterea noctes, et longa infantiæ suæ tædia commemorabat, adhibitamque postmodum in ejus educatione solicitudinem, ut eum humanioribus primum literis, deinde Philosophicis erudiendum curaret, quo posset, in demortui Parentis loco, honestissimæ familiæ decus promovere. His illud etiam, in fletus effusa, subjungebat: se, florente adhuc ætate conjuge orbatam, alteras nuptias ea tan-

tantum de causa respuisse, ne filio Vitricum daret, sub cujus imperio gemeret aliquando. Atque hæc sæpius ingeminans, ingratum filium erga Matrem sui amantissimam appellabat. Sed Emmanuel, cujus nobile pectus objectam ingrati animi notam ferre non poterat, multis evincere satagebat, se materno amori, quem eximium utique fuisse confirmabat, neque unquam antea vicem reddere prætermisisse, neque iis, quæ modo moliebatur, eidem ullo modo adversari. Cum enim a teneris unguiculis per Matrem ipsam fuisset edoctus, Deum ante omnia, secundum ipsum, Parentes et proximos esse diligendos; sine ulla Matris, vel propinquorum offensione, Deum ad perfectiora vocantem, sequi se posse, imo etiam debere, contendebat. Atque eo vel maxime, quod Matri rei familiaris copia non deerat, et alter supererat filius, qui domum posset olim administrare. Unde, si surdas insinuationi divinæ, ut Matri morem gereret, aures ipse præberet, Christi comminationem, indignum se pronuntiantis, qui Patrem, aut Matrem præ ipso dilexerit, valde se perhorrescere. Neque vero Matri, si obsistere pergeret, id impune futurum: quippe cui verendum etiam esset, ne filii amor, quod multis evenisse compertum est, verteretur in odium: sicque inordinatæ dilectionis suæ debitas pœnas justissima Dei ordinatione persolveret. His, aliisque rationibus intra anni spatium, per quod tenuit certamen illud, opportune inculcandis, animum Matris, quæ et filios diligere, et Deum timere didicerat, tandem expugnavit. Itaque illius obtenta venia, mœrentem, et lacrymis confectam Matrem siccis ipse oculis reliquit, et lætus in tirocinium properavit, ubi Sociis annumeratus est die vigesima tertia Septemb. anni 1765.

Ibi non multi abiere dies, cum Emmanuel suscepti muneris partes, quæ se propius tangerent, bene cognovit, iisdemque adimplendis totus incubuit. In id præcipuam curam adhibuit, ut orationem, quæ mente fit, recte peragendi modum addisceret. Cumque vitam antehac egisset literarum, ac pietatis studio deditam, et a mundanis rebus alienam, in eam modo solitudinem adductus, facile potuit ad interiora sese colligere, divinique vocem Spiritus auscultare, cujus in meditatione sua magisterium experiebatur. In hac cœlesti schola cor

su-

suum ad omnem virtutem informabat, indeque perfectionis regulas eruebat, ad quas in actione quotidiana respiceret. Elucebat proinde in eo læta quædam, et grata modestia, silentium opportunum, caritas erga omnes officiosa, et exacta legum etiam minimarum observantia. Quocunque illum aut Superior, aut æris campani sonus evocaret, tam prompto, et alacri animo aderat, ut plane ostenderet, leve sibi esse quod subierat onus, et suave jugum Domini, qui eum hoc modo ad difficiliora comparabat certamina. Post non multos menses in gravem incidit morbum, in quo vehementer desiderabat vitæ suæ cursum implere. Rogatusque, cur id tantopere optaret? dixit: Quoniam, dum quis in tirocinio vivit, plenus est Deo. Sed nondum illi abeundi tempus advenerat, paucique adhuc sibi supererant anni, in quibus præclaram proderet animi fortitudinem. Nunc ergo mortis discrimen evasit: sed illius vis morbi in fistulam circa guttur desivit, quæ multam ei patiendi, merendique materiem exhibuit. Nocivus quippe humor non diu post oculos etiam occupavit, quorum ei lumen maximam partem eripuit, et gravissimos dolores excitavit. Sed hujus calamitatis acerbitas non valuit Emmanuelem ab animi tranquillitate deducere. Omnia ille patienter tolerabat, in eaque umbra ad acriorem pugnam, in quam jamjam producendus erat, exercebatur. Etenim, cum adversa adeo valetudine uteretur, Patrum Societatis decreta fuit ab Hispania depulsio, quæ omnibus quidem infausta, Novitiis vero, atque inter eos Emmanueli præsertim fuit infaustissima, quem ad impotentiam curandæ valetudinis adegit.

Ante diem III Nonas Aprilis anni 1767, Senator quidam Vallisoletanus, cui negotium hoc fuerat demandatum, Helvetiorum militum phalange stipatus, summo mane in Collegium irrupit Villagarsiense, quod tum Socios numerabat centum novemdecim, e quibus Novitii erant novem et septuaginta. Cunctis in triclinium convocatis, decretum Regis, quo patriam deserere, in Italiamque abire jubebantur, satis clara, et elata voce pronuntiatum est. Sed Novitiorum multi, vel ob amplitudinem loci, vel ob mentem ex militum, et armorum aspectu perturbatam, quid decreti verbis contineretur, non comprehenderunt. Unde, cum statim a Patribus divulsi,

in

in privatam oppidi domum extracti fuissent inter duos militum ordines, qui suis, ut ajunt, sclopis mucrones præfixerant; neque scirent quo demum, aut quanam de causa perducerentur; funestius quiddam imminere sibi reformidarunt. Eorumque formido impendio magis excrevit, cum ad plateam egressos ingens populi multitudo, quæ ad rei novitatem accurrerat, inconditis clamoribus, et ejulatibus excepit, inter quos multi flebilibus modis in hæc verba erumpebant: *Heu! mea vita, Novitii!* Neque vero timorem penitus deposuerunt, donec Senator, paulo post ad eos adveniens, propterea dixit in eam fuisse domum eductos, ut procul a consiliis, et suasionibus Patrum, ipsi apud se, quid sibi agendum esset, liberrime decernerent: vel domesticos lares repetere, vel abire cum Patribus in exilium. Id erat utique instructionibus, quas Senator ab Aula receperat, maxime consentaneum, inter quas decima sic habebat: „In Tirociniis (vel Domibus, in quibus „fortuito sit aliquis Novitius) subito segregandi sunt illi, qui „vota sua religiosa nondum emiserint, ut nullam cum cæteris ab eo temporis articulo communicationem habeant: in „ædesque privatas sunt transferendi, ubi plene liberi, et con„scii perpetui exilii, quod individuis sui Ordinis indicitur, „in id possint animum inducere, quod sibi magis arriserit. „Hi Novitii Regis alendi sunt expensis, interea dum quid„quam certi statuerint, quod, juxta singulorum declaratio„nem, per sui nominis subscriptionem, propria uniuscujusque „manu exaratam, constare debebit; ut annumerentur cæteris, „si eos sequi voluerint, vel suo tempore libertate donentur, „suis induti secularibus vestibus, si postremam hanc partem „elegerint. Neque Minister, his exequendis designatus, sug„gestionibus locum dari patietur, ut eorum aliquis hoc, illud„ve amplectatur extremum, cum id omnino illius, cujus in„terest, unico et libero arbitrio sit relinquendum: ita tamen, „ut intelligant ipsi, pensionem annuam, sibi non esse assi„gnandam, cum integrum eis sit in seculum remeare, vel in „alium Religiosum Ordinem pertransire.„

Cum videret autem Senator, Novitios in illa domo noctem ducere sine maximo incommodo non posse (quod in privatis instructionibus summa diligentia cavere jubebatur) neque alia

alia in toto esset oppido, quæ omnes commode caperet, eos sub vesperum eodem militari comitatu in tirocinium reduxit: ubi constitutis ad januas excubitoribus, longissime aberant ab omni cum Patribus commercio, qui et ipsi procul detinebantur. Post primam noctis horam ad eos rediit Senator, et quod alias obiter insinuaverat, illis modo fusius exposuit: Maximis se laboribus, et periculis objiciendos, si Patres in exilium sequi contenderent. Hos, postquam in Italiam venerint, a Societate sua Novitios facile rejecturos, cum eorum providere victui non possent. Inde, vel exteris inservire dominis, vel erronum more vicatim emendicare, fore cogendos. Semel autem egressis, accessum ad patriam, ad amicos, ad Parentes semper fore interclusum. Non deesse alias in Hispania sanctissimas Religiosorum familias, in quibus Deo possent, perinde ac in Societate Jesu, obsequium exhibere. Denique si filium ipse suum Villagarsienses inter Novitios aspiceret, eadem ipsissimis verbis admoniturum: non ut illum in alterutram partem impelleret, sed ut facem ei præferret, ad mature deliberandum, prudenterque eligendum: neque alia de causa hæc illis se proposuisse, ut nocte illa serio cum animis suis ea ipsi recogitarent, postridie mane, quid consilii caperent, enuntiaturi. Hæc Senatoris oratio Novitios ex iis, quæ per diem acciderant, non parum solicitos, novas in agitationes adduxit, quibus noctem insomnem ducere coacti sunt. Cœtus inter se habere, invicem consulere, cohortari: alii alios adire, quorum prudentiam, et mores maxime suspiciebant. Multi sententiam suam palam edicere, Senatorisque allocutionem, non tam ad instruendum, quam ad cogendum fuisse compositam. Unde omnes fere in id tandem consentiebant: extrema quælibet pati oportere, potius quam a vocatione deficere, laboresque quantumvis maximos, si modo ipsi fidem Deo servarent, non solum subeundos fore, sed sustinendos etiam, et superandos. Præ cæteris autem Emmanuel Cancela, qui a primo tragici illius diei actu animum suum, ad quæcunque obvenire possent, firmissime comparaverat, inter illius noctis vigilias non Senatoris verba, sed Jesu Christi exempla identidem sua mente volvebat. Erat quædam in tirocinii Sacello satis affabre depicta imago pueri Jesu, crucem humero impositam altera

manu sustinentis, cistellam altera gestantis clavis, et spinis onustam, cum hoc subscripto lemmate: *In laboribus a juventute mea*. Hæc verba, ut ipse postmodum suo testatus est Superiori, ab illius diei diluculo Emmanuelis animo altissime insederunt: et cum ipse deinde, quæ verbis indicantur iisdem, stabuli incommoda, Herodis persecutionem, præcipitem fugam, Ægyptiaci labores exilii, spinas denique, clavos, et crucem attenta reverentique cogitatione versaret, ad asperrima quæque magnanimiter adorienda, patienterque toleranda, ex Jesu Christi sibi objectis exemplis incitabatur.

Postera die bene mane regressus Senator, quam habuerat ad Novitios præcedenti nocte orationem, eandem modo iteravit. Post hæc, dum rediret ipse ad rogandas singulorum sententias, jussit eos reculas suas colligere, et aptare, quo promptiores essent ad profectionem. Id utique Novitiis erat et jucundissimum, et minime operosum. Cervicalia pro manticis adhibuerunt, quibus indusia duo cum udonibus infuderunt, cilicia quoque et flagella, cum aliquot libris. Et cum ignorarent adhuc, equitesne profecturi essent, an pedites, pejoraque sibi in eo statu rerum ominarentur, baculos etiam, quibus in peregrinationibus ad loca sacra utebantur, et scoparum capulos in singulos distribuerunt. Hoc instructi modo, ad tirocinii januam procedunt: quo cum ascendisset Senator, proximum ingressus cubiculum, sedit medius inter Præfectum quendam militum, et Scribam. Ad eos igitur ingressi Novitii, prout singillatim compellabantur, quid apud se quisque statuisset, edicebant. Cum autem omnes initio firmum, fixumque sibi esse dicerent, eandem cum Patribus subire fortunam, triumviri illi variis eos modis a sententia dimovere conabantur. Suum quippe nomen jamjam subscripturis hæc passim inculcabant: Pessime sibi consulere, qui in apertam ruinam sese præcipites darent: novitio fervore correptos, id probare modo, quod essent postmodum improbaturi: scilicet amore Patrum, ac suasionibus delusos, id consilium arripere, cujus deinde sera, et inutili pœnitentia torquerentur. His tamen instigationibus minime deterriti, pro subeundo exilio septuaginta sex Novitii constanter subscripserunt. Tres admodum in contrariam abiere sententiam, quorum duo Adjutores erant, ter-

tertius Scholasticus, qui tirocinium ante mensem inchoaverat: et is, subito facti pœnitens, multis eo die lacrymis contendit, ut in aliorum numero censeretur, sed obtinere non potuit.

Inter Novitios, qui constantes fuerant, duo propter valetudinem iter ingredi non potuerunt. Reliqui septuaginta quatuor, antiquis adjuncti Sociis, plaustris impositi, et armato milite cincti, Villagarsia profecti sunt pridie Nonas Aprilis post meridiem. Emmanuel Cancela, quamvis e recenti morbo non bene recreatus, neque penitus obducta fistula, quam ex eodem contraxerat, et quæ vectationis agitatione diduci facile poterat; mentis tamen oculos identidem in exemplar Christi patientis intendens, in exilium ita libenti animo profectus est, ut comitibus alacritatem adderet ad sustinendum. Neque per eos dies quidquam illorum gaudium interturbavit, præter quam multorum clamores inconditi, non tam abeuntium calamitatem, quam suam sine illis miseram sortem amarissime deplorantium. Cæterum, cum ad Forum Egurrorum, Ampudiam, et Palentiam venissent, magnis ubique honoris, et amoris significationibus sunt excepti. Palentiæ præsertim ad S. Francisci Cœnobium, quo cuncti convenerunt, tantus ex omni ordine factus est civium accursus, in suam quisque domum quam plurimos ducere posset contendentium, ut omnium expleri vota non potuerint, quanquam plerique Sociorum, quo pluribus satisfieret, bini sint distributi. Propterea Dominicanorum Patrum Cœnobiarchæ, qui supra quinquagenos hospitio recipere contendebat, sex admodum concessi fuere: ipsique adeo Franciscani Patres, apud quos primum omnes diverterant, paucissimos retinere potuerunt.

Palentia digressos quidam celeri passu consecutus est adolescens, qui militum minas et gladios minime veritus, modoque ad hoc, modo ad illud plaustrum accedens, Novitiorum Magistrum solicite perquirebat. Cui cum plaustrum, quo is vehebatur, fuisset ostensum, illuc advolans, per quidquid in Cœlo sanctius est, et in terra, rogat eum, ut se velit quamprimum suis annumerare Novitiis, vel cum iis saltem eo pergere sinat, ubi voti sui copiam obtineat. Cujus voti cusam insinuans, singultus inter et lacrymas subjungebat: *Cupio enim et ipse vehementer, felicitatis vestræ particeps fieri.* Sed Magister,

ter, etsi strenuum adolescentis animum tacitus mirabatur, cum tamen locus et tempus ejus annuere petitioni minime suaderet, eum, quibus potuit aptioribus solatus verbis, aliquanto recreatum dimisit. Hinc vero Novitiis robur accrevit ad imminentes labores fortiter sustinendos, qui sane omnium opinione multo fuere majores.

Nondum quartum iter confecerant, cum ecce tibi certus quidam homo cum literis, in quibus supremi Senatus Præses imperabat: ut cæteris porro pergentibus, Novitii in propinquiore loco, qui tamen iis excipiendis commodus esset, omnes consisterent: ibique manerent populi Magistratibus commendati, qui curam eorum agerent, donec ipsi diutius consultiusque dispicerent, anne sibi expediret in perpetuum exilium cum cæteris proficisci. Cum igitur Turremcrematam satis celebre oppidum, a quo jam proxime aberant, devenissent, ibi ab antiquioribus incredibili omnium dolore divulsi, per dies quindecim consedere Novitii, diuturna constantiæ suæ pericula, quæ tamen imperata non fuerant, subituri.

Noverunt ipsi continuo, imbelles sine duce juvenes, per varias ac dissitas populi non infrequentis domos dispersos (bini plerique, paucissimi terni habitabant) ad graviora expositos manere certamina, quæ difficile superarent, nisi secum ipsi, simulque cum Deo quam intime conjungerentur. Propterea vivendi formam tenere cœperunt, quæ ad eam, quam in tirocinio didicerant, proxime accederet. Illum pro Superiore habuerunt, qui tirocinii diebus cæteros præcedebat: et quæcunque is, ex aliorum quatuor sententia, quos in consilium erat adhibiturus, statuisset, omnibus servanda esse voluerunt. Igitur statim a somno, quem mature abrumpebant, in templum convenientes, adorato suppliciter Numine, ejusque ope ad strenue illa die decertandum implorata, cœlestium meditationi per horæ spatium intra chorum omnes vacabant. Inde ad aræ maximæ gradus procedentes, divino intererant Sacrificio, in quo duo ipsorum ministrabant. Reliquas ad meridiem horas partim domi, partim invisendis ægrotis insumebant. Ante prandium, itidemque post cœnam, discutiendæ conscientiæ horæ quadrantem dabant. Post meridiem Coronam B. V. recitabant, semihoram lectioni sacræ, tantundem orationi tribuebant,

bant, et altaria quinque precabundi de more venerabantur. Quibus peractis, extra oppidum deambulandi causa prodibant, ibique piis colloquiis se mutuo recreabant, solabantur, hortabantur. Domum sub noctem regressi, illa etiam, quæ secum attulerant, pœnalia tractabant instrumenta, quantum loci opportunitas pateretur. Diebus denique festis sacrosanctum Eucharistiæ mysterium, noxis pridie confessione detersis, accipiebant. Hæc vitæ ratio, quæ statim incolas in admirationem rapuit, Novitios ab omni clade servasset immunes, si eam per eosdem, qui et ipsam initio probaverant, et laudaverant, constanter retinere licuisset. Sed infestus bonorum omnium hostis Satanas tantam in teneris annis constantiam, tantum pietatis studium, et tam unanimem in officio servando concordiam diutius ferre non poterat.

Post non multos dies multa Novitiis severissime fuerunt interdicta. Primum, ne deinceps ad templum oraturi, Missamve audituri, vel quælibet facturi pia exercitia, simul omnes adirent, sed unusquisque ad illud accederet, cum sibi placitum esset, dum ne ex condicto convenirent: alios vero cœtus neque in templo, neque extra illud celebrarent. Deinde, ne quis eorum Superiorem ageret, siquidem Regis subditi erant, non Religiosi. Tum, ne alii aliorum domos intrarent, ne gratia quidem ægrotantes invisendi. Præterea, deambulationem nunquam omnes una susciperent; sed bini, vel terni, prout distributi erant per domos, et istarum comitantibus dominis, vel certe non nisi eorum obtenta venia prodirent. Dum item alii alios, inter deambulandum, obvios haberent, ne inter se colloquia miscerent, sed obiter salutatos præterirent. Denique ne domi, vel foris, ad insequendos Patres, se invicem incitarent; sed unumquemque sinerent, secum ipse deliberaret, et, quod satius duceret, sequeretur. Hæc omnia a duobus Magistratibus, tanquam mandata Regis, indicta sunt duobus primoribus Novitiis, ut ipsi alios certiores omnium efficerent; simulque iisdem injunctum, ut eos excluderent, qui ad se consilii causa adventarent. His Novitii responderunt: Se, suosque socios regiis mandatis obtemperare paratissimos esse: illud tamen jure suo exigere, ut autographæ literæ, quibus ea continebantur, vel earum certe authenticum sibi exhiberetur apogra-

graphum. Sed neutrum a Magistratibus obtinuerunt. Rogarunt deinde Novitii, ut ægrotos saltem invisi permitterent: idque duobus tantummodo antiquioribus permissum est.

Cum illi discessissent, Novitii ad Scribam accesserunt, apud quem modeste conquesti sunt, cum Judex alter, ac Decurio multa sibi regiæ Majestatis verbis imperassent, ea sibi juridice denuntiare noluisse. Quæ cum audisset Scriba: Miror equidem, dixit, cunctorum in templum aditum vobis fuisse prohibitum: nec vero intelligo, quo tandem jure in id se duo illi Magistratus ingesserint. Hoc utique scio, vobisque confirmo, nullum adhuc mandatum regium (illo tantum excepto, quo jussi sumus Novitios apud nos retinere, dum ipsi, quid sibi sit eligendum, cunctantius consideraverint) Turremcrematam advenisse. Unde nunquam mihi persuaseram, vestros ad precandum in æde sacra congressus fore prohibendos. Cætera vero propterea sunt vobis inhibita, ne alter alteri ad amplectendum exilium animos addat, sicque nonnulli in cæca sese pericula conjiciant. His ita reposuerunt Novitii: Quid igitur causæ est, cur nos invicem hortari prohibeamur, populus nos dehortari, non itidem prohibeatur? Quoniam populus, ait Scriba, vestris inservire commodis existimat, nec modicum vobis præstare credit obsequium, si vos ab exilii cogitatione retractos, in vestras redire domos inducat. Ego quidem duobus, quos domi meæ recepi, ut in exilium ire pergant, si noverint id sibi agendum esse, minime veto: sed tamen gravia, quæ illos manent, incommoda, si in id animum induxerint, ob oculos ponere non prætermitto.

Quod si reliqui Turriscrematæ incolæ id efficere satis habuissent, quod Scriba de se fatebatur, ut Novitios ad recte deliberandum adjuvarent, laudandi quidem fuissent: sed multi longe alias iniere vias. Cum enim omnes initio Novitiorum commiseratione ducerentur; ut sibi rectius consulerent, hortabantur. Repugnantibusque Novitiis, quorundam commiseratio paulatim in contentionem, contentio in indignationem, peneque in furorem pertransiit. Non defuit, qui Novitium stricto terreret gladio, quem verbis ad sententiam suam pertrahere non potuerat. Alteri, postquam cubitum iverat, religiosæ detractæ sunt vestes, et seculares relictæ, ut has mane

sur-

surgens indueret: quas tamen ille, detecta fraude, nec attingere voluit, neque lectum relinquere, quamvis hospes ei multis obstreperet ad surgendum, donec suæ sibi vestes sunt redditæ. Alius, quoniam assiduis molestiis cedere noluit, domum, in quam primum diverterat, deserere, in aliamque commigrare coactus est. Unum, aut alterum intempestivis comessationibus, et compotationibus eo deducere conati sunt, ut ab eis inter liberiora pocula elicerent, quod alias obtinere non sperabant. Et hæc quidem nonnullis perferenda fuerunt. Illa cunctis fuere communia, quæ passim eorum auribus obtrudebantur: Novitios stultos, et insanos esse, qui tam obstinato animo in exilium ire contenderent: in eo et honori suo male consulere, qui Patres criminum reos comitari vellent; et voluntati Regis obsistere, qui eis, videlicet innocentibus, in domos redire suas permitteret. Subjicientibus vero Novitiis, proficisci cum Patribus in exilium æque sibi a Rege permissum, regerebant: suam in contrariam partem voluntatem manifestissime Regem significasse, qui nullam eis pensionem decrevisset: propterea Palentiæ multiplices jam consui vestes, induendis omnibus, et in Parentum domos transmittendis: id agere siqui renuissent, urbanos inter milites conscribendos. Id genus sexcenta alia tam importune Novitiis inculcabant, ut eos nec domi sinerent, nec foris conquiescere: et ab infima plebe, dum præteribant, temerarii non semel, et stolidi audiebant.

His molestiis, falsisque rumoribus exagitatos Novitios, in concilium Judices ea die advocarunt, qua die Redemptoris nostri Passio recolebatur. Per varias oppidi vias voce Præconis inclamatum fuit mane, ut ad primam post meridiem horam Novitii omnes in Prætorium convenirent. Eo cum ad condictam horam adfuissent, Judices, et Scriba pro tribunali sederunt. Decurio Novitios, qui omnes in semoto cubiculo fuerant inclusi, alium ex alio coram Judicibus sistebat, ut quid tandem decrevissent, exponerent, idque sua manu confirmarent. Vir quidam, qui præ cæteris incolis vehementior fuerat in dissuadenda profectione Italica Novitiis, quos hospitio receperat, hic etiam plerisque, dum ad subscribendum accederent, quanta eos manerent pericula, si proficiscerentur in Ita-

Italiam, insusurrabat. Cum videret autem, quatuor jam nihilo minus pro subeundo exilio constanter stetisse, illud excogitavit, quod olim Promotus Prætor, ut S. Primum perverteret, de S. Feliciano commentus est. Ad cubiculi januam accedens, in quo Tirones examinandi manebant (qui subscripserant, in conclave aliud amandabantur) aperte illis denuntiavit, e quatuor primis tres jam ab incepto resiliisse. Id cum illi verum haberent, et vehementer doluerunt, et ipsorum aliquem, ut postea compertum est, ad mutandum propositum incitavit. Cum igitur quintus suum etiam pro exilio nomen dedisset, ingressus cubiculum, in quod alii quatuor discesserant, ab eis exprobrantis more quæsivit: Quinam ex vobis (malum!) defecerunt? Omnino nullus, dixerunt illi: miramur imo maxime, quid hoc interroges. Quoniam nobis, ait ille, disertis confirmatum est verbis, tres jam a prima sententia recessisse. At vero, inquiunt, qua id fide asserat, viderit ipse, qui dixit: nos enim, quod pridem animo insederat, nunc etiam coram Judicibus confirmavimus. His tamen, aliisque artibus, atque illa præsertim, quæ sibi a quibusdam Cœnobitis injecta fuerat, offendendi Numinis religione, id tandem effectum est, ut in hac altera examinatione Novitii quatuordecim in Hispania manere decreverint. Biduo post novæ perlatæ sunt literæ, quibus Consilii Præses Judicibus præcipiebat, ut Novitios, quos apud se deliberandi causa receperant, ad Palentinum Judicem remitterent. Inde multi suspicari cœperunt, examen illud citra regium mandatum fuisse institutum.

Novitii ergo, ne iis quidem exceptis, qui jam a sequendis Patribus destiterant, carris impositi Palentiam revehuntur: et qui paulo ante magnis ibi honoris, et humanitatis significationibus excepti fuerant, tam ignominiose modo, et inhumaniter habiti sunt, ut sæpius eis in Servatoris exempla fuerit intendendum, cui Hierosolyma brevissimo dierum intervallo et magnifice plausit, et gravissime illusit. Per viam novis imbuti sunt rumoribus: Actum jam esse de spe assequendi Patres: Præfecto Sanctanderensi fuisse imperatum, necui Novitiorum naulum concederet, aut navem: Palentiam ideo modo deduci, ut habitu spoliati religioso in patriam remitterentur,

tur, aut si id agere recusarent, militiæ nomen darent vel inviti. His denuntiationibus perterriti, ex itinere defatigati, imbribus madidi, somnoque defecti ob susceptam multo mane profectionem, propter quam pridie ineundam æque, sed frustra vigilaverant, XI Kal. Maii circiter meridiem in Palentini Senatus domum recta devehuntur, ubi eos Judex opperiebatur. Primum per immensam populi multitudinem, deinde per medios milites, qui Prætorii atrium armis instructi custodiebant, in spatiosam ingressi sunt aulam, in quam etiam præter Curiæ Ministros, cives aliquot, et Turriscrematæ Judices, qui Novitios deduxerant, introierunt. Ibi Palentinus Judex, indicto silentio, singulorum nomen, et patriam exquirit. Post hæc, interposito Regis nomine præcipit, ut omnes, religiosa veste deposita, profanam statim assumant. Ad hanc vocem obstupuerunt Novitii, demissoque vultu, et oculis in terram defixis, obmutescebant. Tum Judex: Agite citius, inquit: hinc enim vobis, nisi vulgari veste contectis, prodeundum non est omnino. Sed Judex rem imperabat, in qua Novitii morem ei gerere, si maxime vellent, minime poterant. Nam etsi vestes aliquot e tirocinio Villagarsiensi fuerant asportatæ, illæ tamen multis partibus pauciores erant, quam ut vestiendis omnibus sufficerent.

Itaque Novitii, cum se jam ex prima illa consternatione recepissent, Judici responderunt, bonam ipsorum partem in variis, ac dissitis Provinciæ Collegiis vestem Societatis induisse, in quibus proinde seculares suas vestes reliquerant: unde illos, ut summum, qui Villægarsiæ recepti fuerant, id exequi posse, quod injungebat. Hi ergo jussi sunt in superiorem partem domus, ubi vestes illæ repositæ fuerant, conscendere, illasque induere quam citissime. Sed ne iis quidem facile fuit imperata perficere. Nam qui vestes illas transmittendas curaverat, nullum delectum habuit: et in longo itinere, dum imponuntur, dum deponuntur, sæpius confuse permiscentur. Illud etiam, quod caput est, constat: magnam earum vestium partem, quæ in tirocinio distinctæ notis asservabantur, donec Novitii biennium explessent, paulo post Patrum egressum, furunculos Collegium ingressos surripuisse. Nunc ergo Novitii, dum suam quisque vestem perquirit, majorem in mo-

dum omnia confundunt: dumque omnes obedire Judici festinant, longiores alii aliis moras injiciunt. Vix tamen unus fuit inter eos, qui vestimentum, quod suum olim fuerat, integrum reperire potuerit. Sed quoniam instabat Judex, ut se coram sisterent sine mora, unusquisque utcunque potuit, sese contexit: et ante Judicem ita vario, ac deridiculo cultu apparuerunt, ut, nisi res adeo luctuosa ageretur, risum gravissimo cuique movissent.

Supererant illi, qui diversis in urbibus nomen dederant Societati. His præcepit Judex, ut interiore tantum veste retenta, talarem Societatis tunicam exuerent: Ego enim, addidit, in mandatis non habeo, ut vobis alio de vestitu provideam. Adeo falsum erat, quod Turricremata nonnulli venditaverant: Palentiæ vestiendis Novitiis plurimas vestes deproperari. Parendum ergo fuit Judici, qui sæpius jam asseveranter edixerat, nec sibi, neque illis inde exeundum, antequam Societatis insignia omnes deposuissent. Sed quanti hoc Novitiis steterit, existimare quis possit? Etenim illam quantumvis rudem tunicam, pro qua obtinenda solicitos dies, et insomnes egerant noctes, pretiosiorem ipsi, atque honoratiorem chlamyde habebant. Præterea interiores Novitiorum vestes (ut paupertati simul, et humilitati consuleretur) ex vilissimo panno confectæ, adeo inelegantes erant, maleque aptæ, ut quivis etiam e media classe paribus indui vestibus erubesceret. Lenta igitur, ac titubante manu tunicam Novitii suam discingunt, lacrymis rigant, exosculantur, inviteque deponunt. Et honesti, ac nobiles illi, verecundique adolescentes primum coram eo consessu, deinde coram omni populo in habitu fere mimico, proprieque mediastinorum comparuerunt. His ad augendum ruborem accedebat, quod nonnulli vestem adeo detritam, ac laceram habebant, ut si minus nudi, saltem non bene contecti remanserint. Neque aliud in tantis angustiis levamen habuerunt, ut is scribit, qui primas in scena illa partes agebat, quam ut Christum nudum, et vilibus indutum vestibus contemplarentur.

Hac afflictis pœna Judex mandata illa indixit, quæ receperat a Curia, quorum, ut ajebat ipse, hæc erat summa: Novitios sua veste spoliaret: qui a sequendis Patribus Societa-

ta-

tatis desisterent, viatico in domos suas instrueret: eos porro qui cum iisdem exulare maluissent, libere sineret proficisci. Regiam eis quoque Sanctionem legit, in qua homines Societis Jesu, quos Rex decreverat exterminandos, suis quique distincti classibus expresse nominabantur: Sacerdotes non solum, et Laici, sed Novitii etiam, qui eos sequi voluissent. Judex tamen, ea perlecta: Videtis, inquit, apertissimam Regis voluntatem, ne quis vestrum in exilium abeat, dum vobis nullam æris summam assignat: unde siquis in exilium ire contendat, is profecto contra voluntatem Regis agat, oportet. Hac habita oratione, statim ad quæstionem venit: sumptoque Novitiorum catalogo, quem in eorum ingressu texuerat, unumquemque rogat, velitne proficisci in exilium, annon? et singulorum responsa his notis (S. N.) ad catalogi oram describit. Ita omnes cum percurrisset, eandem iterum quæstionem instituit: et confusionis vitandæ causa, alios ad dexterum suum latus, alios ad sinistrum pro responsionis diversitate constituit. Contigit autem, ut quidam Novitius, qui primam ad interrogationem negaverat, animadverteret, et se, et qui secum negaverant, ad sinistram Judicis considere; qui vero affirmaverant, ad dexteram constitutos fuisse, et esse pauciores: simulque Evangelicum illud effatum, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, tam alte illius animo insedit, ut modo in exilium ire velle affirmaverit: et sic relicta sinistra, lætissime transfertur ad dexteram. Judex vero censebat, iterata jam quæstione non satis Novitiorum animos explorasse. Tertium eos interrogat, ea prius adjecta conditione: quod modo responsum dederint, irrevocabile habendum, neque deinceps locum fore mutandæ sententiæ. Ab illa tamen conditione, qui Judici assidebant, cito fugerunt. Nam siqui deinde consilium insequendi Patres mutare voluerunt, non modo eorum votis annuebant, sed ut efficerent hortabantur, urgebant, impellebant. Denique in triplicato illo examine, in quo tanquam violentissimo turbine vel unum stetisse, magis mirandum est, quam plurimos corruisse, ex omnium numero Novitiorum quadraginta in domum velle redire suam dixerunt: reliqui triginta quatuor in exilium proficisci decreverunt. Illos apud se Judex retinuit, ut viaticum eis impertiretur: hos durioribus

 ver-

verbis a se dimisit. Permisit tamen, ut manticas cum libris, et exigua supellectili linea secum auferrent.

Jam sol ad occasum propinquabat, et Novitii, cum ex longa dimicatione se vapide haberent, et plerique a summo mane, nonnulli a proxima nocte nihil gustassent, animum ad focillandum stomachum intenderunt. Beneficentiæ memores, quam sibi paucis retro diebus Franciscani Patres exhibuerant, eo primum confugiunt: sed quoniam a domo Superior aberat, inde ad Dominicanos accedentes, ab eis uncialem argenteum recipiunt, qui præsenti levandæ necessitati, non parvo subsidio fuit. Deinde duos ipsorum mittunt, qui stipem per urbem cogant: duos item ad quærendum hospitium, in quo refici possent, et curare per noctem corpora. Hi duo, diversorium quoddam ingressi, benigne ab hospita recepti sunt, quæ cæteros etiam excepturam promisit. Sed vir ejus tum superveniens, et ira percitus, ad uxorem ait: Quid hoc egisti, demens? Hos apud te recipias, qui ab omnibus ejiciuntur? Hinc potius in malam crucem abeant; neque enim domus mea nebulonibus unquam erit perfugium. Abierunt illi taciti: nec multum progressi, mitiorem alium invenerunt hospitem, apud quem rem suam pacifice transegerunt. Inde revertuntur ad socios, qui ad S. Dominici consederant, ut paululum ex præterito conflictu respirarent. Sed hic etiam vulgus et singulos, et universos insolentibus modis exagitabat. Quo seminudi pergerent? rogabantur: omnium inopes rerum, et consilio maxime destituti? Multo illos egisse prudentius, qui ab eis digressi, ad Parentum complexus reverti constituerant. Se prius in carcerem, aut in præsidium compellendos, quam Jesuitas, quorum stulto amore desiperent, assequerentur. Eos denique, ut alia multa prætermittam, rebelles in Regem, et in ipsorum Genitores crudeles, et inhumanos appellabant. Neque ab iis insectationibus, vel intra diversorium recepti, sese potuerunt eripere, donec Rosarium B. V., aliaque pietatis officia, quæ per impeditissimum diem persolvere non potuerant, inchoarunt: tunc enim ab eis molesti illi consiliatores discesserunt. Interea plurimi civium adversam Novitiorum vicem intime dolebant: eosque novos veluti Telmos taciti demirabantur, qui sordidis vestibus plebis in se ludibria conci-

ta-

tabant, quæ ipsi pro nomine Jesu patienter sustinebant. Sed quoniam in ea temporum calamitate afflictis Societatis Jesu rebus aperte favere, plenum erat aleæ, nihil profecto mirandum est, si Novitios, aut domi suæ recipere, aut eos palam protegere non sustinuerunt. Multi tamen in cauponam, ad quam diverterant, cibaria non solum, et numos, sed vestes etiam aliquot submiserunt, quibus decentius operirentur. Cujus præclari beneficii gratia non apud Novitios modo, qui eo usi sunt, verum apud alios etiam, qui deinde facti sunt conscii, dum vita comes fuerit, semper extabit.

Postera die Novitii profectionem adornare cœperunt. Et quoniam jumentum reperire non poterant, cui sarcinulas suas imponerent, plerosque librorum divendere cogitabant; cum ut expeditiores essent ad conficiendum iter, tum ut inde conflata pecunia viæ sumptibus inserviret. Id cum intellexisset civis quidam, Sebastianus nomine (cujus cognomen in commentariis Novitiorum non reperi) misericordia ductus, se Judicem allocuturum promisit, ut plaustrum eis conducere permitteret, et syngraphum concederet, quem pridie Novitii a Judice postulaverant, nec obtinuerant. Dum igitur hac, illac cursitat, et nuspiam Judicem invenit, in Præfectum Lictorum incidit, quem rogat enixe, ut Novitiis facultatem faciat conducendi plaustrum, cujus egebant maxime, et sarcinis, et debilibus imponendis; tribus enim eorum ita male erat, ut pedibus ingredi difficile possent: simulque commeatum eis daret, quem Judex iis, qui domum suam revertebantur, sponte concesserat. Sed Accensus, quamvis multis rogatus, neutrum concessit: in duos potius Novitios, qui aderant, conversus, eorum coarguit stultitiam, qui tam obstinate Jesuitas sequi vellent, quos nusquam essent assecuturi, vel si Sanctanderum aliquando devenirent, quod ipse vehementissime dubitabat. Idem paulo ante venerat in diversorium, ubi Novitios acriter objurgavit, quod eorum aliqui per urbem sine facultate quæritarent, et quod omnes fratrum appellatione uterentur, a qua præcepit, ut abstinerent. Illud etiam edixit, ut urbem ante meridiem relinquant: si secus faxint, carcerem, et ergastula comminatur: in discessu vero nec simul, nec eadem via procederent. Quanquam video, inquit, vos in perniciem vestram mi-

se-

serabiliter properare: aut enim a Prætoribus urbium in custodiam velut errones conjiciemini; aut si tandem, quod minime spero, in portum evadatis, elapsa jam conscendendi occasione, inde pedem referre oportebit, et longissimi molestiis itineris, atque inedia conficiemini. His Novitiorum antiquior ita respondit: Necessitate compulsos, ad victum emendicandum quosdam ipsorum prodiisse, quod egentibus ubique locorum licitum esse crediderant: quod si Palentiæ, ut ajebat ipse, sine Vicarii Episcopi, et Judicis venia id fieri non posse agnovissent, eam utique petere non fuisse omissuros. Quod autem se fratres compellarent, non esse admodum reprehendendum: cum et ab Adamo omnes descenderent, et Christo, optimo omnium Parenti, fraternitatis vinculo essent conjuncti. Quam sibi abeundi horam indixerat, præventuros potius, quam excessuros. Cæterum itineris difficultates omitteret exaggerare: Deum, qui sibi mentem illam injecerat, suppetias quoque laturum ad eas superandas, se minime dubitare.

Omnia tamen ad debilitandos Novitiorum animos conspirare videbantur. Quoniam a civili potestate fidem publicam obtinere non poterant, duos mittunt, qui eam ab Episcopo petant. Is vero, ut pronum erat, ad Judicem hoc spectare, respondit. Sed vobis auctor sum, inquit, ut quam primum discedatis; alias quippe verendum est, ne in custodiam detrudamini. Inde digressi, in Centurionem incidunt, qui eis epistolam, quam Sanctandero habuisse affirmabat, legendam obtulit, in qua hæc erant: Patres Societatis, post longam in hoc Collegio inclusionem, vela tandem fecerunt in Italiam. His illi duo conterriti, properant in diversorium, et quæ sibi contigerant, ad socios deferunt. Hi vero parum propterea commoti, de duplici sinistro nuntio sic statuerunt: ob Episcopi consilium, profectionem quidem accelerandam; ob Centurionis vero literas minime relinquendam: neque enim mirum esse dixerunt, si miles stratagematis uteretur. Antequam discederent, ad salutandum eos venerunt aliqui ex illis, qui domum suam reverti constituerant: eosque stricte complexati, ut sui coram Deo memores essent deprecati sunt, atque inter effusissimas lacrymas eis tenerrime valedixerunt: quibus satis significarunt, a sequendis eorum vestigiis non tam ex animi sen-

ten-

tentia, quam incussis terroribus violenter recessisse. Post hæc Novitii ante meridiem illius diei, qui fuit Aprilis 22, pedites, et suis onusti manticis, e diversorio bini processerunt, certo quodam loco extra urbem conjungendi. Sed ex illorum numero, qui pridie constantiam suam coram Judice probaverant, quidam a propinquis, et notis per vim, ac fraudem ex itinere retracti: alii ex defatigatione contracto morbo retenti: nonnulli novis, quæ postmodum occurrerunt oppugnationibus, et quas modo persequi longum esset, a cæteris distracti. Viginti admodum (quibus deinde Corunniæ adjunctus fuit alius) omnibus superatis difficultatibus, Sanctanderum tandem victores ingressi sunt, et a Patribus cum ingenti gaudio recepti, cum iisdem in Italiam navigarunt: ibique dum stetit Societas, constanter omnes, ac lætissime in eadem permanserunt. Post aliquot annos eisdem Rex Catholicus, quam cæteris e Soc. Jesu pensionem assignaverat, benigne concessit: ut vel hinc appareat, quantum illi aberraverint, qui Novitiis ab exilii cogitatione avertendis, Regis offensionem tam asseveranter objecerunt.

Jam vero Emmanuel Cancela (cujus scribendæ vitæ occasione digressionem fecimus, quam multi nimis prolixam, ii vero, qui totam laborum seriem, quos Novitii perpessi sunt, noverint, justo breviorem existimabunt) in his omnibus certaminibus constantiam, ac fortitudinem exhibuit plane mirabilem. Antequam viæ se committeret, ita erat affecta valetudine, ut reliqui Novitii mirati sint valde, cum eum quoque profectionem meditari intellexerunt: nec defuit, qui eum de impotentia admoneret, cum præsertim ex oculis adeo laboraret, ut lucem ferre non posset, et fistula nondum penitus coaluisset. At ille: Fateor equidem, me iter ingredi sine ductore non posse: sed ea est fratrum meorum caritas, quam bene perspectam habeo, ut eos me deducturos manu non dubitem: sicubi torrens aliquis interciderit viam, ipsorum humeris me trajiciendum spero: et ubique meos gressus Angelus dinumerabit, ut eos offerat Christo, cujus ob amorem conficiendos decrevi. His, aliisque verbis, celsissimi indicibus animi, seipsum, et qui aderant, incitabat ad difficillimum iter impigre suscipiendum. Et sane videtur Deus tam promptum

ad

ad labores adolescentis animum non solum gratum habuisse, sed etiam continuo remunerasse. Etenim pridie quam abeundum esset, contra spem omnem Medici, et quotquot eum superioribus diebus inviserant, clare oculis perspicere repente cœpit. Atque hoc novum Domini beneficium, quod eo majus habitum est, quo magis præter omnium accidit opinionem, novos ei stimulos addidit, ut ab institutæ vitæ ratione nullis aut laboribus, aut terroribus dimoveretur. Propterea in gravibus itinerum molestiis, et difficillimis, quæ sæpius occurrerunt oppugnationibus, ad Jesum respiciens, quem sibi ab initio proposuerat imitandum, incommoda patienter tolerabat, et adversantium impetus sustinebat immotus. Sæpe etiam hæc secum reputabat, quæ vel in probatissimis legerat libris, vel in meditatione fuerat commentatus: Ne te labores frangant, quos pro Christo suscepisti: ipse vires suppetet ad sustinendum, et solatium, dum opus fuerit, immittet. Neque rursus homines pertimescas: hi enim corpus quidem divexare tuum poterunt, sed in animum fidentem Deo nihil unquam efficient.

Id eum tantummodo angebat, ne per longas itineris moras serius veniret in portum, quam ut posset cum Patribus se mari committere. Proindeque quantum angorem excitaverat timor, tanta fuit ab expleto desiderio lætitia. Pridie Kal. Majas Novitii ingressi sunt Sanctanderum, ubi Patres adhuc detinebantur inclusi, nec nisi octavo post die digressi sunt inde. Et quanquam in Collegium, quod unice optassent, recta contendere non potuerunt; Judex tamen, quem ab Aula crediderim nova propediem expectare mandata, libere illis concessit, ut sibi diversoria quærerent apud cives. Id cum per urbem esset divulgatum, primores civium eos in domos suas certatim deduxerunt, in quibus per dies octo habiti sunt humanissime. Is, qui Cancelam excepit, sic illius consuetudine captus est, ut ejus modestiam, verborum gravitatem, atque animi fortitudinem mirifice ipse suspiceret, et apud alios prædicaret. Enimvero, ajebat hospes, in tenero, ac lenissimo adolescente pietatis, et constantiæ exempla deprehendi, nihilo his inferiora, quæ de viris sanctitate conspicuis ab ipsorum Historicis recensentur. Salutem, atque adeo vitam ille suam parum

pen-

pensi habet, dum ne a suis in Christo fratribus dissocietur, qui sibi cariores sunt Matre sua. Sic optimus ille civis præcipuæ laudi tribuebat, quod jam alii temeritatem, alii stultitiam, alii etiam impietatem appellaverant. Tam varii scilicet sunt hominum sensus! tantumque profecto interest, quo ipse comparatus sis animo, ut alterius mores, et actus aut vituperes, aut extollas!

Quoniam Judex Novitiis nondum aperte significaverat, essentne sibi sumptus ad maritimum iter suppeditandi, hoc illi obstaculum amoliri, qua ratione poterant, decreverunt. Et quanquam aliqui cives, qui tam invictam in ea ætate constantiam, tam eximium religionis studium admirabantur, id Novitiis receperant; nisi Regis vetitum intercederet, se navem, et quæcunque sibi opus essent, apparaturos, ut cum Patribus transmitterent in Italiam; illi tamen stipem potius rogare constituerunt. Sed iis, quæ Palentiæ contigerant, edocti, prius ab Episcopo, et Judice facultatem petierunt, quam uterque libenter concessit. Et Illustrissimus quidem Episcopus iis, qui ad eum accesserant, benignissime exceptis: Ut summæ, dixit, temeritatis foret, in perpetui ærumnas exilii sese sponte sine Dei vocatione conjicere, ita maximæ laudi, ac felicitati tribuendum puto, ob exilii calamitates a sequenda Dei voce minime deterreri. Admonuit eos deinde, ut ad emendicandum Sacerdotes duos asciscerent, quorum adjuti commendationibus majorem pecuniæ summam colligerent: ipseque liberalissimus Præsul argenteos 150 illis donavit. Duobus igitur templi maximi Canonicis, qui munus hoc libenter susceperunt, comites dati sunt duo Novitii, quorum alter Emmanuel Cancella, ut pro solvendo naulo collectam facerent inter cives. Sed huic postulationi non diu fuit insistendum. Etenim Judex paulo post certiores eos fecit, Regem iis, qui in exilium ire vellent, navem, et victum concessurum; illis vero, qui redirent in patriam, viaticum pro locorum longinquitate donaturum: quare ipsimet edicerent, utrum mallent. Idem jam septimum rogabantur. Sed modo Novitii omnes unanimi sententia dixerunt: Hanc esse votorum summam, ut cum Patribus in exilium abeant: ea de causa plures quinquaginta leucas per innumeras difficultates, et gravissima incommoda hactenus confecisse: ita-

que Regi maximam habere gratiam, qui sibi quod reliquum erat itineris ea concessione facile redderet. Post hæc ad quosdam scripserunt, qui propterea ab ipsis discesserant, quod de assequendis Patribus desperarent, atque in discessu quasi per jocum dixerant: De vestra cum Patribus conscensione certiores nos, quæsumus, per literas reddite.

Judex, Novitiorum audita responsione, permisit eis, ut paulo ante Patribus adjungerentur, quam ad naves essent ituri. Nihil illis optatius, nihil iis poterat esse jucundius. Nonis itaque Maii post meridiem viginti Novitii Collegium subiere Sanctanderense, ubi mutuos inter amplexus, et iteratas gratulationes ab omnibus Sociis, qui ibidem detinebantur, excepti fuere lætissime. Id vero Novitiorum gaudium cumulatius explevit, quod ipsorum Magister vestimenta Societatis insignia, hac illac inter Provinciæ Socios diligentissime conquisita, statim eis dedit induenda. Erant quidem illa jam vetera, et commissuris interpolata non paucis: sed non ideo minus sibi pretiosa, quippe quibus et religiosi admonebantur status, et suæ victoriæ. Detritas illas tunicas exosculati sunt sæpe, palamque professi sunt, quotquot pro iis obtinendis labores, terroresque pertulerant, levissimos jam reputare præ liquidissimo gaudio, quo tum eorum corda exultabant. Emmanuel Cancela, quem per integrum mensem timor ille solicitaverat, ne non mature Socios assequeretur, resumpta jam veste, quam per vim ponere coactus erat, et adepta fratrum societate suorum, visus est revixisse.

Eodem die sub vesperum processerunt ad mare, conscensisque navibus, ante novæ lucis ortum solverunt in Italiam. Inter navigandum majus laborum pondus, quam alii multi, sustinere debuit Emmanuel ob ejus imbecillam adhuc valetudinem, quæ illum et maris, et temporum injuriis reddebat opportuniorem. Sed qui graviora jam æquo animo tulerat, hæc modo ferebat æquissimo. Nihil propterea de consuetis pietatis operibus prætermittebat, quæ omnia, siquis alius, peragebat diligentissime. Nec parum, ad tirocinii mores vel in medio mari tenendos, id contulit, quod Novitii omnes eandem navem conscenderunt. Nam etsi Judex initio binos per singulas naves decreverat dispertiendos, tandem eidem cunctos imposuit, ubi

sub

sub optimi disciplina Magistri religiosæ vitæ normam observarunt. Sed hæc ad tirocinii leges magis exigi cœpit, cum Calvium devenissent. Hic enim post primos fere sexaginta dies, qui turbulentissimi fuerunt ( in quibus etiam Emmanuel noster laborum particeps fuit, quos alibi memoratos, nihil iterare nunc attinet ) Probationis domus, quantum difficultates exilii patiebantur, optime fuit constituta. In ea sui fervorem spiritus sic instauravit Emmanuel, ut quanto corpore debilior erat, tanto esset animo novis virtutum accessionibus vegetiore.

Exactis jam biennii probationibus, antequam religiosa vota conciperet, rogavit eum Magister ( sic enim Roma fuerat imperatum ) deliberatumne sibi esset, vitam in Soc. Jesu degere vel in mediis, qui jam tum aderant, aut aliis, qui possent obvenire, laboribus? Cum enim rerum nostrarum status admodum commutatus fuisset, æquum visum est Superioribus, eam animi comparationem ab iis, qui denuo adlegerentur, exigere. Respondit ergo Cancela, nullis incommodis, nulla laborum mole, Deo adjuvante, a Soc. Jesu discessurum, qui pro ea obtinenda tot jam, ac tanta perpessus erat, ut graviora sibi evenire vix possent. Scio equidem, in eo dando responso, non fuisse Cancelam singularem: alii enim quinque, qui vota sua eodem die nuncuparunt, iisdem fere verbis responderunt. Sed cum eorum singuli, remotis arbitris, rogati fuerint, uniuscujusque responsum esse non sinit æque laudabile. Jam ab eo die, quo se Deo devovit ( is fuit 21 Novembris anni 1767 ) adeo præclare secum actum esse putabat, ut laborum memoriam abjecerit, quos adhuc ea de causa subierat, et quos eo beneficio satis superque repensos fuisse affirmabat. Id ille, dum vita mansit, tanto habuit in pretio, ut post sacrum Baptisma, nihil præstantius existimaret, in eoque spem maximam obtinendæ salutis reponebat. Cum autem ipse religiosæ vitæ statum jure ac merito plurimi faceret, majorem in modum admirabatur, atque intime dolebat, quoties aliquos resciret, exilii calamitate deterritos, a Societate defecisse. Illorum etiam recordatione angebatur, qui secum olim tirocinium ponebant, ac tandem molestiis, ac difficultatibus fracti, in domos suas discesserant: Deumque pro ipsorum felicitate, quæ sibi maxime cordi erat, frequenter deprecabatur.

Mi-

Mirifice contra exultavit, cum Aragoniæ Novitios, ventorum vi Calvium delatos, allocutus est, ab eisque didicit, quanta et ipsis superanda fuerunt obstacula, ne ab instituto vitæ cursu deflecterent.

Probationis relicta domo, in eam pertransiit, quæ juventuti præceptis Philosophicis imbuendæ fuerat destinata. Hic brevi magnos in literis progressus fecit, ingenii ejus supplente vi, quod studendi assiduitate non poterat. Illud enim ulcus, quod pridem in guttur eruperat, cœpit hic recrudescere, et humorem modo in oculos, modo in ipsum guttur tam acrem immittere, ut frequenter obstipa, et rigida cervice cogeretur incedere. Solicita Superiorum cura nihil prætermisit, ut quantum Calvii fieri poterat, Emmanuelis saluti diligentissime consuleretur. Et jam Chirurgi cujusdam industria, qui ei manus admoverat, non parum inceperat sublevari, cum repente Hispani omnes e Soc. Jesu, qui exulabant in Corsica, Gallorum advenientibus copiis, in Liguriam jussi sunt transfretare: unde, quæ paulo ante inchoata, recte procedebat Emmanuelis curatio, penitus fuit abrumpenda. Enimvero videtur Deus voluisse, ut Cancela doctrinam ex cathedra tantum crucis audiret, solamque patientiæ scholam frequentaret: dum ea, quæ pro illius curanda valetudine tentabantur, omnia novis supervenientibus difficultatibus necesse fuit intercidi.

Dum Calvio Bononiam venit, iter habuit, locorum quidem intervallo non admodum longum: sed primum æstuosi maris agitatione molesta, deinde diuturna in portu, et Lœmocomio Genuensi mora, postremo asperrimorum trajectu montium in paucis difficillimum. Propterea cum ad Lavinum inferius in agro Bononiensi pervenit, noxius illius ulceris humor multo quam antea magis efferbuit. Et primis quidem diebus oculos ingenti cum offensione occupavit: deinde vero acrius in collum descendens, in maximum tuber excervit, unde febris fuit excitata, quæ deinceps nunquam eum dimisit. Haud facile dici potest et quale tormentum per quadrimense spatium pertulerit, et hoc ipsum quam invicta constantia toleraverit. Tuber illud ferro semel, iterum, ac tertio fuit incidendum: et ejusdem medicatio semel quotidie cum acerbo doloris sensu fiebat. Sed illud longe acerbissimum, quod ultra tres men-

ses

ses eodem situ, eoque nimium incommodo, ita jacuit in lecto, ut aliorsum converti non posset: et quoties alterius ope dimoveretur, pungentissimis dolorum aculeis excruciabatur. Hinc toto passim sauciatus est corpore, totoque fere dolebat, sed maxime capite, quod tamen singulari Dei beneficio vel inter acerrimos dolorum morsus expeditam mentis aciem sibi semper reliquit: eamque ipse opportunis commentationibus exercebat, ut se ad egregios virtutum actus excitaret. In tam longa laborum serie cibi appetentiam non amisit: sed Medicorum, et Chirurgi consilio tam modico victu, et tam insipido reficiebatur, ut id non minimum fuerit incommodum, quod in diuturna ægrotatione sustinuit.

Hos corporis sui cruciatus invicto animi robore perferebat. Nam cruentas Chirurgiæ operationes, quasi in alieno corpore efficerentur, perinde toleravit. Reliquas gravissimi morbi molestias tranquillo, lætoque animo tulit. Eamque animi tranquillitatem ex quorumdam axiomatum meditatione trahebat, quæ firmissime illius inhæserant menti. Solitus erat dicere, nonnullas Thomæ Kempensis sententias, quas olim sine speciali animi sensu relegerat, easque præsertim, quibus adversorum utilitas commendatur, modo sibi tanta cum cœlesti luce obversari, ut omnem dolorum eriperent acerbitatem. Rectori suo, dum eum inviseret, dixit: Illa me cogitatio supra modum recreat, et in spem divinæ bonitatis erigit singularem, ad præsentes angustias propterea devenisse, quod in Hispania non manserim, recenti adhuc fistulæ medicinam facturus, ne Deo in Societatem, atque adeo in exilium vocanti surdas præberem aures. Dulce profecto mihi est tam sancta pro causa procul a patria mori: habemus enim Deum remuneratorem, qui sibi famulantium officia longissime superat in retribuendo.

Multa per dies singulos horarum spatia, nec pauca per noctes illas, in quibus nimium contuso corpore somnum oculis suis videre non poterat, suavissimis impendebat colloquiis cum Beatissima Virgine, ac S. Aloysio, quibus a puero singulari devotionis studio addictus erat. Sanctissimæ Deigenitrici præter plurimas preces, alia etiam difficiliora exhibebat obsequia, quantum per ægram valetudinem sibi liceret. Assiduam

S. Alo-

S. Aloysii memoriam retinebat, nullusque sermo sibi jucundior, quam si ageret de illius virtutibus, et excellentiis. In ejus etiam honorem toties quotidie Dominicam orationem, et salutationem Angelicam recitabat, quot annos Aloysius vixerat in Societate: in quo sane amorem suum et in benignissimum Patronum, et in suam pariter vocationem significabat. Diu, multumque desideravit aliquid ex ejusdem reliquis habere: quod cum obtinuisset, sæpissime sacrum pignus venerabatur, magnaque fiducia opem Angelici Juvenis pro recuperanda valetudine implorabat. Id vero sic efficiebat, ut de omnimoda propriæ voluntatis cum divina conformatione nihil detractum vellet: unde ferventibus suis precibus illud plerumque subjungebat: Fortasse meus Aloysius aliam longe præstantiorem gratiam impetrare mihi volet, ut me secum in cœlestem patriam deducat, ubi dolores nulli sunt, nulli labores. Aliquando cum Superiore colloquens: Quid, dixit Emmanuel, in S. Aloysii cultum effici per me poterit, ut ille mihi aut salutem obtineat, aut perfectissimam cum Dei voluntate consensionem? In id ille quidem propendebat, ut in gradum Adjutorum temporalium descendens, quod reliquum vitæ foret, in eodem Societati deserviret: idque adjuncta voti religione confirmare cupiebat: sed cum hoc Superior, et Confessarius minime probassent, suam in id animi propensionem obtulit Aloysio. Biduo ante quam animam ageret, coram Rectore suo in hæc verba sæpe prorupit: Sanctum Aloysium cum ingenti animi mei gaudio brevi me visurum spero: quoniam æternam obtinere salutem firmissime confido; primum ob merita vitæ, passionis, et mortis Jesu mei; deinde quia letalem hunc morbum idcirco contraxi, ne divinæ illius voci resisterem; ac denique, quoniam ut tam assiduos, et acerbos dolores patienter ferrem, ipse me misericorditer copiosa sua gratia prævenit.

Non propterea naturalem mortis horrorem aliquando non sensit. Sed verbis illis Domini morituri: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*: itemque illis: *Non mea, sed tua voluntas fiat*: atque aliis similibus iterandis, ac meditandis, timorem illum ita superavit, ut mortem jam sereno aspiceret vultu, imo etiam ad properandum invitaret, sæpius

cum

cum Apostolo clamans: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Et hoc pio desiderio in die Ascensionis Domini vehementius exarsit. Ad imitationem quippe aliquam S. Stanislai, qui vitam in Assumptionis Deiparæ, ut optaverat, clausit, suam etiam ipse in triumphali Christi Ascensione libentissime finisset. Et quanquam paucis dum superstes fuit diebus, tamen ab illo die ferventiorem quendam religionis spiritum Deus infudisse sibi videtur erga sanctissimum Triadis individuæ mysterium, quem ille frequentibus fidei, spei, caritatis, et adorationis actibus expromebat. Jam inde ab initio morbi felicem ad mortem obeundam sese cœperat comparare: at postquam Medicorum judicio salutis fuit spes omnis sublata, nulli locum dedit cogitationi, quæ Deum, divinave proxime non attingeret. Et cum liberum rationis usum ad extremum usque spiritum retinuisset, pretiosa postremi temporis momenta utilissime impendit.

Sæpe, sui Rectoris auctoritate interposita, à condiscipulis petiit, ut pro se divinam impense misericordiam implorarent: ut enim magno eos amore prosequebatur, sic etiam eorumdem precibus quam plurimum fidebat. Longa quotidie cum Confessario suo serebat colloquia, quibus ad omnem virtutem excitabatur, et interdum in hæc erumpebat: Lætissimus propterea morior, quod in Societate Jesu morior: et pœnis purgantis ignis, quas valde revereor, minuendis mihi fore confido meorum objectu dolorum, quos Domino simul cum illis offero, quos ipse pro me tulit in cruce. Sed ad bene moriendum nulla re fuit magis adjutus, quam frequenti Sacramentorum usu, quibus animum et a contractis maculis repurgabat, et ad patientiæ, cæterarumque virtutum actus ferventer exequendos roborabat. Vehementiores quarumdam noctium dolores ideo ægre ferebat, non quod ea nocte male suo corpori fuisset, sed quod animum mane cœlesti dape recreare non posset: quanquam et hoc ingratissimum sibi jejunium frequenti communione spirituali compensabat. Illud nec immerito multis visum fuit admirandum: tenerioris conscientiæ adolescentem, qui sæpius in prolixæ infirmitatis decursu piaculares flammas expavescere significaverat, tanta nihilominus animi pace, ac tranquillitate fuisse perfruitum, ut nullis scru-

pu-

pulis angeretur: quod ille beneficium Deiparæ Virgini, et S. Aloysio tribuebat acceptum.

Longo igitur, et molesto morbo patientissime tolerato, quo tanquam aurum excoctus fuit, et purgatus: solemnibus divinorum præsidiis instructus: animæ suæ commendatione attentissime, ac devotissime audita: cum prius veniam a Magistro suo, et Ministro domus rogasset humiliter, vitam suam, quam Deo jam tum devoverat, cum expulsus fuit ab Hispania, inter acerbos dolores, et fervidos virtutum actus amisit VII Idus Maii, anni MDCCLXIX. Vixit annos undeviginti, menses quinque, dies octodecim. Bonus cunctarum illius virtutum odor, fortitudinis maxime, quam in retinendo vitæ instituto; et patientiæ, quam in gravissimis acerbitatibus tolerandis luculenter exhibuit, ad plurimos magno cum ipsorum fructu pertransiit. Multi enim ad initam vitæ rationem quævis inter incommoda servandam, ex Emmanuelis exemplo majorem in modum sunt confirmati: alii ob gratam optimi adolescentis memoriam, nonnihil ex iis, quæ illi usui fuerant, habendum sibi petierunt. Sepultus est in templo S. Helenæ de Secerno, in quod ante mensem Emmanuel Lanza fuerat illatus: ut qui, dum viverent, pro Dei voce sequenda pari decertaverant studio, in eadem quoque sede quiescerent contumulati.

# JOSEPHUS JOACHIMUS ECHAURIUS.

Is patriam habuit Tafallam Navarræ urbem, in qua natus est anno 1736, die 28 Martii. Parentes ejus, religione non minus, quam opibus divites, filium christiane, ac liberaliter educarunt. Et quoniam virilem aliam prolem superstitem non habebant, Joachimum, quem ad tuendam, et augendam opulentæ domus conditionem destinabant, Pompelonem miserunt, ut artis mercatoriæ principiis apud magnarium quendam negotiatorem imbueretur. Inde domum regressus, Patrem suum in domesticis negotiis sic adjuvabat, ut simul mercaturam aliam faceret longe pretiosiorem. Octavo quoque die sanctissima percipiebat mysteria tanto pietatis fructu, ut in ultimæ adolescentiæ fervoribus vitam inter populares suos ageret morum honestate commendatissimam. Et ex illo frequenti rerum divinarum usu sic a mundanis abhorrere jam cœperat, ut iis tandem nuntium remittere, et Societati Jesu nomen dare decreverit. Id ille per literas tum maxime agebat, cum ejus Pater nuptias illi conciliabat, quæ familiæ decus, et fortunas augerent. Unde contigit, ut Pater et filius, cum inter se nondum communicassent, suum uterque consilium eodem fere tempore maturaret. Nam Pater eo rem jam deduxerat, ut futuræ sponsæ Genitor ad eum advenerit, ut cum ipso de sponsalium conditionibus pacisceretur. Sed Joachimus eodem die Patrem suum certiorem effecit, se prorsus alienum esse ab uxore ducenda, et petitionem Soc. Jesu in eum locum jam adduxisse, ut illam bona cum ipsius venia propediem obtinere speraret. Doluit intime Patri tam firma, nec opinata filii denuntiatio, quippe qua domestici splendoris augendi spem maximam frustratam videbat. Non ideo tamen excanduit in filium, neque viam illam inivit, qua multi per speciem explorandæ filiorum vocationis, eos ad liberiorem vitæ ratio-

nem, hoc est, ad manifestam adigunt ruinam. Sed cum esset vir antiquæ probitatis, id consilium in arena cepit, quo nihil est ad recte deliberandum accommodatius. Civem illum, qui ad stipulandas connubii pactiones venerat, in domum suam re infecta dimittit: et ipse Pompelonem recta digressus, Exercitiis S. Ignatii sedulo incumbit, sacrisque meditationibus, et precibus id exequi animum inducit, quod acceptius Deo fore cognoverit. Postremo commentationum die literas ad filium mittit, quibus eum monet, licere sibi perficere, quæ agere destinaverat: itaque, dum ipse domum veniat, paratus sit proficisci; se enim illius votis nullam velle moram injicere. Lætus eo nuntio Joachimus profectionem parat, et quo Pater equo domum revehitur, Pompelonem profectus, post non multos dies domesticis Adjutoribus Societatis annumeratus est 22 Martii anno 1760. Nec voluit, in tirocinium proficiscens, vel modico uti diverticulo, ut patriam reviseret.

Inter Novitios constitutus, multum ex judicii, qua pollebat, maturitate fuit adjutus, ut majores in virtute faceret progressiones. Pietatis operibus jam ante assuetus, magna nunc animi propensione ferebatur in eas spiritus exercitationes, quæ probandis, excolendisque tironibus institutæ erant, easque non minore cum fructu peragebat. Hinc enim pervigilem suorum sensuum custodiam, solicitam in exequendis mandatis diligentiam, modestiam in rebus omnibus, secum severam, cum aliis comem, ac suavem agendi rationem didicit observare. Atque ab eo vitæ tramite, quem cœpit initio terere, paucis quos in Societate degit annis, nunquam deflexit. Post tirocinium, in Collegio Villafranchensi ludi Magistrum egit, ubi teneris puerorum animis prima christianæ pietatis semina simul cum primis literis diligenter ingessit. Hic a Patre suo literas accepit, quibus rogabatur, ut, siquid numorum sibi opus esset, palam ediceret; libenter quippe, et copiose sibi subveniendum, ut valetudinem, quæ debilitari jam cœperat, melius tueretur. Sed Joachimus Patri respondit: sibi et bene, et male valenti ob providam Superiorum curam nihil deesse: quare gratissimum sibi facturum, si quam pecuniæ summam suis commodis destinabat, illam in pauperes erogaret. Hoc ille modo, dum religiosæ consulit paupertati, non

mo-

medicum etiam suæ caritatis specimen dedit.

Cum esset in expediendis negotiis, rationibusque supputandis satis exercitatus, Vallisoletum deinde missus fuit, ut Provinciæ Procuratorem adjuvaret. Cujus muneris dum partes omnes, sui semper similis, solicite adimplet, domesticis pariter, et externis abunde in omnibus satisfecit. Quotidianis religiosæ vitæ functionibus promptissime aderat, et invaletudinis incommoda studiose dissimulabat, ne communibus legibus circa victum, et somnum, cæteraque disciplinæ onera solveretur. Assiduus erat in sui muneris occupatione, a qua non nisi obedientiæ, vel caritatis, aut pietatis impulsu discessisset. Etenim a circuitionibus, et colloquiis superfluis prorsus alienus, in aliorum habitacula pedem non inferebat, nisi ut ægrotantes inviseret, vel ea, quæ officii sui erant, pertractaret. Solus intra cubiculum manere gaudebat, atque item cum Deo ante illius aras frequenter agere. Unde vox illa inter domesticos jam invaluerat, Joachimum si minus in cubiculo reperiretur, in templo certe inveniendum, ubi longa orationi dabat spatia. Quanquam et a templo discedens, non omnino ab oratione cessabat: secum enim habitans, frequentem ad Deum, Deique Genitricem recursum habebat, ut sibi bene omnia succederent. Quoties horologium insonuisset, quantumvis rebus aliis esset implicitus, Angelicam salutationem adeo reverenter pronuntiabat, ut quendam e seculo adolescentem, qui eum observavit, in admirationem traxerit haud exiguam: simulque piam illam deprecationem adjungebat apud Hispanos usitatissimam: *Lauda Deum jugiter, Maria: Nec me sinas, Deum optimum offendere*. His, aliisque jaculandis in cœlum aspirationibus, conceptum ex meditatione fervorem alebat interdiu, ne variis, quibus distinebatur, occupationibus extingueretur. Ea quoque de causa magnam et in loquendo, et in aspiciendo circumspectionem observabat, omnesque ejus actiones humilem, et pietatis studiosum hominem exhibebant, talisque audiebat ab illis, quibuscum egisset aliquandiu. Apud Causidicos, et alios Vallisoletanæ Curiæ Ministros, quos frequenter ex officio conveniebat, magno erat in honore: et eorum quidam sæpius auditus est dicere, se Fratrem Joachimum, suam venientem in domum, non posse, quin venerabundus

exciperet ob singularem ejus modestiam, et circumspectum agendi modum; simulque illum jucundissime auscultare loquentem, quoniam perspicue omnia exponeret, quæ ad se referenda detulisset. Alius quidam ex ordine Senatorio solitus erat dicere, quoties Joachimum videret, eumque alloqueretur, toties sibi Novitii Villagarsiensis speciem exhiberi.

Hanc vitæ rationem insecutus, Vallisoleti mansit, donec missus est in exilium. In eo, præter solicitum agendi cum Deo studium, insignem quoque patientiam, et caritatem exhibuit: hanc quidem fratribus suis, quibuscunque rebus posset, diligentissime deserviendis: illam vero magnis exilii calamitatibus æquissimo animo tolerandis. Neque illa tantum, quæ sibi cum cæteris fuere communia, sed alia etiam graviora perferenda fuerunt incommoda. Dum iter per Æmiliam agit, et a Castrofranco in proximum S. Joannis oppidum proficiscitur, Rhedarius dum scuticam ad incitandum equum inflectit, Joachimi faciem per incuriam ita sauciavit, ut post gravissimos ex inflicta plaga dolores, alterius oculi lumen amiserit. Sed acerbum hunc casum, et graves prolixæ medicationis molestias mirabili pace, summaque animi tranquillitate sustinuit. Parem etiam mansuetudinem exhibuit in quibusdam aliis conflictibus sane arduis, qui sibi acciderunt, in quibus non aliud commoti animi dabat indicium, nisi pacate in hæc verba erumpebat: Ego certe his rebus ansam non præbui: Deus utique ita disposuit, et pro ipso patienter, quidquid evenerit, feram. Hanc in adversis constantiam ex frequenti cum Deo consuetudine hauriebat. Cum enim expletis domi exercitiis animi sui fames non expleretur, quotidie mane, ac vesperi cum Superioris venia prodibat in templum, ubi multas ducebat horas coram venerabili Sacramento. Sic ille ad extremum se comparabat agonem, quem fere post annum ab illius in oppidum S. Joannis adventu subire debuit.

Cœperat jam in Hispania ex læsione pectoris laborare. Nunc vero molestiis itinerum, et exilii incommodis ita periculosus ille morbus invaluit, ut frequentius, et copiosius quam antea sanguinem vomeret: indeque febricula exarsit, quæ post bimestre spatium eum lente consumpsit. Novit ipse continuo, dies suos in longum duci non posse: itaque, cum longioris vi-

vitæ non spem modo, sed desiderium etiam abjecisset, totus in eam cogitationem incubuit, ut ad bene moriendum sese disponeret. Quam didicerat in religiosæ vitæ decursu terrenarum rerum fallaciam, et cœlestium inenarrabile pretium, aliaque christianæ sapientiæ recolens documenta, suum ad expetenda futura bona, præsentiaque despicienda spiritum inflammabat. Frequenter in manus assumpta cruce, unde Christus pendebat, longa cum eo, suavissmaque habebat colloquia, immensam illius clementiam implorans, et vitalia vulnera tenerrime deosculatus. Et quanto febrilis æstus vires sui corporis magis absumebat in dies, tanto ille ardentius dissolvi cupiebat, et esse cum Christo. Denique appropinquantem mortem tam sereno vultu, atque immoto animo aspexit, ut Medicus qui ei aderat, constantiam hominis collaudaverit, cui mors in medio vitæ cursu (quartum et trigesimum agebat annum) non amara, sed amata esset. Obiit in oppido S. Joannis prope Bononiam anno 1769, in natalitiis SS. Apostolorum Simonis, et Judæ, quos ille præcipua religione venerabatur, propterea quod eo primum die petitionem Societatis iniisset: quam deinde assecutus in magnis Dei beneficiis connumerabat, eamque semper maximo habuit in pretio. Morti jam proximus: Si nossent ii, dixit, qui Religionem deserunt, quam sit jucundum cum veste Societatis occumbere, illam proculdubio pluris haberent. Quæ quidem morientis verba et audientes in promissorum fide servanda confirmarunt, et legentibus solidam Joachimi virtutem ostendunt; cum perpetuo constet experimento, iis tantum religiosæ vitæ jugum suavissimum esse, qui eidem prompto, ac libenti animo colla submittunt.

AU-

# AUGUSTINUS CARDAVERAZIUS.

Etsi vitam, ut est apud S. Augustinum, *puer a ploratu incipit*, *Propheta calamitatis;* infantulus tamen Cardaverazius, qui primam lucem aspexit Hernanii Vardulorum oppido, 28 Decemb. 1703, cum postridie lustralibus aquis elueretur, nullum sub anni statione frigidissima ploratum emisit: sive id illius tribuendum sit indoli, quam mitissimam fuisse videbimus; sive quod puer non ad ærumnas, sed ad multam sui, suæque gentis felicitatem oriebatur; seu denique Deus illi lacrymas reservaverit, ut olim copiosius aliorum peccata defleret. Quidquid illud fuerit, qui tum aderant, rem merito sunt admirati: et qui puerum e fonte levavit, quasi futurorum præscius, exclamavit: Is, qui modo mortuus videtur, aliquando prodigiis inclarescet. Quæ verba Pater infantis tam alte in animo suo reposuit, ut post longum annorum tractum ea jucundissime commemoraret, cum aliquem mirabiles prædicationis filii sui fructus commendantem audiret.

Paulo post Augustini ortum nobiles Parentes ejus, Hernaniensi relicto domicilio, sedem in proxima S. Sebastiani urbe constituerunt. Hic illius Mater, lectissima femina, puerum a teneris annis sedulo ad pietatem effinxit. Et cum ille maternis consiliis facilem, ac sequacem animum exhiberet, cœpit jam inde a pueritia non flores modo pulcherrimos, sed uberes etiam fructus proferre virtutum. Puerilibus spretis nugis, honestis occupationibus, et christianæ professionis operibus, tanquam vir esset, delectabatur. Cum elementario dimittebatur è ludo, gratissimum sibi erat templum subire, et preces ante B. Virginis iconem suppliciter fundere: quem morem tum etiam retinuit, cum deinde latinis literis in Collegio Societatis diligentem operam dedit. Nec temere cum æqualibus vagantem illum offendisses: sed a schola in templum, a templo in domum recta dis-

discedebat, ubi nova in Matre, ac sororibus inveniebat ad virtutem incitamenta. Quanquam decerni vix queat, illæne magis Augustinum ad consectandam pietatem juverint, quam fuerint ab ipso vicissim adjutæ. Una certe sororum multis post annis, cum præclara sui fratris exempla recoleret, eum jam usque a puero sanctum fuisse affirmabat. Nec domesticis modo, sed extraneis etiam carissimus erat, cum ob tranquillum ejus ingenium, ad optima quæque propensum, tum ob modestiam vultus virgineum quiddam spirantis, quod intuentes illiceret, simulque componeret ad pudorem.

In extrema pueritia, divini Spiritus magisterium expertus, ad exercitium orandi mente processit. Quare literaria pensa cum absolvisset, nihil sibi jucundius erat, quam in sui recessu cubiculi piorum lectioni librorum, et æternarum rerum meditationi vacare. Sæpe mortem, et judicium, præmia item, ac supplicia sempiterna, quæ homines pro singulorum meritis manent, in ea jam ætatula meditabatur. Sed nullum frequentius pertractabat argumentum, quam Christi patientis mysteria, in quibus (ut ipse ait in commentariis, quæ deinde de rebus suis scribere jussus fuit) summum solatium reperiebat. Atque initio quidem nonnullas, inter orandum, mentis patiebatur evagationes: sed eas ut cohiberet, tam strenuum adinstar S. Aloysii conatum adhibuit, ut paulatim imaginationem frænaverit, eamque spiritui famulari coegerit. Ex hoc autem frequenti, et attento meditandi usu acriores in dies stimulos eruebat, ut virtutum semitas celeriter, ac sine offensione percurreret: tantusque in illius meditatione cœlestis ignis exarsit, ut in perpetuum Dei servitium sese jam tum dare decreverit. Tertium decimum ætatis annum ingressus, et virginitatis pulchritudine captus, cujus suavissimum in anima sua sentiebat odorem; cum prius a Patre luminum magnis precibus lucem, et opem implorasset; votum castitatis emisit coram imagine Mariæ Virginis, quam etiam enixe rogavit, ut sibi suppetias ferret, ad fidem inviolate servandam, et filio ejus perfecte deserviendum. Non potuit Reginæ scilicet Virginum gratissimum non accidere tenelli clientis sacrificium, quod ipsa non diu post singulari quodam beneficio compensavit. Oranti quippe Augustino clementissima Dei Mater apparuit, eumque

que cœlestibus perfusum deliciis admonuit, ut Religionem Societatis ingrederetur: in ea et quietem animi reperturum, et desiderium austerioris ac perfectioris vitæ, quo tenebatur, expleturum esse confirmans.

Cœlesti hac visitatione, quam ille tum nemini aperuit, mirifice recreatus, novos ad virtutem cepit spiritus, voluissetque quam primum supernis monitis obtemperare: unde statim Matri suæ non visionem quidem, sed desiderium ineundæ Societatis exposuit. At cum id sibi per ætatem nondum liceret, statuit domi suæ vitam religiosæ simillimam ducere. Et quoniam ex librorum lectione didicerat, delicatissimum virginitatis florem inter spinas illæsum servari, et vivifico rore adolescere, qui ex oratione, atque usu Sacramentorum emanat; his ille adjumentis, quantum penes se foret, uti constituit. Corpus suum ferrea catena constrinxit tanto animi fervore, ut illam per integrum semestre non deposuerit; diutius etiam illud tormenti genus adhibiturus, nisi per domesticos, quibus tandem innotuit, ab eo abstinere coactus, alias macerandi sui artes excogitasset. In abditiorem aliquem secedens angulum domus, ibi flagris sese cædebat asperrimis, proposita sibi imagine Christi, pro nobis ad columnam immaniter flagellati. Feriis sextis, et Sabbatis omnibus jejunia tanta cum dissimulatione peragebat, ut simul accumbentes jejunium falleret Augustini, præterquam Matrem, quæ filium, ut ipse ait, ad id optimis consiliis, crediderim etiam exemplis, adjuvabat. Initio semel, deinde bis in mense ad Eucharisticam mensam accedebat: postmodum vero Confessarius, perspecta pueri innocentia, quanto item cum fructu cœlesti pane reficeretur; eum hortatus est, ut, spretis aliorum rumusculis, neque propria exiguitate deterritus, qua se tanto dono reputabat indignum; octavo quoque die, bis etiam, aut ter aliquando divinam dapem sumeret per hebdomadam. Res enimvero erat, quæ facile multorum cieret admirationem, tantillum puerum toties ad sacrum illud convivium accedentem videre. Sed illius ordinatissima vitæ ratio, et plena illa modestiæ, ac religionis perseverantia, qua et ante, et post acceptum Christi corpus diu ante aras perstabat immotus, utilissimam sibi esse communionis frequentiam, et Confessarii prudentissimum fuisse consilium comprobabat.

Nec

Nec vero si multum rebus tribuebat divinis, quidquam idcirco de literarum studio detrahebat. Eam potius in hac sui muneris parte, quam ipse præcipuam reputabat, et diligentiam adhibuit, et operæ assiduitatem, ut latinæ linguæ notitiam domi bene mature consecutus, Pompelonem ad audiendam Philosophiam, inde Vallisoletum sit missus, ut Jurisprudentiæ operam daret. Utrobique Augustinus, oculis in voluntatis divinæ sidus intentis, cursum Academicum ita confecit, ut studio virtutum, et scientiarum unice deditus, ab iis longissime abfuerit scopulis, in quos juventus procul a paterna domo non raro solet impingere. Vallisoleti Confessarium nactus est spiritualium rerum experientissimum, Franciscum Alvaradum, qui præclaram Collegii majoris S. Bartholomæi trabeam, qua Salmanticæ fuerat insignitus, deposuit, ut Christi crucem assumeret in Societate. Is ad Augustini progressum in virtutibus non modico fuit adjumento, cum dissolvendis ejus dubiis, tum medendis animi angoribus et scrupulis, quibus premebatur interdum, ac denique facem illi præferens, ne uspiam offenderet in ejus orandi modo, qui jam tum erat sublimis. Huic totius vitæ maculas tanto animi dolore, tam effuso lacrymarum imbre confessus est, tanquam mortalium esset deterrimus: eoque die (is fuit 8 Decemb. immaculatæ V. Conceptioni dicatus) quod pridem emiserat, castitatis votum instauravit, et consilium adeundæ Societatis urgere constituit. Ad eam, superatis difficultatibus, tandem accessit in Vallisoletano S. Ignatii Collegio anno 1721, die 20 Augusti melifluo Doctori sacro, quem ideo ille deinceps reveritus est observantia singulari.

Jam is, qui secularis vitæ cursum tanquam illimis egerat rivus, nunquam ab innocentiæ ac sanctitatis fonte digressus, haud facile dictu est, ad amœnum tirocinii campum admissus, quam puro exultaverit gaudio; dum ibi eum ad pietatem omnia invitabant, atque omnes ibi reficiendi spiritus, et affligendi corporis reperit opportunitates. Peractis primæ probationis exercitationibus, anteactæ vitæ rationem reddidit Joanni de Lojola, qui Socius erat Magistri novitiorum, et rerum asceticarum peritissimus. Novit is illico, Deum in Augustini corde jam ea posuisse virtutum fundamenta, quæ nobile ferre pote-

rant perfectionis ædificium. Itaque ad excitandam fabricam eo diligentiorem adhibuit operam, quo vidit ardentius in tirone desiderium ad sanctioris vitæ fastigium enitendi. Et quidem sub hujus disciplina Magistri tantum tirocinii tempore progressus est Augustinus, tamque utile sibi præstantis illius viri expertus est magisterium, ut eodem constanter uti voluerit: quod ex perpetuo, ad Lojolæ usque obitum, literarum commercio comprobatum est. In tirocinio nihil sibi potius agendum esse censuit, quam ut omnes et corporis, et animi sui motus ad Societatis Jesu leges exigeret. Et quanquam in earum non paucis sublimem sanctitatis apicem suspiciebat, non ideo despondebat animum, sed omnes, juvante Deo, servandas sibi fore sperabat. In eas tamen, quæ ad obedientiam attinent, præcipuum quendam conatum adhibuit: tum quia illam S. Ignatius præ cæteris commendavit; tum etiam quod sibi compendii loco fore credebat; cum is denique Dei dictis sit audiens, qui hominibus Dei vicem gerentibus obsecundat. Nihil habebat carius, quam ut multum oraret, multumque de se ipso supplicium sumeret. Nec sane modicum erat, quod sibi circa jejunia, cilicia, flagellationes, aliasque id genus austeritates a Moderatoribus permittebatur. Verum in iis ille æque, atque in aliis, ne punctum quidem ab obedientiæ lineis discedebat. Ejus in hac parte sententia, quam scriptam reliquit, eadem erat cum S. Aloysii: ut semper, quantum se penes esset, ad rigorem propenderet, ac desideria castigandi corporis, has, illasve adhibendi macerationes Superiori non segniter exhiberet: quibus ex animo factis, ad Superioris placitum staret omnino. Hac tutissima via, et frequenti ad Magistrum recursu, cui omnes sui cordis recessus aperiebat, brevi ad eam animi pacem, ac tranquillitatem evasit, quæ præmium ferventis novitii proprium esse consuevit.

Sed decimum tirocinii mensem cum attigisset, gravis exorta est tempestas, quæ illum, nisi solida fundasset virtus, de loco dimovisset. Inter nobiles Augustini propinquos non defuit, qui ejus de ineunda Societate consilium ægerrime tulerat: eumque vel malis (ut calumniari vulgus solet) Jesuitarum artibus circumventum, vel puerili abreptum levitate prætexens, ab Legato Pontificio rescriptum obtinuit, ut nova subiret suæ vo-

vocationis experimenta. Igitur Vallisoletum abducitur, et in magno S. Francisci Cœnobio deponitur, ut ibi eum designatus Judex Ecclesiasticus libere periclitaretur. Fuit hoc Augustino peracerbum, nec leves, ut scribit ipse, perferendæ sibi fuerunt molestiæ. At simul magno illi solatio fuerunt religiosissimi Franciscani Patres, quorum amorem, et prudentiam expertus est singularem, unde illum in vitæ omne tempus obstrictum habuerunt. Dum tenuit examen illud, quod per dies aliquot fuit iteratum, frequentem ad orationem recursum habuit, unde novum hauriebat lumen, quo vocationis suæ pretium agnosceret, eamque amaret impensius. Dolebat ille, ac mirabatur quam maxime, quemquam inter homines esse, qui vellet eum a Religione distrahere, quam ipse summam in terris felicitatem reputabat. Itaque nihil sibi fuit in utramque partem deliberandum. Quoties Judex ad tentandum illum accessit, eadem fuit Augustini constantia, idemque semper iisdem fere verbis respondit: Se ad ingrediendam Societatem a nemine mortalium fuisse incitatum: consilii sui auctorem solum Deum habuisse, cui perfectius deserviendi gratia, et suæ consulendi saluti, in eam sententiam abierat: decem jam posuisse menses in tirocinio, in quibus dulcissimos religiosæ vitæ fructus ita perceperat, ut nunquam pedem referret: neque Societatis vestem pro cunctis mundi divitiis commutaturum. Hæc tandem, ait, mea est sententia, et firma voluntas; quoniam hæc etiam voluntas est Dei, qui me dignatus est in Societatem vocare: in quem propterea enormiter sim ingratus, si modo terga convertam. Qua die primum subierat periculum, novit continuo Judex, infragilem esse novitii constantiam: et tamen rem ita ducebat, ut multi abirent dies, neque suam ille sententiam pronuntiaret. Accessit interea lux festa S. Aloysii, quem Augustinus jam antea in peculiarem sui Patronum adlegerat. Illum ergo rogavit enixe, ut se modo protegeret, sibique celerem suæ causæ definitionem obtineret, ut posset ocyus in dulcem tirocinii nidum revolare. Hac spe ductus, Cœnobii Præsidem adiit, ab eoque petiit, ut in honorem Angelici Juvenis se illo die sineret Angelorum pane cibari. Et is, qui jam optimis novitii moribus captus fuerat, tenerrime commotus, illius petitioni libentissime annuit.

Nil

Nil opus facto fuit ultra. Eodem die Judex pro novitio sententiam tulit, ejusque vocationem legitimam, et a Deo ortam esse declaravit. Quare illo ipso die in Collegium S. Ignatii deducitur, cum prius Cœnobiarchæ, cæterisque S. Francisci Patribus pro humanissima hospitalitate maximas gratias egisset. Postridie missus est Villamgarsiam, ubi a tironibus eo lætioribus exceptus fuit epiniciis, quo recentior alterius novitii memoria erat, qui ante mensem ob eandem causam in libertatem assertus, vestem exuerat Societatis.

Hoc superato certamine, nihil adhuc egisse reputans, generosiorem ad studium virtutis animum induit. Sacras exercitationes, simul ac in tirocinium rediit, cum cæteris novitiis exorsus, clarissima in eis hausit de cœlo lumina, quibus ad altissimam ductus est immensæ Dei bonitatis, et pulchritudinis cognitionem. Hinc vehementiori quodam exarsit desiderio sese cum Deo, quam intime posset, conjungendi; suasque omnes vel minimas actiones in eum dirigendi finem, ut summæ Majestati placeret; corpusque suum, quantum per Superiores liceret, asperrime castigandi. Hæc, aliaque bene multa, quæ libenter exscriberem, nisi propositæ obessent brevitati, ex Augustini constant commentariis, quos ipse Superiorum jussu confecit, et in ejusdem fusiore Vita legi possunt, quam statim ab illius obitu scripsit Julianus Fonseca, vir et stilo, et moribus æque limatus.

Jam vero Augustini desideria non inania fuisse, neque temporaria, inde liquido apparet, quod intimam cum Deo consuetudinem, ad quam in tirocinio per meditationis, et virtutum studium devenit, in reliqua vita adeo ipse non dissuit, ut altius per eadem adminicula sese in eam immerserit. Et in tirocinio sane, non solum dum preces, et pias commentationes exequeretur, sed etiam in communi vitæ actione inhærentem Deo animum gerebat: quod ex illius et modesto vultu, et agendi gravitate, et inviolato silentio, e sermonibus denique, dum ii habendi erant, ad pietatem omnino facientibus conjiciebatur. In id etiam præcipuo incubuit studio, quod S. Franciscus Borgia novitiis Societatis maxime commendatum esse voluit: ut in tirocinio, tanquam Bethleem, seu domo panis, buccellatum sibi, cæteraque navigationi subsidia compara-

ra-

rarent; ne, si fruges, instar formicæ, in æstate non reposuissent ad hiemem, hac ingruente, misera egestate laborarent. Propterea in iis acquirendis virtutibus sedulo adlaborabat, quæ et se modo perficerent, et aliis deinde perficiendis adjuvarent. Nam edomare cupiditates, amorem, ac judicium proprium infringere, sui cordis affectus ab terrenis abstractos in cœlestia convertere, eosque ad majus Dei placitum componere, illius fuit tirocinii labor, et summa. Inde gaudebat ex animo, beneficiique loco reputabat, dum Superior, vel quilibet alius, asperioribus eum verbis exciperet, aut quovis alio modo deprimeret; dum difficilia, et aversa genio imperarentur; dum abjectioribus destinaretur officiis: sic enim in animum induxerat, se omnium infimum esse, proindeque vilissima omnium ex iis, quæ domi sunt, ut in regulis Societatis habetur, sibi esse tribuenda.

De se, suisque rebus omnibus demisse adeo sentiebat, ut nullum præfidentis animi signum ederet, nulla humanæ gloriæ, quæ vere vana est, appetitione teneretur. Experiebatur in cœlestium rerum meditatione, atque extra illam, frequentes illustrationes, et illapsus divini Spiritus plane mirabiles, de quibus in altera fusioris Vitæ parte disseritur. Sed has ille divinæ bonitatis insinuationes in occasionem se maxime coram Deo, et hominibus deprimendi convertebat: Deumque deprecabatur, ut beneficia illa, quæ apud ipsum male collocata credebat, in alios bene multos conferret, qui sibi ferventius deservirent. Jam inde ab initio tirocinii donum habuit lacrymarum, quas inter orandum fundebat magna copia, majoreque dum sumeret Eucharistiam. Sed veritus, ne propterea aliquo in pretio haberetur a novitiis, quibus id facile poterat innotescere, Deum rogavit, ut a se donum illud auferret. Atque ita fuit exauditus, ut deinceps suis ipse lacrymis imperaret, illasque ad arbitrium aut emitteret, aut cohiberet; sine ulla tamen suavitatis jactura, quam illæ compunctis corde solent afferre. Id enimvero fuit in Augustini vita singulare, quod etiam in posterum dictum esto: summo illum curasse studio, atque etiam obtinuisse, ut heroicæ sui animi virtutes, et eximia, quibus eum Deus cumulavit, beneficia homines laterent, dum vixit.

Om-

Omnes quidem illum perfectum, et sanctum virum reputabant; neque enim aliud illius mores, et totius vitæ actiones intuentium oculis objiciebant: idque unanimi sententia confirmant quotquot eum in tirocinio, ac deinde alibi cognoverunt. Sed latentem animi pulchritudinem, beatam illam, ac divitem suarum virtutum copiam, eminentem orationis gradum, et familiarissimam, peneque non interruptam cum Deo consuetudinem; quanquam multi ex illius habitu, et gestu conjectabant, nemo tamen penitus noverat, præter admodum paucos, quibus ille vitæ suæ rationem reddere tenebatur. In his fuerunt viri doctissimi, et in scientia mystica versatissimi, Joannes Villafannius, et Emmanuel de Prado; quorum ille Magister fuit Salmantinus, hic Doctor Compostellanus, uterque vero tirocinium rexit Villagarsiense, et Castellæ Provinciam administravit. Franciscus item Eguiluzius, quem Augustinus Rectorem habuit, dum Palentiæ cum Philosophis ageret: cujus viri unius judicium, utpote in iis rebus palati delicatissimi, decretorium esse possit. Præter hos, Augustini Superiores, habuit is aliquem animi sui ducem, ac Magistrum, ad quem frequenter per literas recurrebat, ne in arrepto itinere vel deficeret, vel erraret. Talis fuit, quem supra memoravimus, Joannes de Lojola: tales etiam alii duo doctrina, virtutibus, et Evangelicis expeditionibus clarissimi, Gabriel Casas, et Petrus Calatayudius, qui relicto sanctitatis nomine obierunt, ille Vallisoleti jam pridem, is ante annos non ita multos in Italiæ urbe Bononia. Hi ergo Augustini spiritum cum diligenter explorassent, omnes probaverunt, neque aliquid in ejus orandi, vel sentiendi modo reprehendendum esse censuerunt: sed potius, cum omnem suæ vitæ rationem singularibus a Deo collatis in eum beneficiis optime respondere viderent, illum plurimi faciebant, et fidelissimis Dei servis annumerabant. Nec defuit, qui eum simillimum S. Aloysii Gonzagæ exemplum appellaret: quem certe visus est retulisse in assiduo divinæ præsentiæ, et orationis studio; in heroico suæ continendæ imaginationis conatu; in virginali mentis, et corporis puritate, et castitatis voto jam usque a pueritia suscepto; in vocatione ad Societatem per expressam B. Virginis vocem; in lacrymarum dono, et austerioris vitæ ratione; ac denique in amore ferven-

venti erga sanctissimam Eucharistiam, atque in ea erga sacratissimum Cor Jesu: ex quo inexhausto bonorum fonte dulcissimos hauriebat latices, quibus ipsius animus suavissime perfundebatur, et quos ille deinceps in maximum aliorum commodum derivavit. Et in hunc divini Sacramenti cultum jam inde a puero tanto fidei, ac religionis alliciebatur impulsu, ut ab illius præsentia vix avelli posse affirmaret, cum publicæ venerationi super aras exponeretur.

Hoc decorus ornatu virtutum, tanquam immolanda Deo victima, ad altare religiosa vota nuncupaturus accessit die 21 Augusti 1723, præmissis solitis animi exercitiis, asperrimis cruciatibus corporis, et ardentissimo desiderio sese Deo in hostiam prodiguam consecrandi, ut in Soc. Jesu velut in amantissimæ sinu Matris viveret, ac moreretur. „Qua die biennii „me votis obstrinxi, ait in Schedis suis, cor meum obtuli „Domino cum omnimoda propriæ voluntatis in suavissimas „ejus manus abdicatione, nullique intra illud locum dare crea„turæ promittens, neque aliquid extra Deum desiderare: cum „firmissima animi deliberatione moriendi potius, et crepan„di, quam ullam vel levissimam culpam, aut imperfectionem „scienter admitterem: cum desiderio item peragendi, et offe„rendi Domino holocaustum, quo nullum purius, eique ac„ceptius ab humano corde fieri posset. Et meam hanc ob„lationem Deus benigne suscepit, atque inter magna effusi „amoris indicia significavit, multa mihi propter eum toleran„da esse per infirmitates varias, et alia crucis genera, quæ „hactenus mihi dignatus est impertire.„

Postquam tirocinium posuit, et humaniores literas in Seminario Villagarsiensi recoluit, Palentiam studendi Philosophiæ causa missus, optimos religiosæ vitæ mores sub diverso cœlo non immutavit. Designata literariis studiis tempora tanquam a Deo sibi præscripta intuebatur, illaque propterea diligenter impendebat, neque in iis alium sibi præfigebat scopum, quam divinam gloriam, et animarum fructum, quo juxta ipsorum regulas Scholastici Societatis unice respicere tenebantur. Hinc autem fiebat, ut strenuus illius ad humanam comparandam scientiam conatus cœlestis sapientiæ studium non imminueret, sed augeret potius, et inflammaret. Et vero Augustini spiri-

tus

tus in hoc studiorum tempore mirabiles ad perfectionem ascensiones effecit. Hic enim a Deo in altiorem orandi modum, nempe in contemplationem evocatus, usque ad floridum Sponsi cœlestis lectulum, hoc est, ad suavissimum Cor Jesu penetravit, qui strictis amoris vinculis eum sibi conjunxit. Hic immensam Jesu Christi dignitatem, et amabilissimam indolem contemplatus, in illius amorem rapiebatur ardentius, inexplebilíque salutis animarum flagrabat desiderio: et ignita verborum tela, quæ deinde in conciones frequentissimas conjecit, quibus etiam multorum corda saluberrime transfixit, ad fornacem istam accendit. Hic denique sublimes mysteriorum Dei notiones, et perspicuas intelligentias accepit, ut ex conscientiæ rationibus constat, quas per id tempus animi sui ductori reddebat. Sed hæc omnia Deum inter et Augustinum ita secreto peragebantur, nihil ut emanaret exterius, neque is communem agendi modum excedere videretur, nedum Dei dona ostentaret. Imo vero christianæ studiosus humilitatis, eam ingredi viam pertimescebat, quam multis fatalem fuisse, non ignorabat: Deumque submisse deprecabatur, ut amoris sui blanditias contineret, pro eisque labores sibi, ac dolores, despectiones, et infirmitates immitteret. Quod si divinæ placitum esset voluntati tantas in tam immeritum misericordias accumulare, illud certe sibi concederet, nequis mortalium agnosceret, quæ omnipotens Dei manus erga vilissimum hominum operabatur. Annuit, vivente Augustino, extremæ votorum parti benignissimus Dominus, eo tamen pacto, ut ipse rectoribus suis omnia manifestaret.

Sed neque primam orationis suæ partem irritam cecidisse credendum est: cum Deus famulos suos, teste S. Chrysostomo, neque tribulationes, neque jucunditates sinat habere continuas; sed tum de adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexat. Id sæpe alias, et modo Palentiæ contigit Augustino. In iis, qui simul cum ipso Philosophiæ operam dabant, duo erant adolescentes turbulentioris ingenii, parumque patientes domesticæ disciplinæ. Hi cæteris condiscipulis importuni, Augustino maxime fuerunt molesti, cujus honorem interdum ausi sunt lædere. Sed is, qui humanæ incuriosus gloriæ jam erat, neque conqueri vi-

sus

sus est, nec mutire, nec vero aliorum solatium voluit admittere, qui apud ipsum obtrectatorum audaciam incusabant. His enim ille placidissime respondebat: nullam sibi factam injuriam: quidquid duobus illis exciderat, inconsideranter forsitan, at non malitiose fuisse prolatum: ob vehementiorem ipsorum indolem commiserationem mereri: quare Deum pro illis instanti rogarent prece, quod ipse quoque faciebat. Hæc omnis fuit Augustini vindicta, et rependendæ injuriæ ratio. Sed Deus aliter eum voluit ulcisci: nam duo illi juvenes, postquam ad ipsorum correctionem multa Superiores frustra tentarunt, tandem e Societatis gremio velut vulnus immedicabile fuerunt recisi.

Aliam vero longe graviorem crucem ex doloribus, infirmitatibus, et internis compactam derelictionibus, Deus illi perpetuo fere portandam imposuit. Cœpit enim studiorum tempore magnis et capitis, et stomachi doloribus angi, et toto corpore debilitari: quod ex assidua non solum studendi, et orandi contentione, sed etiam affligendi corporis, Deumque ubique sibi præsentem exhibendi originem traxit. Sed hæc ille patienter, et libenter etiam tolerabat, quoniam hæc tandem suorum erat summa votorum: unde dolores suos, quantum quidem sibi liceret, silentio premebat, et vultu. Nullum his malis præsentaneum magis remedium inveniebat, quam ut se Christo sisteret coram augustissimo Sacramento, eique peritissimo quippe, ac pientissimo Medico labores suos exponeret, cum plena tamen ad ipsius placitum submissione. Eumque orationis suæ fructum reportabat, ut ab ea semper animo, sæpius etiam corpore surgeret valentiore. Hæc autem valetudinis incommoda totius vitæ suæ decursu, nonnullis induciarum spatiis interjectis, Augustinum vexarunt; imo, novis et gravioribus supervenientibus, tractu temporis invaluerunt. Volebat utique Dominus, ut hic ejus servus jam inde a juventute sua in mediis afflictionibus viriliter ageret, suæque negligens salutis et vitæ, robustioris adinstar operaretur, quamvis infirmus esset ac debilis. Id sic habere, cum eum docuisset experientia, tantummodo ad imperantium vocem adducebatur, ut labori parcens in lecto collocaretur.

His non impeditus difficultatibus, Philosophiæ cursum ita

peregit, ut a Magistro suo meliores inter discipulos haberetur: unde Vallisoletum missus est, ut in Ambrosiano Collegio sacram Theologiam auscultaret. Hic eundem tenorem vitæ secutus, nihil de ferventi virtutum studio remisit, Deusque pariter super illum copiosum benedictionum suarum imbrem effundere perseveravit. Ubique S. Aloysii sedulus æmulator, externas occupationes cum interioris vitæ cura mirifice conjungebat: et ad Theologicas dissertationes sic intendebat animum, ut illæ non solum illuminandæ menti, sed inflammandæ quoque voluntati deservirent. Sane, quod de Angelico juvene præclarissima Virgo S. Maria Magdalena de Pazzis, divinitus afflata, vulgavit: Aloysium, Ignatii filium, eminentem sanctitatis gradum attigisse ob internæ vitæ studium, quo Verbi divini Cor assiduis amoris telis jaculabatur: id in Augustini vivendi modum convenire nullus, credo, diffiteretur, qui ejus scripta perlegeret, in quibus vitæ suæ rationem exponere coactus fuit. In his enim apparet, Augustini vitam hominibus maximam partem ignotam fuisse, et absconditam cum Christo in Deo, in quem jugiter amoris jacula contorquebat: et in Cor incarnati Verbi sic affici solitum fuisse, ut ab eo mentem, et affectum ne tum quidem averteret, cum Magistri prælectiones in aula, nulla propterea prætermissa voce, describeret. Quæ sane paucorum, et maxime studiosorum laus est.

Cum autem ad illud totius perfectionis speculum assidue respiceret, actiones, et affectiones suas omnes ad ejus similitudinem componebat: indeque virtutes cum alias quasvis, tum illas præcipue didicit, quas nobis Dominus præ cæteris commendavit, mansuetudinem scilicet, et cordis humilitatem. Etenim illius humilitas non quæsita, nec vulgaris erat, aut adscititia, sed vera, solida, et ex intimo animi sensu profecta. Itaque, cum esset exterius humilis sine ullo superbiæ, vel arrogantiæ vestigio, interius erat humillimus, sibi semper vilissimus, ad omnia prorsus ineptus, atque omnium oblivione, et contemptione dignissimus. Quæ quidem opinio sui altiores in corde suo radices egit in dies. Cum exponere jussus est quæ in sua cum Deo consuetudine patiebatur, in maximas redactus fuit angustias, magnumque secum ipse certamen habuit,

buit, ut animum ad id præstandum induceret. Hinc enim vehementer erubescebat, palam hominibus fieri quæ Deus secum, deterrimo videlicet omnium, liberalissime communicabat. Inde obediendi studio, nonnihil etiam errandi timore compellebatur, ad omnia manifestanda. Sed in hoc humilitatis et obedientiæ conflictu modum tandem invenit, quo neutri quidem deeset, potiores tamen humilitati partes tribueret. Primum enim arcana sua omnia Superioribus tantum, et Magistris spiritualibus, præterea nemini, ne Confessariis quidem ordinariis aperuit. Deinde in exponendis Dei donis tanto rubore suffundebatur, quanto solent alii, dum peccata fatentur. Postremo nullam occasionem prætermittebat suos interserendi defectus, quos veluti gravissimum, et enorme ingrati animi crimen exaggerabat. Illius autem morum suavitas, et mansuetudo tanquam speciale donum habita fuit, quo Deus eum ornaverat, ut in ministerio juvandi proximos, omnibus omnia factus, quam plurimos lucrifaceret.

Huic ut aptior esset ministerio, Deus illi ardentem animarum zelum infudit, cujus non leve specimen dedit, dum Vallisoleti Theologicis immorabatur studiis. Cum enim audisset, quendam in ea urbe vitam insigniter improbam agere cum offensione multorum, Augustinus quibus tum poterat modis miseri hominis curationem in se suscepit. Fundebat pro illo lacrymas, Deumque assidue deprecabatur, ne animam perire sineret, quæ sibi sanguine steterat pretiosissimo. Nec vero gratis constitit Augustino: nam præter preces, et lacrymas, voluntarias etiam et rigidas sui corporis castigationes adhibuit, ut Deus cor hominis tangeret, et in bonam frugem induceret. Per biennii spatium opus urgere non destitit: quo tempore, ut ipse ait, fixus animo illius hærebat dolor ex miseranda hominis pernicie conceptus. Post hæc Deus magno cum Augustini solatio rerum ordinem ita disposuit, ut huic liberum fuerit hominem remotis arbitris convenire. Rogat, obsecrat, obtestatur, ut honori suo, et animæ saluti consulat: sinat jam per Jesu Christi sanguinem tam benignum Redemptorem offendere, et aliis esse offendiculo: vitam Christiana professione dignam instituat: id quo facilius, et firmius obtineat, per dies aliquot in opportunum locum secedat, ubi

possit moriturarum rerum fallaciam cum æternarum veritate conferre: quod si ex animo perfecerit, fidem illi Dei nomine facit, quoddam magni momenti negotium, quod præ manibus habebat, nec poterat extricare, sibi e sententia processurum. Non potuit ille efficacissima Augustini mansuetudine non emolliri. Itaque morem optimo gerens consiliatori, S. Ignatii meditationibus per dies decem in Collegio Societatis ita fuit exercitus, ut inde mutatus in virum alium evaserit, vitamque deinceps egerit vere Christianam. Voluit etiam Dominus significare, quanto apud se in pretio esset Augustinus. Nam quod is homini illi Dei verbis receperat, non diu post felicissimum eventum habuit, quamvis immensæ difficultatum moles intercedebant, quas nemo superatum iri sperabat.

Parem solicitæ caritatis industriam adhibuit, ut perditos dissoluti juvenis mores emendaret, qui simul contumeliosus erat in Deum, et ad jurandum proclivis. Quosdam magnæ auctoritatis viros rogavit, ut eum ad resipiscendum hortarentur. Sed cum ii parum proficerent, Collegii Rector negotium Augustino commisit, facta ei facultate, ut quæcunque opportuna crederet, exequeretur: sperabat enim, qui tanto salutis illius animæ desiderio flagrabat, ab eo tandem obtinendam. Ille vero, postquam multas coram Deo preces effuderat, juvenem cœpit invisere, illiusque sibi gratiam tum verbis suavissimis, tum etiam munusculis conciliare, quin ullum interea verbum de flagitiosa illius vita misceret. Dum correptionem æquo animo suscepturum existimavit, vivide quidem, sed quam potuit mitioribus verbis morum ipsius intemperantiam, et effrænem loquendi licentiam coarguit: quantam aliis obloquendi præberet ansam, quantum inde sibi immineret exitium, cum ingenti animi dolore proposuit. Sed juvenis primum hunc impetum sustinuit immotus. Illum iterum, tertio, sæpius aggresus est Augustinus: semper tamen incassum; nam induruerat vitiis, et opiniones imbiberat vere Diabolicas. Quodam die omnes evadendi vias sic ei præclusit, et mutationem morum in melius adeo facilem demonstravit, ut tandem manus dederit, et Augustini verbis se plane convictum ostenderit. Sed tamen inolitæ consuetudinis pondere, et impulsu Satanæ, mancipii videlicet fugam pertimescentis, statim

pe-

pedem retulit, conversusque ad Augustinum: Ut quid, ait, in suadenda meorum criminum confessione oleum, et operam perdis? quandoquidem novum sacrilegii crimen admisero, si ad pœnitentiæ Sacramentum accedam: quoniam nullum est impurum objectum, quod ego non concupiscam: nec vero tot sunt myriades Dæmonum, quæ satis sint... cætera. Inhorruerunt ad impias profligati juvenis voces delicatissimæ Augustini aures; sed non ideo despondit animum, neque destitit ab incepto. Dei fretus auxilio, quod instanter imploraverat, denuo redit ad juvenem, eumque lenissimis, et amorem spirantibus verbis in spem erigit magnam obtinendæ pacis, et veniæ per immensam Dei clementiam, et Sanctissimæ suæ Matris misericordiam, si modo velit aurem ad ea, quæ ipse suggeret, accommodare. Opus erat, ut totius vitæ seriem discuteret, ac retexeret, quod ille nodum inenodabilem reputabat. Sed Augustinus patientissima caritate, et infatigabili industria, monendo, instruendo, animum adjiciendo, miserum juvenem eo tandem deduxit, ut is se penitus introspexerit, et accuratam rationem inierit peccatorum; quæ cum deinde Confessario plene, ac dolenter exposuisset, proximo Dominico die ad sacram communionem accessit. Tantam vero illo die, et tam puram expertus est lætitiæ voluptatem, ut gaudium continere non posset, aperteque significaret, quantum Deo, quantum etiam beneficentissimo Augustino suo deberet. Atque hæc fuerunt hujus ad animarum lucra præludia, cum adhuc Theologico currebat in pulvere, et nondum ad gradum evectus fuerat Sacerdotii.

Ad hujus apicem dignitatis multo antequam promoveretur, sese jam cœperat solicite præparare. Etenim ab altero Theologici studii anno, verendum Sacerdotum munus contemplatus, Deum ejusque Matrem Virginem assidue deprecabatur, ut cor suum, et animum ab omni affectione, quæ sibi displicere posset purgatum, cœlestibus urerent flammis, atque iis ornarent virtutibus, quæ ad altissimum illum gradum digne attingendum maxime requiruntur. In eum quoque finem septies minimum per diem Eucharistiam adorabat novo semper ardore, atque affectibus adeo inflammatis, ut adhuc in illius commentariolis pietatis, et amoris ignem exhalent. De-

inde

inde sub initium quarti anni, nempe 26 Decembris 1729, Sacerdos consecratus est ab Illustrissimo Episcopo Vallisoletano. Illo autem, et proxime præcedenti die Nativitatis Domini, in quo factus est Diaconus ex privilegio Societatis; cum Episcopus solemnia illa verba pronuntiabat: *Accipe Spiritum Sanctum*: mirabiles hujus divini Spiritus sensit effectus, qui totum illius animum suavissima unctione delinierunt. Primitias celebravit, cœlestibus immersus deliciis, in die Circumcisionis Dominicæ, ob singularem ejus amorem erga dulcissimum Jesu Nomen, et Societatem ipsius. Ab eo autem die ad extremam usque vitam, nisi gravissima præpeditus causa, a sacrificando nunquam abstinuit. Et quanquam in Sacrificio peragendo magnam sentiret animi voluptatem, in eo tamen, sicut in cæteris rebus, communem ac legitimum aliorum modum ita retinuit, ut semihoram tantum ad altare consisteret. Erat in exequendis cærimoniis sacris accuratissimus, easque frequenter recolebat. Cum autem per ætatis incommoda non nisi ægre legere poterat, rogabat aliquem Patrum, ut eas sibi perlegeret, notaretque, an ipse hanc, illamve rite perficeret: negabat enim, ullam quamvis levissimam, negligenter peragendam, nedum esse omittendam.

Sed quanta ille animi et corporis reverentia, quanto spiritus fervore Sacrum celebraret, haud facile dici potest. Votum illius erat, rem divinam eo modo facere, quo excellentissimi Angelorum Principes, si modo illis demandaretur, eam peragerent. Quotidie post meditationis horam, quam Sacrificio præmittebat, conscientiam in pœnitentiæ Sacramento repurgabat. Deinde coram Eucharistia provolutus in genua, ferventissimis amoris, demissionis, et fiduciæ affectibus, quam immolaturus erat Hostiam, Beatissimæ Triadi ad majorem ejus, et totius Curiæ cœlestis honorem, et gloriam offerebat. Extat hujus oblationis ratio Augustini manu conscripta: longa illa quidem, sed adeo reverens, et plena pietatis, quidquid item opportunum in eam rem circumfertur ita complectens, ut is tantum, quem divinus amor pervaserit, tam multiplices, ac præstantes affectus posset elicere. His peractis, vestibus induebatur Sacerdotalibus, ad altareque accedebat sibi, vel potius Deo, solum intentus, fideque plenus, ac

re-

reverentia, quam vultu, et incessu, et toto corpore præferebat. Et hæc quidem nota erant adstantibus, quibus tam digni, et modesti Sacerdotis ad aram operantis conspectus magnum erat ad pietatem incitamentum. Sed interni luminis, et ardoris, quo inter celebrandum, maximeque post mirificæ consecrationis verba, Augustini æstuabat spiritus, Deus tantum conscius erat, et testis. His enimvero explicandis imparem se ipse agnoscebat, et miraculo simile reputabat, quod animam non efflaret præ amoris, et gaudii magnitudine. De cætero, sicut olim temperare lacrymis obtinuerat, sic etiam modo Deus illi concessit, nullum ut erumperet in suspirium, aut in alium quemlibet gestum, qui exundantem animi proderet consolationem. Hæc, ait ille, omnia peraguntur interius, nec quidquam in oculos circumstantium incurret.

Peracto Sacrificio, semihoram gratiarum actioni dabat flexis humi genibus, quem morem etiam in senectute retinuit. Et quanquam inde ad confessiones audiendas, ad literarum studium, vel ad alia quælibet agenda discederet, non propterea cœlestis edulii sapor, quod tanta aviditate susceperat, extinguebatur. Hunc ille retinebat interdiu, et iteratis amoris, et grati animi actibus, atque etiam frequentibus Eucharistiæ visitationibus confovebat. Unde etiam divinam psalmodiam plerumque coram sanctissimo Sacramento nixus genibus recitabat, aliosque ut idem facerent, hortabatur. Ad quendam religiosum virum, familarem suum, super ea re scribens, sic ajebat: *Vix equidem capio, qualis sit nostra Sacerdotum fides, qui cum in intimis Dei habeamur, non majori studio satagimus, ut omnia spatia temporis, quantum liceat, in hoc micanti cœlo impendamus, in quo Rex, et amor noster Christus assistit*. Ipse certe illuc sui amoris impetu rapiebatur, quoniam ibi thesaurus illius erat, et plenissimum illum gratiarum fontem sibi liberalissime patefieri experiebatur. Sed quoniam eum ad pietatis opera non solatii quamvis spiritualis aviditas, sed studium sequendi ea, quæ perfectiora sunt, impellebat; siquis eorum maxime, qui minus bene valebant, ad Sacerdotales solvendas preces illius opem expeteret, promptissime aderat, seque aliorum obsequiis libenter accommodabat. Atque hunc litandi, ac recitandi modum, quem instituit ab inito

Sa-

Sacerdotio, in reliqua vita, dum rerum adjuncta sinerent, observavit.

Temporis utiliter impendendi summè solicitus, sua rebus singulis dabat spatia, suumque omnibus suppetebat. Is etiam quo tenebatur salvandorum hominum zelus sane quam ingens, ad comparandas sedulo scientias acriter eum stimulabat, ut fieret animorum ductor, et medicus præstantissimus. Idque sedulitate sua fuit assecutus, ut geminæ Theologiæ peritiam non vulgarem sit adeptus; tum ejus, quæ de Deo rebusque divinis disserit; tum ejus, quæ interni fori quæstiones causasque dissolvit. Atque illius quidem præclarum specimen dedit, cum theses publicæ concertationi proposuit, in qua mirum et animi, et ingenii pariter candorem exhibuit: alterius vero, cum antequam sacros ordines susciperet, moralis doctrinæ subiit examen, cui ille promptis, ac solidis, opportunisque responsis abunde satisfecit. Et quoniam hæc instruendis quidem, ac judicandis hominibus necessaria omnino esse videbat, sed iisdem ad virtutem provehendis vix bene sufficere existimabat; quæ in id maxime faciunt, ex mysticæ Theologiæ fontibus haurire non prætermisit. Hoc ille in iis præsertim diebus exequebatur, in quibus Scholæ silebant: has enim ferias, probante Superiore, ita quadrifariam dispertiebatur, ut partem daret illius facultatis studio, cui tum incumbebat, partem legendis libris asceticis selectioribus, partem meditationi coram Eucharistiæ Sacramento, partem denique piis cum fratribus suis collocutionibus, atque ægrotis visendis, et consolandis.

Antequam Theologiæ finem imponeret, ipse quoque graviter ægrotavit. Acri correptus est febri, quam dolores acutissimi comitabantur, quos ille constanter, et alacriter tulit, gratias Deo agens quam maximas, quod sibi tantum indulgeret beneficium. Sed illud vehementer mirandum fuit omnibus, cum plurimos dies gravissime laboraverit, modum tamen, et animum sibi non defuisse, ut in eorum plerisque Sacrum celebraret. Sic nimirum, quod superius innuimus, a Domino edocebatur, ut negligenda valetudine, atque imbecillitate naturæ superanda, sese ad reliquam duraret vitam laboribus, et doloribus intertexendam, quorum solatium, et levamen ab altaris mensa desumeret. At illius animi dolor multo quam cor-

corporis acerbior fuerat, cum paucis ante diebus in oratione sua Deus illi peculiari quadam luce manifestasset, quam multi cum irreparabili summi Boni jactura suppliciis addicuntur æternis. Inde vero tanta fuit ægritudine oppressus, ut Deum flebiliter, enixeque rogaret, ut a se vindictam sumeret, pœnasque exigeret rigidissimas, ne tam multi hominum cum offensione divina perniciem incurrerent sempiternam. Ad Beatam quoque Virginem recurrebat, quæ refugium peccatorum libentissime audit, suamque ille Matrem jucundissimam appellabat, ut supplices coram dilecto Filio pro miseris peccatoribus preces effunderet. Hoc illum diu, noctuque solicitum habebat, nec cessabat animarum ruinam effusis lacrymis deplorare, quas Christus immenso sui sanguinis pretio redemisset. Nec alienum a vero fuerit existimare, suam hinc originem habuisse morbum, qui Augustini corpus acerbissimis doloribus excruciavit.

Voluisset ille jam tum in omnes totius orbis partes excurrere, lucemque cæcis afferre mortalibus, ut evidentissime noscerent, quam suprema sit illa Majestas, et incomprehensibilis Bonitas, quæ ab ipsis tam impudenter, ac stulte despicitur; quam item interminata sit malorum vorago, in quam flagitiis suis sese proripiunt. Interea vero dum ipse prædicationis munus per ætatem, et studiorum occupationem exercere non poterat, ad quosdam e Societate viros, quos noverat zelo, et auctoritate præstantes (humilis ingenii sui rubore superato) literas misit, quibus instanter efflagitabat, ut Dei honori, qui sibi demandatus erat, et animarum saluti studiosissime prospicerent: id precibus, et præclaræ vitæ exemplis urgerent, ne Dei honor conculcaretur, neve redempti Dei morte interirent. Nullus autem eorum Augustini monitum parvi pendendum duxit; quoniam et juvenis sanctitatem habebant perspectam, et illius verba igne amoris Dei, et hominum ardebant. Ipse interea divini verbi Præcones, et Confessarios Deo valde commendabat, ut ad promovendam illius gloriam, et animarum curanda lucra quam plurimum valerent: seque concepto voto obligavit ad fundendas quotidie preces, quam ferventissimas posset, pro salute omnium hominum, et pro Ministris Evangelicis illam quomodolibet procurantibus: atque

hoc simul cum tribus Religiosorum votis quotidie mane post orationem renovabat. Nec solum effusis precibus, et lacrymis, sed magnis etiam sibi pœnis inflictis Deum hominibus placare satagebat. Ex his autem animi, et corporis afflictationibus Augustini salus sub finem Theologici cursus adeo erat detrita, ut eum ab onere Theologiæ repetendæ, cui fuerat destinatus, exemptum, ad tertiam probationem mittere decreverint Superiores.

Hunc ille annum sibi desumpsit, ut torporem excuteret, et animi, ut ajebat, languoribus mederetur. Etenim qua erat humilitate, atque altissima Dei præditus cognitione, quæcunque hactenus egerat obliviscens, vel certe multum imparia debitis ducens, ad perfectiora quotidie seipsum excitabat. Itaque toto illo anno, ab humanarum rerum tractatione disjunctus, magno studio solitudinem coluit, quippe id tandem assecutus, quod summopere optabat, ut multum cum Deo ageret, ad illiusque beneplacitum se totum interius, et exterius conformaret. Et in externis quidem profecto nihil detrahendum erat, nihilve superaddendum. Nam idem erat in Sacerdotio, qui fuerat in tirocinio: modestus, et tacitus, comis in omnes, atque ad explenda religiosæ officia disciplinæ promptus, ac sedulus. Ex iis, quos habuit in illa probatione socios, asserit quidam, cum diu secum reputaverit, an aliquid in Augustino deprehenderit, quod Societatis regulis adversaretur, nihil se hujusmodi reperisse; sed potius illius opera, et verba ad omnes perfectionis leges exacta semper observasse.

Suam ergo præcipuam curam ad interiora convertit: seque diligenter inspiciens, omnes animi sui recessus explorabat, ut siquem minus rectum inveniret affectum, omnino recideret. Sic enim ajebat: nisi ad vitæ puritatem, et perfectionem quam maximam posset, velis remisque contenderet, nunquam se vel minimum beneficiorum, quæ a Deo liberalissime acceperat, digne repensurum. Id itaque veluti legem inviolabilem sibi præscripsit, quod inter Societatis regulas continetur: ut omnino, et non ex parte ab iis omnibus abhorreret, quæ mundus amat, et amplectitur; et totis viribus admitteret, et concupisceret quidquid Christus Dominus amavit, et amplexus est. Ad hanc vero Christi similitudinem quo propius accederet, multum ex

il-

illius sanctissimi Cordis meditatione profecit, cujus amorem, et cultum semper in deliciis habuit; sed tum maxime, cum ipse Dominus in visione quadam humanissime illum invitavit, ut ad se per cœlestem illam januam introiret. Illuc igitur Augustinus frequentissime recurrebat, et ante Dei tabernaculum longa ducebat horarum spatia, in quibus ea pertractabat, quæ ad suam perfectionem, et dilecti Domini sui gloriam augendam maxime facerent. Ibi rationem vitæ, quam deinde secutus est, designavit: operosam scilicet, et in Societatis ministeriis diligenter exercitam. Ibi decrevit in orationibus, quas haberet ad populum, nunquam dictionis acumina consectari; sed verborum non minus, quam rerum gravitati consulere: et in sermone quoque familiari, abjectis ludicris et inutilibus, ea solum tractare argumenta, quæ ad exædificandos in spiritu audientes deservirent. Ibi constituit neminem ab se rejicere, qui ad animæ salutem illius opem exquireret: ac denique suis nunquam inservire commodis, sed Deo, et proximis propter Deum se totum impendere. Sentiebatque in animo suo ad hæc pia consilia propitium Numinis responsum: atque omnia se, Deo auspice, facile consecuturum sperabat, si modo Societatis Constitutiones fideliter observaret: quarum proinde summarium, inter alia sua proposita, frequenter legere, accurateque evolvere statuerat. Ab eo jam tempore, quo Societatem adivit, cæca fuerat illius obediendi ratio: nunc autem illam oculatissimam voluit efficere, ut Superiorum non expressam modo, sed indicatam etiam voluntatem expleret. Et hanc tutissimam ducem ad omnes suos cœptus deinceps adhibuit obedientiam: cujus ut uberior sibi fructus proveniret, frequentem habebat ad Superiorem, et spiritualem Patrem recursum; tum ut in agendis consilium caperet; tum etiam ut eis animi sui sinus expanderet. Unde præter humilitatis non vulgare exercitium, illud sibi duplex commodum redundabat: ut et abesset ab errore longius, et suam nunquam, Dei vero semper efficeret voluntatem.

Tertia peracta probatione, Flaviobrigæ ad Autrigones (Bilbaum hodie vocant) Grammaticam docuit. Hoc munus, quod sciebat Societatis esse maxime proprium, et a Patrono suo S. Aloysio valde fuisse expetitum, magna animi propensione susce-

ce-

cepit, et indefesso labore sustinuit. Præibat ille discipulis modestiæ, et placidæ gravitatis exemplis, et amorem in B. Virginem instillabat, quem ipse a teneris annis imbiberat. In pomeridiana Sabbati schola de præstantissimis augustæ Reginæ laudibus disserebat, ut eos ad illius cultum alliceret, atque ut honestis, et innocentibus moribus potentissimum ejus patrocinium demererentur: de ratione quoque suscipiendi rite, ac devote Sacramenta frequentem ad eos habebat orationem. Cæteris diebus ad eorum in literis institutionem infatigabili incumbebat studio, in illud simul intentus, ut minuta illorum errata suavibus, et opportunis correptionibus emendaret. Et qui ŏmne hominum genus Deo ferventer commendabat, pusillum puerorum gregem suæ curæ commissum, ut in literis, et virtute proficeret, quanto illum existimas ferventiore prece commendasse? Festis diebus omnibus, obtenta Rectoris venia, e cubili surgebat ante alios, quo posset citius confiteri volentibus adesse: aderatque libentissime ob ingentes, quos ab eo ministerio fructus reportabat, in quo Dei simul et peccatorum agebat causam, quos intime diligebat. Sed quoniam hoc, et reliqua sua opera in Dei obsequium et gloriam unice referebat, nihil erat, quod ab divinæ contemplatione præsentiæ illius mentem averteret. Unde ajebat magnus ille vir P. Petrus Calatayudius, qui penitus Augustini spiritum introspexerat: quasi duplicem intelligendi facultatem concessam illi a Deo videri; alteram, qua rebus intenderet exterioribus, quæ sibi demandabantur; alteram, qua simul cum Deo ageret familiariter. Quiddam certe, ait idem, huic simile obtinuisse crediderim, quo gaudent supernæ illæ mentes Angelorum, qui semper vident faciem Patris, et tamen hominum commodis, et custodiæ dignanter, ac solicite prospiciunt. Sic pro portione Augustinus: cum hominibus in templo, cum pueris agebat in ludo, quasi nihil aliud instaret agendum; nec tamen cessabat interea Deum sibi præsentem intueri, et jucundissimam cum eo habere consuetudinem.

Illius denique vitæ ratio, dum magisterium illud exercuit, ab anteriore nihilo discrepabat, nisi quod gravioris momenti rebus occupabatur; cætera servandarum legum æque studiosus, suæque perfectionis æque solicitus. In cujus studii exem-

plum

plum hic pauca subjiciam. Nunquam ad primum relinquendi lecti signum surgere prætermisit. Nunquam valetudinis incommoda, vel scholæ occupationes excusavit, quominus aut prædicandi, aut ægrotis et moribundis subveniendi onus susciperet; quin potius tantam in obediendo voluptatem et verbis exhibebat, et probabat effectu, ut majorem ad iteranda mandata fiduciam adderet Superiori. Jam aliquot ante annos solitus erat diem unum per singulos menses spiritualibus dare exercitiis: quo die in sua facta omnia inquirebat, novumque ad ea perfectius elimanda concipiebat ardorem. Morem hunc et Flaviobrigæ, et ubilibet retinuit, ab eoque maximas percepit ad animi perfectionem utilitates. Aliud quoque utilissimum usurpabat exercitium, quod a Deo in oratione didicerat, ut se ad bene moriendum compararet. Id autem erat hujusmodi. Singulis noctibus postquam animum attente discusserat, et corpus solita castigatione percusserat, curvatis in medio cubiculo genibus, oculos ac mentem in Jesum pro amore suo cruci suffixum intendebat: atque immensam hinc Dei majestatem, inde vilissimam sui conditionem intuitus, primum coram Deo seipsum, quam profundissime poterat, demittebat, et stratus humi, brachiisque protensis, et inhærente pulveri facie perseverabat: deinde facta generali peccatorum accusatione, omnia ad Jesu Christi pedes abjiciebat, veniam ab eo cum intimo dolore precatus, et usque ad tartari centrum depressus, quo semet dignum existimabat: tum in ferventissimos fidei, spei, caritatis, aliarumque virtutum actus erumpebat, qui maxime in extremam horam conveniunt: hisque eliciendis paulo longiorem moram tribuebat. Postmodum Dominum infimis orabat precibus, ut ad se tanquam peregrinationis suæ viaticum adveniret, seque in beatam cœli patriam deduceret, æternum ibi cum ipso moraturum. His cum ardentissimo affectu pronuntiatis, spiritali Christi communione reficiebatur, tanquam ea esset ultima, et hinc sibi jam esset abeundum. Extremam denique unctionem spiritaliter quoque recipiebat, et terrenis rebus omnibus toto corde abdicatis, animam amori suo Jesu ( sic eum appellare consueverat ) verbis illis tradebat: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*. Quibus dictis, e solo, ubi jacuerat, consurgens, cubitum ibat.

Hoc

Hoc exercitium, quippe illud a Domino edoctus, nunquam prætermisit: quare, dum ægrotabat, quo poterat modo, idem in lecto peragebat. Ex hac autem præparatione, totiusque diurni temporis usu honestissimo somnus illi obveniebat purus, modestus, et religiosus; sed idem brevis, atque interruptus. Et quoties per noctem excitabatur, mens ejus ad dilectum Dominum suum statim avolabat, suavissimam capiens ex illius memoria voluptatem.

Post triennium docendæ Grammaticæ impensum, jussus est Philosophiam explicare Pompelone, Navarræ urbe principe, et scientiarum sede ornatissima. Cum primum huic destinatus fuit muneri, aversum ab eo animum sensit: credebat enim et ingenii, et corporis sui vires eidem sustinendo valde esse inæquales. Sed primum hunc animi reluctantis impetum, Deo et obedientiæ virtuti confisus, strenue repressit. Itaque Pompelonem profectus, cursum aggressus est Philosophicum, et quidquid in illius anni spatio discipulis erat prælecturus, intra festa Domini natalitia integre, ac pulcherrime scripserat. Etenim ad Scholæ exercitationes multo erat, quam pro sua opinione, præstantior: cum et acri polleret ad excogitandum ingenio, et quæ solide excogitaverat, apte, dilucideque explicaret. Sed Deus, qui Augustinum in divini verbi satorem destinabat, prius patientiam, et constantiam illius gravissimo probare voluit experimento. Permisit enim, ut melancholico exundante humore, imaginationem ejus atri vapores obnubilarent. Ubique sibi occurrebat, ob ingenii et corporis imbecillitatem ad explendum munus impositum esse ineptissimum: inde mœror, et tædium, horror quoque laboris crescebat in dies: nonnunquam illud vehementer suspicabatur, non esse divinæ consentaneum voluntati, ut ipse cathedras occuparet. Sed cum expressam aliunde videret Superiorum voluntatem, animum ad obediendum sic obfirmabat, ut vitam potius, quam injuncti officii partes desereret: sperabatque remedium huic malo diem allaturam. Frequentius coram Domino prosternebatur, amissæ tranquillitatis donum implorans, ab eoque nonnunquam tale audiebat responsum: Ego juxta meæ voluntatis arbitrium de te faciam; nec vero tuum est, isthuc scire. Quæ verba maximum ei solatium, et pacem affere-

re-

rebant. Sed cum sæpe vox illa conticesceret, denuo mens ejus densioribus tenebris obruebatur: et quibusdam præsertim noctibus universus conjurasse orcus videbatur, ut eum horrificis modis perterrefaceret. Maximam anni partem hanc luctam sustinuit, quæ pacificum illius animum, atque obediendi studiosissimum, gravissimis molestiis agitavit.

In his tamen angustiis nullum perturbationis signum apparebat exterius. Præter Superiorem, et Confessarium, quorum consiliis in afflictione sua sustinebatur, nemini domesticorum illius labor innotuit. Neque ex discipulis ejus quisquam in tam diuturnis animi angoribus aliquam aut in verbis impatientiam, aut in vultu tristitiam observavit. Verumtamen annui fere certaminis defatigatio, maximeque noctes plenæ timoribus infirmi corporis temperaturam omnino tandem perturbarunt: et morbo correptus, ita defectus est viribus, ut Superiores in incepto Philosophiæ cursu progredi non posse judicaverint. Propterea, postquam meliuscule habere cœpit, onus ei concionandi fuit impositum, quod illius affectæ valetudini non ita grave futurum credebatur. Hoc modo Augustinum, ab humanæ scientiæ magisterio subductum, Deus transtulit in suggestum, ut inde sapientiæ divinæ præcepta quamplurimos edoceret.

Azcoithiæ primum, et in finitimis oppidis conciones habere cœpit tanto verborum, et sententiarum pondere, tantaque animorum commotione, ut brevi sancti, et Apostolici viri nomen obtinuerit. Ad eumque tam ingens pœnitentium numerus accedebat, ut in iis audiendis multas in profestis etiam diebus horas impenderet. Deinde, cum Superiores vidissent, quantum dicendi facultate præstaret, eique præter spem vires sufficere; ad obeundas, quas vocant, Missiones Augustinum destinarunt. Sed quo paratior huic esset muneri, prius Theologiam morum per annum explicare jussus est. Quod cum fecisset Onnati, inde Lojolam secessit, ut in beatis S. Ignatii incunabulis novum erga Deum, et proximos ignem conciperet caritatis. Hæc illius sedes, certaque futura erat statio, unde in circumpositas urbes, atque oppida excurreret, prout incolarum necessitas, aut utilitas exegisset. Et sane majorem ibi, potioremque vitæ suæ partem duxit; ab anno scilicet

1736.

1736, usque ad exilii annum 1767. Atque in prioribus undeviginti annis per universam Guipuzcoam, maximam Cantabriæ partem, multos Alavæ, nonnullosque Navarræ populos cœlestis doctrinæ semina spargere non cessavit; multis miraculum reputantibus, hominem tenui, atque infirma nimium valetudine gravissimum illud pondus tandiu sustinuisse.

Sed antequam de rebus ab eo gestis in Apostolico ministerio singillatim dico, juvat hic pauca præmittere circa professionem votorum quatuor, quam Lojolæ fecit postridie Kal. Februar. 1739. Cum primum de illa emittenda fuit admonitus, tanquam ad insolitæ, prorsusque immeritæ felicitatis nuntium totus obstupuit. Cum enim altissimam de Societate Jesu, de se vero humillimam induisset opinionem, nunquam fore credebat, ut in illum gradum assumeretur. Constat hoc ex ejus adversariis, in quibus coram Deo, et Sanctis ejus gravissimis verbis testificatur: juxta specialia lumina, quæ sibi Dominus circa sanctam Societatem suam communicaverat, illud se in magnis Dei beneficiis, et æternæ prædestinationis notis habere, siquis in eadem Societate vitam egerit, ac mortem obierit: se quidem ab ætatis anno decimotertio illam expetere jam incepisse; sed immeriti sui conscientia, ne in tam eminentem statum aspiraret, fuisse deterritum: deinde vero ad eam accedere decrevisse, suæ si vellent annuere petitioni, quod fieri posse vix sperabat, quippe tanta indignus felicitate, et eidem minime idoneus. Propterea inter cætera divinæ providentiæ miracula duo maxime suspiciebat. Primum, quod ipse facillimum in Societatem aditum invenisset, cum aliis longe præstantissimis non ita facile aperiretur: unde videbatur sibi Deus Patrum oculos cohibuisse, ne sua corporis et animi vitia conspicerent, quæ tamen ipse candide fatebatur. Alterum, quod e Sociorum numero non fuisset millies expunctus, tanquam inutilis, imo etiam exitiosus Religioni. Nunquam sibi persuaserat, vel inter Adjutores rei familiaris dignum esse accenseri. Quod si eo etiam tempore cum libertate donatus fuit, deindeque in tirocinium restitutus, placitum Superioribus fuisset, ut ad infimum illum gradum redigeretur; id se maximi beneficii loco habiturum, et in eo libentissime meriturum asserebat. Nunc igitur in superius subsellium ascendere, hoc est, inter Professos quatuor

vo-

votorum conſidere juſſus, vix adducebatur, ut id verum crederet; ſed ſomnio ſimile reputabat, incipiebatque ſubvereri, ne Deus propter peccata ſua circa rem tanti momenti aliquem in Præpoſitis errorem permiſiſſet. Cum hac humillimi animi comparatione, quæ nunquam ſine aliarum comitatu virtutum incedit, peractis magno ſpiritu quæcunque profeſſioni legitime præmitti debebant, ad eam ſolemni ritu celebrandam acceſſit. Et quanquam in ſacra illa actione conſuetum Societatis morem retinuit, quandam tamen ſuæ profeſſionis formulam ſcripſit ab ea diverſam, quam Sacerdoti traditurus erat ad aram, illamque ſuo ſanguine ſubſcripſit.

His amoris, et grati animi ſignificationibus quatuor ſolemnia vota cum emiſiſſet, ad Evangelicæ prædicationis opus, quod ante triennium inchoaverat, novo fervore regreſſus eſt Auguſtinus. Sed in hac illius potiſſima vitæ parte deſcribenda non poſſum ego adverſam temporum vicem non dolere. Quoniam multa præclare ab illo geſta prætermitti neceſſe eſt, quæ in authenticis continentur monumentis in Hiſpania relictis, quales erant Miſſionum ab eo ſuſceptarum ephemerides exactiſſimæ. Multa quoque ex conſcientiæ ſuæ rationibus erui poſſent, quas ille per id tempus reddidit. Sed eæ pariter deſiderantur, cum eas fere tantum habeamus, quæ ad ſtudiorum tempora, et primos Sacerdotii ſui annos ſpectant. Pro his copioſis et magnæ fidei tabulis ea modo ſubſtituemus, quæ accepimus ab incorruptæ quoque fidei Sacerdote, Ignatio Arizaga, quem Auguſtinus in Apoſtolico ſuo munere diu comitem habuit. Is deinde in Societatem ingreſſus, et in Italiam cum cæteris relegatus, quæ in longa cum Auguſtino conſuetudine obſervaverat, quem ad expeditiones ſecutus eſt facile ſexaginta, poſt illius obitum teſtis oculatus expoſuit.

Jam inde ab initio ſuæ miſſionis præclari, ſanctique Oratoris nomen aſſecutus, frequentiſſimum obtinebat auditorium, ſæpiuſque in plateis urbium, aut in aperto campo concionem habere cogebatur, cum auditores templa non caperent. Ut primum ex editiore loco ſeſe conſpiciendum exhibebat, circumfuſam multitudinem ad pietatem, et compunctionem excitabat, cum eſſet macilenta facie, gracili et extenuato corpore propter valetudinis incommoda, voluntariaſque macerationes; ſed

maxime propter intensum contemplationis studium, et ardentem divinæ gloriæ, salutisque hominum zelum, qui eum assidue perurebat. Vox illi acuta, contenta, et penetrabilis: actio gravis, et sine ullo artificio convenientissima: stilus perspicuus, et simplex, idemque concinnus; sed a quæsita concinnitate alienissimus: affectus mire efficaces, et concitati, quibus suæ non raro lacrymæ pondus addebant, ut etiam ignis, qui ex illius vultu, et oculis emicabat. Inter cæteros animi motus amorem præsertim excitabat; tum quia is in corde suo primatum obtinebat; tum quia ad nobilem Cantabrorum indolem permovendam nullus illo felicius adhibebatur. Et cum his, aliisque ad bene dicendum dotibus excelleret, nihil suæ fidebat industriæ: sed quo ineptiorem se trahendis ad Deum hominibus reputabat, eo firmiorem in Deo fiduciam reponebat, ad inanem suæ sonitum vocis divinum affuturum auxilium, quo auditores ad melioris vitæ formam inducerentur. Sed ne ullum ipse cœlesti gratiæ objiceret impedimentum, ea semper tractabat argumenta, quæ vitiis extirpandis, inserendisque virtutibus, et reformandis moribus essent opportuniora.

Inde dicendi sumebat initium, unde bonarum frugum spes omnis exurgit: nempe a Christianæ fidei dogmatis, et legis præceptis explicandis. Neque id obviter, aut perfunctorie, sed copiose, solideque faciebat, adductis similibus, et exemplis, atque interdum opportunis adhibitis repetitionibus, quo altius omnia inhærerent. Deinde reprehendendis vitiis, eorumque remediis exhibendis summa contentione adlaborabat. Et peccati turpitudinem cum aliis ex locis, tum maxime ab irrogata Deo injuria demonstrabat, cujus Majestas summa despicitur, *et cui terga vertit peccator*. Hanc ille vocem ex intimis visceribus eruebat: hic eum suus in Deum amor multo reddebat eloquentiorem. Etenim ineffabilem Dei bonitatem contemni, sanctissimum ejus nomen proscindi, et Jesu Christi sanguinem ab vilissimo vermiculo conculcari, æquo animo ferre non poterat: et quantus erat ejus amor in Deum, cujus agebat causam, tam ingenti dolore ob eam indignitatem percellebatur. Sed non propterea peccatorum causam agere prætermittebat, quos et verissime amabat, et scitissime ferire noverat, ut sanarentur. Ad eos igitur tenerrimo commiserationis sensu

con-

conversus, animos addere, spem alere veniæ, inexsuperabilem Dei clementiam objicere, certissimam neque difficilem inveniendæ medicinæ viam ostendere; pœnitentiam scilicet male actæ vitæ cum animo resipiscendi. Duas interdum horas dicendo perseverabat, nec tamen audiendo defessa erat concio, quæ suavitate verborum ejus, et explicandi facilitate mirifice tenebatur. Sed cum ad perorandum accessisset, imperare sibi vix poterat. Ut enim Crucifixi imaginem arripuerat, tam vehementi amoris affectu ob effusissimam Redemptoris in homines caritatem, simulque doloris ob illatas ei ab hominibus offensas corripiebatur, ut intercluso spiritu, voceque faucibus inhærente, singultus potius ederet, quam verba pronuntiaret. Nec potuit in ea parte, quamvis adhibita diligentia, sibi modum imponere. Admonitus quippe non semel a socio, ut in extrema oratione sedatius ageret, et affectibus temperaret, quoniam istorum impetu voces obruebantur; quanquam ei morem gerere pollicebatur, et promissis stare satagebat, idem tamen, cum rursus verba faceret, sub orationis epilogum eveniebat. Sed quod olim S. Petro Chrysologo contigit, ut deficiente sibi voce, Deus in amoris lucrum sermonis sui damnum converterit, id Augustinus, postquam pendentem e cruce Christum erexerat, in suis concionibus experiebatur. Tunc enim auditorum animos Dei potius gratia, quam vox Oratoris sic emolliebat, ut in lacrymas effusi, et pectora percutientes, peccata sua magnis ejulatibus detestarentur, Deique misericordiam flebilibus vocibus implorarent.

Quos autem ardentibus verborum jaculis e suggesto perculerat, hos in destinata confessionibus sede benignissime exceptos, magna prudentia, magnaque dexteritate sanabat. In hoc exercendo munere S. Francisci Salesii ductum in omnibus sequebatur, cujus consimilem sortitus erat spiritum, et scripta jam inde a juventute sua diligenter evolverat. Omnes itaque patientissime audiebat, prudenter interrogabat, sapienter instruebat, recte clementerque judicabat. Nemo illum rigidum, nemo subiratum, aut displicentem expertus est: et post horas octo, vel decem audiendis confessionibus magno suo incommodo impensas propter ægram corporis habitudinem; quam ostenderat initio animi pacem, et mansuetudinem, eandem

dem in extremis servabat. Huic autem constanti lenitati eam verborum efficacitatem adjungebat, ut durissimum quemque tandem inflecteret, atque interdum brevi quadam sententia ad ea, quæ tum opus erant, adduceret. Id Augustini peculiare donum erat, a Deo sibi propterea concessum, quod dum aures ille confitentibus accommodabat; mentem simul in Deum haberet erectam, cum eoque peccatoris agebat causam, qui ad ejus pedes acciderat. Omnes apud eum conscientiam exonerare contendebant: et quanquam id in frequentissimo pœnitentium concursu fieri non poterat, ipse tamen, ut quam plurimis satisfaceret, maximam diei partem in sacro tribunali mane, ac vesperi considebat. Et cum esset ab scientia, et usu, et a cœlesti quoque lumine, quod imploranti sibi aderat, in hujus administratione Sacramenti peritissimus, facta convenienti pro conditione singulorum inquisitione, quidquid in cujuslibet conscientiæ fundo delitesceret, paucis, ut ita dicam, jactibus colligebat: unde multorum quotidie totius etiam vitæ audiebat censessiones.

Ut autem suscepti laboris fructus diuturnior, et uberior esset, cum cæteros universim in publicis exhortationibus, tum eos privatim, qui sibi peccata confitebantur, ad pietatem, et mortificationem inducebat, ut iis prava superioris vitæ exempla compensarent. Eos vero, qui dignitate muneris, et auctoritate præstabant, peculiari cura edocebat rationem vitæ laudabiliter instituendæ, et in ea constanter persevevandi, ut ab eis in populum virtutis studium, et religionis vigor, tanquam a capite in membra descenderet. Quantum vero suis proficeret hortationibus, inde primum agnoscebatur, quod eorum plurimi Lojolam secedebant, postquam eodem remeaverat Augustinus: peractisque sub illius ductu S. Ignatii exercitiis, novos ad virtutem colligebant spiritus, quos in patriam regressi cum suis domesticis, ac popularibus communicabant. Apparebat deinde manifestius ex nova civitatum, et oppidorum facie, quæ ipse susceperat excolenda. In his enim extincta odia, sublata dissidia, litesque compositæ: Judicum excitata vigilantia, ad continendos in officio populos: accensus Curionum zelus, unde major plerumque Sacramentorum, et orationis frequentia: Patres denique familias ad optimam filiorum,

ac

ac servorum educationem eruditi, et stimulati, in quo fere reipublicæ salus continetur. Hæc omnia summo studio, sed sine strepitu, ac turbis agebat Augustinus, omniaque tandem, quæ tentaret, assequebatur. Non quod interdum aut contumacium, aut imperiosiorum hominum ingenia sibi non obstiterint; sed quia ille in oratione, et in Hostiæ salutaris oblatione, per quam nihil non obtinebat, rem Deo valde commendabat: eosque deinde, qui admonendi erant, tanta prudentia, et mansuetudine alloquebatur, nemo ut auderet illius admonitionibus contraire.

Hac ille via multas sanctissimi Cordis Jesu Sodalitates in his locis instituit, in quibus sperabat et constanti Sodalium frequentia, et decenti religionis cultu fore celebrandas. Cum enim divinum Cor Augustinus summis in deliciis haberet, per quod tot jam acceperat dona, in diesque singulos accipiebat, non satis sibi erat, si privatis obsequiis ipse illud coleret, et honoraret; sed vehementer desiderabat, ut ab omnibus etiam publicæ adorationis cultus adhiberetur. Nullis ergo laboribus, nullique parcebat industriæ, ut populos ad exuberantem illum misericordiæ fontem alliceret, unde cœlestium copia donorum in illius cultores largissime perfluit. Quibusdam in oppidis magnopere laborandum sibi fuit, ut conata perficeret. Sed postquam sic expedire judicaverat, nulla eum difficultas deterrebat: et cum aliqui e primoribus populi confirmabant, apud ipsos id fieri nullo modo posse: Sinite, quæso, ajebat ille: nam Deus evadendi viam ostendet, illamque sacrum Cor Jesu complanabit. Deinde templum subibat, et æterno Patri dilecti Filii sui Cor exhibens, per ipsius obsecrabat merita, perque ardentissimam illam caritatem, qua se pro salute mundi voluntariæ neci devovit, ut corda cieret hominum, cœlestemque subjiceret ignem, quo Jesum omnes diligerent, divinum Cor ejus adorarent, et amori responderent. Sanctissimam quoque Virginem, et eos e Beatorum numero deprecatores adhibebat, quos ipse peculiari cultu prosequebatur, ut sua apud Deum vota secundarent. Id unum, et alterum, id plures urgebat dies, donec sentiebat, cœlum suis annuisse postulatis. Hac ductus fiducia, paucis ante discessum diebus rem pro concione breviter exponebat, et contra spem, atque opinionem multorum nova Sodalitas cunctorum suffragiis

giis decernebatur. Cum id sæpe fuisset expertus, sciretque, alibi jam erectas Congregationes hujusmodi magno divinæ gloriæ incremento, et animarum fructu florere, alias denuo constituebat, ut sanctissimi Cordis cultum latius augeret, et ardentissimo erga illud amori suo satisfaceret. Quot vero, quibusve in locis eas erexerit, iis deficientibus commentariis, quos paulo ante commemoravi, decerni nequaquam potest. Pleraque etiam ob eandem causam silentio præterire oportet ex his, quæ in diuturno suæ prædicationis ministerio et laudabiliter ab eo gesta, et patienter tolerata, et mirabiliter perpetrata fuisse non dubito: cum Apostolicis viris frequentes esse soleant Dæmonis, ac satellitum ejus oppugnationes, et iisdem adsint auxilia de cœlo, ut hominum saluti prospiciant, et Diaboli opera dissolvant. Pauca tamen attingam, quæ aliunde comperta sunt, certisque confirmata testimoniis.

Anno 1742 in Navarræ oppido Arribe, quod in Araizensi Valle conditum est, coram frequentissima concione, quæ in plateam convenerat, verba faciebat Augustinus: cum repente in media oratione parumper substitit, et socium e suggesto compellans: Perge, inquit, ad Parochi domum, et ab eo, quid velit, exquire. Is tum correptus morbo jacebat in lecto, et domesticis ad audiendum Augustinum profectis, solus domi remanserat. Ad eum igitur veniens Augustini socius, dum aperit januam, strepitum sentit, tanquam aliquis in domesticum hortum e sublimi desiluisset: de fenestra respectat: indeque hominem videt, præcipiti passu diffugientem. Post hæc ad Parochi conclave progressus, numquid sibi opus sit, rogat: eique, nullius egere, respondenti, noluit tum indicare quæ viderat, ne valetudine affectum consternaret. At ipse rem secum reputans, non temere credidit, Augustino divinitus significatum, sceleratum aliquem ad ægrotantis Parochi domum diripiendam, aut forte quid pejus patrandum accedere; missoque tempestive, qui eum inviseret, nefarios hominis conatus repressisse.

Catharinam Arteagam nobilem Devæ feminam (quod oppidum ad oram Guipuzcoæ maritimam situm est) propinqui ejus hortabantur, ut quoniam ad multam jam ætatem processerat, suis, suorumque rebus, facto testamento consuleret. Sed

cum

cum illa diem ex die duceret, Augustinum advocant, cujus magnum erat nomen apud Devanos, quos ille bis ad pietatem laboribus suis excoluerat. Cum autem mitioribus verbis Catharinam ad optimum consilium adducere non valeret; nam et optimam adesse sibi valetudinem, et condendi mox testamenti tempus non defuturum contendebat; Augustinus, intento ad proximam scalam digito, graviter ei, atque asseveranter dixit: *Id modo facias, oportet, nam brevi per scalam istam præcipitaberis, et mortem incurres.* Haud secus res accidit, cum paulo ante suum illa testamentum confecisset.

Aliam notæ probitatis feminam hortatus est in oppido Elorrio, ut semel saltem in hebdomada sumeret Eucharistiam. *Quoniam futurum est*, subdidit, *ut te subita mors occupet, ad quam necesse est, anticipes præparationem.* Paruit illa monitis Augustini, quod magno sibi commodo stetit; nam ita repente occubuit, ut sacro Viatico refici non potuerit. Hæc de cœlo lumina frequenter hausisse creditur, tum ob intimam cum Deo unionem, et familiarem cum Angelis consuetudinem, qui suæ, et aliorum custodiæ designati erant; tum etiam ob illius beneficentissimam caritatem, qua proximorum necessitates omni ope sublevare studebat. Unde cum humana sæpe aut deessent, aut minus juvarent auxilia, novum profecto non fuerit, ad instantes, et humiles Augustini preces Deum afflictis, ac periclitantibus adfuisse, quanquam ipsi plerumque beneficii sequestrem ignorarent.

Ubicunque pedem figeret, divinum opus sic promovebat, ut fama in finitimos perlata populos, passim ab istorum Rectoribus, et Curionibus rogaretur, ut ad se quoque accederet, sibique cœlestis doctrinæ panem impertiret. Neque multis erat rogandus, quem ad salutem omnium suus sponte zelus incitabat. Itaque dum tempus sineret, aliam ex alia profectionem sacram aggrediebatur, solumque rigente bruma quasi per trimestre spatium cessabat. Et quanquam vacationem istam non tam corporis, quam spiritus sui confirmandis viribus impendebat, non parum etiam tum dabat aliorum animis ad virtutem promovendis. Nam multi eum, e Clero præsertim, Lojolam insequebantur, ut sub illius magisterio piis animum commentationibus exercerent: multi eum et coram, et

per

per literas consulebant, quorum explicandis dubiis, conscientiisque dirigendis bonas quidem horas, sed bono cum fœnore collocabat. Eamque tot laborum seriem cum extenuato Augustini corpore comparantibus, res plane supra naturæ vires, Deoque tribuenda videbatur, qui eum singulariter ad juvandos quamplurimos destinaverat. Illud certe frequenter eveniebat, ut ad graves angustias, summamque debilitatem præ dolorum acerbitatibus redactus, ad omnia prorsus inhabilis videretur: et tamen occurrente quolibet divinæ gloriæ negotio, ut puta, moribundi confessione, vel pace inter dissidentes concilianda, vel ejusmodi aliis, subito se vegetum, expeditumque sentiret, tandiuque illi vigor inesset, dum opus, ad quod vocatus fuerat, absolvisset. Hoc edoctus experimento, nemini suam negabat operam, nihil interea de vita sua solicitus, quam Deo curæ esse agnoscebat.

Nunquam vero spiritali aliorum commodo sic inserviebat, ut aliquid de studio suæ detraheret perfectionis. Præter consueta domi exercitia, quæ vel in maximis occupationibus plene, ac fideliter peragebat, multa orationi dabat spatia in oppidis, ad quæ prædicaturus accessisset. Nam primis post adventum diebus, antequam audiendarum ingrueret celebritas confessionum, diutius ante Deum in Eucharistia præsentem perseverabat, ut eum sibi, suisque auditoribus propitium redderet, ab eoque fructum de laboribus suis uberem impetraret. Parcissime indulgebat somno, illiusque socius, vel maturrime surgens, semper eum extra lectum, et flexis orantem genibus inveniebat. Præparationem illam ad mortem, quam supra descripsimus, et pium per singulos menses unius diei secessum inter magnos negotiorum fluctus constanter exequebatur. Ajebat enim, si ea, quæ a se Deus requirebat obsequia, fideliter præstitisset, suam cum hominibus industriam Deum quoque fortunaturum, ut copiosiorem prædam caperet animarum. Pari constantia in aliquod e vicinioribus Collegiis secedebat, ut triduum celebraret, quod votorum duplici renovationi quotannis præmittebatur: in eoque ita se cum ingenti animi fructu oblectabat, ut consuetudinem illam etiam emissa jam professione retinuerit. Hæc, aliaque his affinia testantur Augustini socii, e quibus Ignatius Arizaga, qui cum eo versatus est

diu

diu , hæc addit . „ In divini celebratione Sacrificii, quod „ Augustinus multo cum fervore peragere solitus erat , tenerrime illius animus commovebatur, quanquam in eo faciendo semihoram nunquam excederet . Eidem quotidie præmittebat confessionem , in qua singularia doloris edebat signa , „ nequissimum se reputans peccatorum omnium , cum tamen „ ego materiam absolutioni sufficientem vix invenirem. Sed „ illud longe maximum: in generali confessione , quam ab eo „ summo ipse rubore suffusus excepi , per totius vitæ suæ decursum ne levem quidem materiam , nisi valde dubiam deprehendi . Unde mihi quidem persuasum est, Augustinum „ non modo Baptismi gratiam servasse inoffensam , sed neque „ leve peccatum scienter admisisse . „

Hunc agendi modum tenuit Augustinus, dum iteratis excursionibus sacris Guipuzcoam , conterminasque Provincias peragravit . Sed illius jam ante affectam valetudinem assidui annorum viginti labores ita defatigarunt , ut iisdem diutius sustinendis imparem omnino esse dignosceretur : cum præsertim per os copiosum sanguinem reddidisset , et ingravestente anhelatione , qua semper laboravit , præcipuas sacri Oratoris partes explere non posset . Debuit ergo zelus illius divinæ cedere voluntati , quam ubique suarum scopum actionum sibi præstituit: relictaque acie , in qua præclaros de vitiis egerat triumphos , multaque ab infernis hostibus spolia detraxerat, Lojolam in suæ commorationis locum concessit . Non tamen ut otiaretur, eo devenit, sed ut alia jam arma, vel potius eadem alio modo tractaret . Quidnam ab eo tum vellet , interna voce Deus illi significavit: Hactenus , inquiens , in regiones ad gentes perquirendas te misi : nunc placitum est mihi, ut illæ deinceps domi tuæ te quærant . Quibus verbis illius vitæ ratio continetur , quam per insequentes annos duodecim observavit .

Magna cum Superiorum voluptate , et consolatione curam illorum suscepit Augustinus, qui Lojolam ad exercendam divinis meditationibus mentem accurrebant : Deusque vicissim illud visus est suscepisse, ut quamplurimos ad eum adduceret , in quibus ad virtutem promovendis præclaram operam collocaret . Omnibus anni temporibus non solum ex vicinia , sed remotis etiam ex locis, diversisque Diœcesibus convenie-

bant multi omnium ordinum homines, ut Augustini consiliis, et instructionibus in illo secessu animi pacem acquirerent, et ad melioris vitæ normam informarentur. Eidem plerique volebant universæ vitæ delicta confiteri ob eximiam de illius prudentia, er mansuetudine, morumque sanctitate conceptam opinionem. Et quanquam hoc onus Augustini vires excedere videretur, quippe frequentibus capitis, et stomachi doloribus afflicti, et a membrorum usu propter rheumatismos non modicum impediti; nemini tamen negabat aurem, suique dolores corporis hilari premebat vultu, ut a multis periculosiores animi morbos expelleret. Quicunque autem sub illo exercebantur, in domos suas lætissime regressi, multa de Exercitiorum præstantia, multa de P. Augustini dexteritate in his proponendis, deque cæteris ejus laudibus enarrabant. Unde fiebat, ut multi (pastorum adinstar Bethleemitarum, qui Nuntii cœlestis verbis exciti ad præsepe Domini cucurrerunt) ad veneranda S. Ignatii cunabula properarent, ibique meditandis saluberrimis illius documentis, Augustino interprete, per dies aliquot immorarentur. Contigitque aliquando, ut quotquot Equestris ordinis erant Azcoithiæ, facto agmine Lojolam devenerint: ubi ab Augustino, ad quem præmiserant literas, humaniter excepti, sacra Exercitia magna cum diligentia, parique profectu peregerunt. Neque pium hoc opus aut invitante magni jejunii tempore, aut annuæ communionis præceptum explendi causa, nobiles illi viri susceperunt; sed in anni statione longe diversa, in eumque finem, ut et animis suis prospicerent, et optimum regendæ familiæ modum edocerentur. Multi alii nobiles, ac divites, ut ex Augustini epistolis apparet, post facta Exercitia, certum meditandi spatium, examinandæque conscientiæ, lectionis item sacræ, Rosariique recitandi sibi, suisque domesticis designabant.

Sed uberiores justitiæ fructus ab animarum Curionibus, aliisque Sacerdotibus colligebat, qui Lojolam etiam peregre convenientes, ad explendas officii sui partes, in quo præcipue populorum salus vertitur, diuturna meditatione, atque Augustini cohortationibus incitabantur. Inter alios quidam illuc accessit, moribus quidem Sacerdotio minime consentaneis, sed qui multa devictus amicorum prece, ad illa probanda Exerci-

tia

tia animum tandem induxit. Excepit eum comiter Augustinus: et ad cubiculi limen, in quo exercendus erat spiritu, admixta mansuetudini gravitate, his illum conceptis verbis alloquitur: *Adverte, Domine: adverte, quæso, quo pedem inferas. Non enim diu est, cum alius in hoc ipso cubiculo sacris vacavit Exercitiis: hisque finitis, paulo post vitam etiam finivit. Idem futurum est tibi. Vide ergo, ne præsentem opportunitatem elabi tibi permittas.* Ad hæc verba Sacerdos, tanquam vulnere vitali loco tactus, non potuit non commoveri; magnam quippe de Augustini sanctitate conceperat opinionem. Et cum suam in obeundis Exercitiis diligentiam valde probasset Augustino, is illum dimisit opportunis instructum admonitionibus, ut sanctioris vitæ rationem domi suæ institueret. Hanc ille vix inchoaverat, cum morbo correptus est, qui ei vitam eripuit cum ingenti suo gaudio, et spe magna beatitudinis obtinendæ.

Quo major esse posset ad exercendum spiritum et numerus hominum, et commoditas, obtinuit a Superioribus, ut certum Collegii membrum huic utilissimo ministerio destinarent. In eo Augustinus præter cæteras officinas, et opportunam cubiculi supellectilem, Sacellum quoque pulcherrimum constituit, quod pretioso sacrificali apparatu, et optimis imaginibus sacris instruxit. Perfectum denique Asceterium instituit, cujus laudes cum longe fama diffunderet, major erat in dies et adventantium eo concursus, et inde proficiscentium utilitas. Sed cum pium illud opus secundissimo cursu procederet, Deus, qui servos suos in iis etiam rebus, quæ maxime ad divinam gloriam spectant, probare consuevit, Augustini constantiam, ac fidelitatem voluit experiri. Inter cæteros, quos ibi nactus est Superiores, unus fuit, qui tantam Ascetarum frequentiam per totius anni decursum quibusdam de causis improbabat: unde certos Augustino fines statuit, intra quos suum juvandi proximos contineret studium. Paruit ille continuo, nullis ad excusandam suam, nedum ad Superioris agendi rationem incusandam rationibus adductis. Nec diu sine præmio fuit tam humile, ac promptum ad imperantis voluntatem obsequium. Nam Deus mox illi de Moderatore alio providit, qui piam illam institutionem egregie promovit, et liberam Agustino fecit potestatem, ut quolibet anni tempore quoscunque posset, ad spiritus admitteret Exercitia. Huic

Huic gravissimæ occupationi aliam non minus utilem, et laboriosam adjunxit. Ut enim absentes etiam, et posteros adjuvaret, libros aliquot edidit spirituales, ab ipso Cantabrice scriptos, aut in eam linguam conversos, quibus earum regionum incolis mirifice profuit, apud quos magna tum erat ejusmodi librorum inopia. Scripsit inter alia: De ratione juvandi moribundos: quod opus inter Parochos magno in pretio erat, et in usu. De ratione confitendi, et communicandi, Missamque audiendi cum fructu: Catechismum a P. Gaspare Astete compositum: Considerationes in Exercitia S. Ignatii: Vitam S. Isidori Agricolæ: Hieronymi Dutarii librum inscriptum *Vita christiana*: aliosque his similes, omnibus quidem Cantabris utilissimos, sed maxime rusticanis, et servis, quibus ignota est plerumque vulgaris Hispanorum lingua Castellana. Et ubique tam avide sunt excepti, ut passim vel in pauperum tuguriis invenirentur, et legerentur: visaque nonnunquam fuit agricolæ cujusdam filia, quæ morienti Patri opportunissimos affectus ex Augustini libro, cum ingenti fervore, sensuque tenerrimo suggerebat.

Non animis tantum, sed corporibus etiam subveniendis, quantum operæ poterat, impendebat. Haud exiguas a divitibus collegit pecuniæ summas, in eos præsertim pauperes erogandas, quibus pudor ora præcludit ad rogandam stipem. Multum etiam adlaboravit in nova Hospitalis domus Azpeithiæ institutione pro curandis, et instruendis infirmis, nonnullisque pueris educandis. Nihil enim erat, quod solicitam ejus effugeret caritatem. Unde multi, gravesque viri sentiebant, Augustinum, dum Lojolæ consedit, non minus hominibus profuisse, quam si Provincias, ut antea, prædicando percurrisset. Simulque illud habebant persuasum, in tanta corporis debilitate non posse eum tam multis, ac difficilibus rebus expediendis sufficere, nisi a Deo singulari quadam ratione confirmaretur.

Tot enimvero incommodis premebatur, ut eis robustissimus quisque conficiendus esse videretur. Nam præter intensos aurium, ac dentium dolores, rheumatismus jam totum sinistrum latus occupaverat, peneque impedierat. Præterea cephalææ molestiis ita erat afflictus, ut interdum per tres conti-

ti-

tinuos dies vix cibum, et somnum capere sineretur. Inde magna virium defectio, magnæque angustiæ, ut neque stare, aut sedere posset, nec vero cubare sine gravissima difficultate. Id quidem per hiemem, aut flante vento frigido, frequentius quam in æstate patiebatur: nunquam tamen per annos quamplurimos sine aliquo valetudinis incommodo vitam ducere visus est. Sed hos corporis cruciatus mirum quantum afflictiones animi excederent, ab Dæmonum insectationibus ortæ, qui eum ex intervallo dire vexabant. Modo funestissimos de incurrenda damnatione timores injiciebant: modo autem varias horribilium instrumentorum species objiciebant, quibus eum ligandum, torquendum, et confodiendum minabantur. At ille, ut callidi hostis insidias superaret, larvasque contemneret, erectum in Deum animum firmissima immensæ Bonitatis ejus fide roborabat, spemque concipiebat indubitatam, ipsius opem sibi adfuturam, ne succumberet in certamine, in quod a Deo productus erat, ut vinceret. Nec vero sua eum fiducia frustrabatur: nam sæpe divini luminis radius illius mentem repente collustrabat, quo potestas tenebrarum dissipabatur, ipseque pristinæ redditus tranquillitati, paratiorem exhibebat animum ad novos adversariorum impetus sustinendos. Et quanquam noctu præ lassitudine corporis, et capitis defatigatione neutiquam fieri posse credebat, ut postridie rem divinam faceret; nihilominus ad indictam horam surgebat e lecto, et sacris postmodum operabatur, vires ei Domino suppeditante, qui utique illum in eam pugnam immiserat. Nonnunquam vero, Missam celebrabat, etiamsi gravibus interea doloribus torqueretur, quoniam nil æque sibi dolebat, quam ut illam vel semel prætermitteret.

In tanta valetudinis imbecillitate verendum erat profecto, ne decreta per id tempus Sociorum omnium ab Hispaniæ finibus expulsio supremum Augustino diem acceleraret. Vix enim ulla re magis commovebatur, quam Societatis incommodis, et calamitatibus, cum erga illam, perinde ac filius in matrem, tenerrime afficeretur. Nunquam tamen pacatiorem, addo etiam lætiorem animum exhibuit, quam cum e domo sua jussus est in exilium cum cæteris Sociis excedere. Decretum hoc attente auscultavit, reverenter excepit, seque sine ulla perturbatione

ne

ne ad exequendum illud accinxit. Oculos in cœlum sustulit, adorataque Numinis providentia, illi se sponte subjecit, gratiasque egit pro novo illo difficilique labore, quem sibi, suisque Sociis, tanquam amoris argumentum præcipui, perferendum imponebat. Hac animi excelsitate, quam sui quoque fratres præseferebant, postridie cum iisdem egressus est in exilium. Ad S. Sebastiani portum navem jam conscensurus, cuidam ex intimis suis dixit: Cordis mei jubilum, internamque lætitiæ voluptatem verbis explicare non valeo. Videor equidem mihi, majus hoc gaudium humanitus haberi non posse. Ore te modo, ut me in aliquo navis angulo colloces, is enim mihi cœlum erit. Nec secus illi fuisse oportet, qui super irrequietos æquoris fluctus animi tranquillitatem in ejus latibuli angustiis imperturbatam servavit. Ibi, quantum potis erat, a nautico semotus strepitu, ea dabat orationi tempora, quæ sibi cætera officia reliquissent. Ex quo frequenti cum Deo congressu suavissimam divini Spiritus unctionem reportabat, quæ suos sibi labores ita deliniebat, ut adversa pati jucundissimum duceret: nullam ratus aptiorem vitæ suæ coronidem impositurum, quam si eam multis adhuc laboribus exercitam, in magna hominum derelictione, et humanarum rerum inopia consummaret. Dum maritimum iter habuit, quanquam ipse ob virium debilitatem Sacrum facere non potuit, quibuscunque diebus fieret, synaxim accipiebat, præmissa de more confessione, et gratiis per horæ ferme spatium persolutis. Atque ex hoc crebro rerum divinarum usu non modo robur animi ad exilii ærumnas magnanimiter sustinendas, sed lumen etiam ad prævidendas illas hausisse videtur. Prope eum locum unde primum Centumcellæ portus navigantium oculis aperitur, quidam Sociorum ad Augustinum lætus accedit, eique proximum navigationis terminum gratulatur: Cui ille: *Precare Deum*, inquit, *ut patientiam tibi suppeditet ad labores alios, qui nos manent, pro illius amore tolerandos*. Non parum ad hæc verba ille alius obstupuit, cum jam ante suum demisisset in pectus, Augustinum de futuris non raro divinitus admoneri. Atque omne tum posuit dubium, cum post aliquot horas nuntius ad classem adducitur, expulsis ab Hispania Societatis hominibus ad Pontificiam ditionem aditum non patere. Unde opus fuit proras conver-

te-

tere, multasque cum labore multo Tyrrheni, ac Ligustici maris oras, et insulas legere, donec tandem ventum est Calvium, miserrimum eo tempore rebellatricis Corsicæ præsidium.

Cum primum e navi descendit, nihil sibi prius faciendum putavit, quam ut in templum recta contenderet, stupentibus passim Sociis, vires ei potuisse sufficere, ad asperrimum superandum clivum, cujus in eminenti urbs condita est supercilio. Sed vehemens Christi amor, cui nihil est arduum, animos illi addidit ad difficillimum iter aggrediendum, et conficiendum. Hic intermissam per navigationis moras sanctissimæ Eucharistiæ frequenter adorandæ consuetudinem non solum instauravit, sed compensavit etiam abunde. Quantum enim sibi per Superiores, et infirmitates suas permittebatur, tantum in æde sacra, vel certe domi suæ orationi tribuebat. Illudque non immerito multis erat admiratione dignissimum; cum pedibus ob nimiam debilitatem vix posset insistere, nixum tamen genibus per integras horas immotum perseverare: atque eo modo sex horas per diem orando excessisse, sæpe fuit a quibusdam observatum. Inde vero facile videre licet, durissimos exilii labores quo pacto tulerit. Cum enim animum, ab aliis jam occupationibus sevocatum, assiduis divinarum rerum pasceret meditationibus, famem, sitim, belli terrores, et pericula, cæteraque gravissima Calviensis commorationis incommoda jucunda sibi, non modo tolerabilia reddebat Christi amor, et illius participandæ Crucis desiderium. Et quanquam eum alte pungeret suorum fratrum acerba conditio, et miseratione compleret; aliunde tamen mirifice recreabatur, cum præclara in eis simul animadverteret patientiæ, ac fortitudinis documenta: ferventesque fundebat ad Deum preces, ut omnibus in vocatione sua perseverantiæ donum concederet: de cætero quidquid sanctissimæ voluntati suæ placitum esset, id demum fieret. Quadam die, dum in contemplatione defixus, ac velut extra se raptus hærebat, auditus est dicere: Electi sumus. Prædestinati sumus. Gratias agamus Deo. Quod de his eum pronuntiasse credendum est, qui in suscepto vitæ proposito constanter, ac fideliter permansissent. Propterea dolebat incredibiliter, dum aliqui propter ingravescentes quotidie calamitates ab statione recedebant: Miseram, exclamans, abeuntium

tium sortem! qui tam illustrem coronam e manibus sibi eripi sinunt!

In primo ad Calvium accessu (ut animos cuidam adderet, quem horrida loci facies, et rerum inopia conturbabat) dixerat Augustinus, Sociorum in ea urbe mansionem haud stabilem fore, sed inde alio educendos. Id post menses quatuordecim verum habuit. Tunc enim Galli denuo Calvium occuparunt, ut et alia præsidia Corsicæ, in quibus ejecti ab Hispania Socii residebant: et cum utrisque nec annona, neque tecta sufficerent, in regio Galliæ consilio decretum est, ut Jesuitæ ad Genuensium, vel ad Pontificis Maximi ditionem transferrentur. Nec mora: iisdem onerariis impositi, quæ militem Gallum advexerant, Genuam usque non longo quidem, sed propter intumescentes ultra modum undas molestissimo itinere pervehuntur. Post dies denique quinque ac viginti, magnis in mari et in portu toleratis incommodis, in terram expositi, omnes in proximo Lœmocomio includuntur præter infirmos. In his erat Augustinus, cujus obnoxium, ac debile corpus ingruentium malorum pondus diutius sustinere non valens, solito gravius ægrotavit: quanquam animo ita erat ad quælibet adversa comparatus, ut assiduas Deo ageret gratias, quod pro retinenda vitæ professione aliquid sibi cum fratribus suis pati concederet.

Ductus est igitur cum aliis plus centum ægrotis in Exercitiorum domum, quam Genuenses Soc. Jesu Patres in ea urbe satis amplam habebant: et qua erant caritate erga fratres suos insigni, decreverunt, ut Asceterium illud, quod sanandis, ac roborandis animis fuerat institutum, fieret modo pro medendis corporibus Nosocomium. Huc ex tirocinio accurrebat quotidie tironum globus, qui a mane usque ad noctem infirmis aderant, sternendis eorum lectis, purgandis sordibus, victu medicamentisque ministrandis, aliisque officiis obeundis prompto, et alacri animo, quem manibus potius, quam verbis significabant: seque sua caritate, et modestia, licet teneros adhuc, genuinos tamen S. Ignatii filios comprobabant, dignosque Josephi Solarii discipulos, qui Genuensi tirocinio tum præerat, cunctisque præibat exemplo, abjectissima quæque ministeria præoccupans, nullisque sumptibus parcens, ut exulum

fra-

fratrum incommodam valetudinem, et inopiam sublevaret. His tam ſedulæ caritatis officiis e morbo recreatus eſt Auguſtinus: et vix bene convaluerat, cum in eadem domo Exercitiis S. Ignatii per octo dies incubuit, ab omnium ſe abſtinens hominum, etiam ſuorum fratrum collocutionibus. Adeo illius animus ad utiliſſimam æque, ac jucundiſſimam cum Deo conſuetudinem ubique ferebatur. Rector vero Solarius optimis Auguſtini moribus, et exemplis ita captus eſt, ut eum ad tirocinium ſecum adducere, ibique locum ſuos inter ſubditos dare voluerit, ubi paucos qui ſibi ſupereſſe poterant dies, tranquilla in ſede finiret. Sed ille pro tam prolixa benefaciendi voluntate gratias agens cumulatiſſimas, ſatius et honeſtius eſſe reſpondit, ſi cum fratribus ſuis in deſtinatum exilii locum contenderet, eandemque laborum ſortem ſubiret cum ipſis.

Navem itaque tertio conſcendit, et cum cæteris, qui curandæ valetudinis cauſa Genuæ conſtiterant, Viaregium brevi, feliciterque deducitur. Inde terreſtri itinere per Ætruriam profectus eſt in Æmiliam, quo plerique Sociorum, horridis Apennini rupibus cum magno diſcrimine ſuperatis, pridem advenerant. Cum acceſſiſſet Bononiam, cujus in ditione ſedem fixerant Caſtellani, mandatum a Præpoſito habuit, ut in Caſtrum pergeret S. Joannis, quod ab ea urbe milliario decimo abeſt. Hic multos ſuorum fratrum invenit, qui conductis in domibus habitabant, non ſpatioſe quidem, neque plurimarum rerum non indigentes; ſed multo quam in Corſica melius, et ab omni armorum ſtrepitu ſub pacifica Rom. Pontificis dominatione penitus liberi. Vigebat quoque domeſticæ diſciplinæ obſervantia, factaque munerum, ac temporum convenienti diſtributione, quælibet earum domuum veterem Collegii Societatis ſpeciem referebat. Mirifice, dum hæc vidit, lætatus eſt Auguſtinus, immortaleſque Deo gratias egit pro tam conſpicuis paternæ ſuæ providentiæ ſignificationibus. Poſtquam ad illud oppidum venit, in id unice intendit, ut ſe ad moriendum præpararet: ibique vitam inſtituit ab humanarum tractatione rerum penitus abhorrentem.

Multas domi, et in templo per dies ſingulos agebat horas cum Deo, contemplandis illius perfectionibus, ejuſque beneficiis, et promiſſionibus ſuaviſſime recolendis: atque eo modo

do adventum Domini sui tanquam servus fidelis, et vigil expectabat. Duos habebat in angusto cubiculo contubernales: sed neque istorum convictus, neque res alia quælibet illius avocabat animum ab assiduæ, atque attentissimæ contemplationis studio. Et cum diligenter caveret ipse, ne cui molestiam ullam afferret, nolebat quemquam de illatis sibi, aut inferendis incommodis solicitum esse, quippe cum vilissimum se omnium reputaret. Missam, antequam decumberet, quotidie celebrabat tanta cum animi exultatione, ut sacro peracto mysterio, cœlum potius, quam terram inhabitare, neque ullis hujus vitæ miseriis obnoxius esse, sibi videretur. Aliqua spatia temporis fovendæ tribuebat caritati, perhumaniter ad consuetas horas cum fratribus colloquens, qui se Augustini verbis non recreari modo, sed mirabiliter ad pietatem permoveri fatebantur. Nullum adversus eos verbum unquam protulit, qui calamitatum auctores fuissent, quæ Societati supervenerant: eos potius Deo valde commendabat, ferventissime iterans notissima illa verba Domini Salvatoris: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*. Sua tantummodo culpabat peccata, quæ ipse gravia et enormia esse, adeo asseveranter ajebat, ut ii de tam profunda humilitate stuperent, qui vitam ejus innocentissimam, et mores noverant integerrimos.

Antequam extremo correptus est morbo, Confessarium suum advocans, cum eo de morte sua ita disseruit, quasi eam jam appetentem aspiceret; et cum pro certo poneret, illum in extremo agone sibi adfuturum, ut re vera contigit: Nihil tum, dixit, opus est facto, nisi ut me ad fiduciam excites in Dei misericordia. Ob hæc, et alia his similia credebat Confessarius, Augustinum sui obitus horam præscisse. In eadem sententia is erat, quem ad sacras Missiones comitem habuit. Huic enim Augustinus, antequam graviter ægrotaret, quasi jam ultimum valedicens, libellum dono dedit, nihil aliud sibi esse affirmans, quo gratum animum testaretur: Sed cave, subjunxit, ne id cuiquam dixeris. Et cum is reponeret, nihil esse cur de propinqua morte cogitaret, cum potius sperari posset, diutius esse victurum: Jam non diutius, dixit ille, non diutius. Per eos etiam dies prænuntiaverat obitum Petri Rodericii, qui gravi morbo ibidem tenebatur: et nonnullis, qui prædictionem il-

illam nimis ominosam existimabant, cum Rodericius esset juvenis, et spes melioris fortunæ affulgeret: Quid faciemus? respondit Augustinus. Huic Patri juveni, non secus ac mihi seni, præstituta moriendi dies advenit. Et vero inter Rodericii, et Augustini mortem viginti admodum dies intercessere.

Cum letali tactus fuit morbo, invisenti Medico dixit, ut libere suum ageret munus; se ad illius imperium obsequentem instar novitii fore confirmans. Nec secus deinde re præstitit: unde Medicus sub morbi finem, cum singularem ejus obedientiam observasset, heroicamque patientiam, et affabilitatem, quam inter gravissimos exhibuit dolores, qui ei per dies aliquot vix ducere spiritum permiserunt, dixit admirabundus: Mihi quidem omnino persuasum est, Patrem hunc e lectulo in cœlum recta conscendere. Ignatius Arizaga, qui socius Augustino fuerat in sacris expeditionibus, ad eum salutandum ingressus, sermonem de iis rebus instituit, quibus sciebat magnopere delectari: de morte videlicet, et gloria cœlesti. Auscultabat libentissime Augustinus, et in mediis dolorum acerbitatibus magno superfusus gaudio exclamavit: Utique, Pater, vehementer cupio dissolvi, ut esse possim cum Christo: in cœlum, in cœlum properemus. Idem fere respondit condiscipulo suo Joanni Antonio de Paz, qui Deum in Sacrificio precari ajebat, ut ei salutem redderet, aut id saltem, quod magis expediret. Cui ille continuo: In cœlum, Pater mi, in cœlum, ut Deo fruar. Quæ verba tam ardenti, ac tenero pietatis sensu protulisse affirmat Joannes Antonius, ut ipse obortis lacrymis inde discesserit, nihil hæsitans, Augustini spiritum, cum primum corporeis retinaculis absolveretur, in cœlum evolaturum.

Quoniam credebat ille, aut etiam sciebat, infirmitatem illam sibi ultimam fore, optabat sacro muniri Viatico: illudque jam petierat ea cum submissione, quam in omnibus observabat, ut nollet Superioris, aut Medici judicium ulla ratione antevertere. Ajebat autem, se, suaque omnia apud sanctissimum Cor Jesu deposuisse, atque ad profectionem ex hac vita ducem, et adjutricem sibi delegisse S. Teresiam, cujus erat colendæ studiosissimus. Moras nihilominus nectebat Medicus, qui nondum instare periculum judicabat. Sed cum ad

vi-

visendum ægrotum quadam nocte venisset ( ea nox erat, quam excepit lux festa S. Teresiæ ) et in eo deteriora quædam signa observasset ; dixit , ut postridie mane sacrum Viaticum acciperet. Hæc ut audivit Augustinus , multas Deo gratias egit exultabundus, ac suum illud carmen: *in cœlum*, *in cœlum*, iteravit. Facta confessione peccatorum, Confessario suo dixit, ut ab aliquot Patribus, quos suo quemque nomine designavit , pro se preces , et orationes exigeret , pollicitus vicem reddere, cum primum in Dei conspectum advenisset. Quæ cum dixisset , mentem et cogitationem suam a creatis rebus omnibus avocavit, ut eam ad Creatorem omnino converteret.

Postera die sanctissimum Eucharistiæ Viaticum sumpsit inter ardentissimos amoris, et fiduciæ actus, magnasque profundæ humilitatis, ac reverentiæ significationes. Atque ab eo temporis articulo quasi in excessum mentis abreptus, Deoque immersus ita permansit, ut vix alia verba protulerit, nisi ut medentibus, ac Superioribus responderet. Cum dixisset ei Medicus, vereri se, ne illius vita brevior esset, quam initio existimaverat; his tantum respondit: *Fiat voluntas Domini*: quæ verba iterum, ac tertium ferventissime, suavissimeque pronuntiavit. Cæteris, qui ad invisendum illum ingrediebantur, secundum primam salutationem, quam humaniter de more reddebat, extento sursum digito, aliisve nutibus significabat, suam in cœlis esse conversationem, divinisque intentum esse colloquiis. Id adeo erat, ut Confessarius ipse, quem ab Augustino præmonitum fuisse jam diximus, ut sibi in illa hora fiduciæ in Deum affectus suggereret, istud non nisi raro agere auderet, ne suavem illius quietem abrumperet , aut ea impediret, quæ Deus in illius animo misericorditer operabatur. Triduum hoc modo vixit inter ineffabiles cœli delicias, expectans cum pace, ut ajebat ipse, adventum Domini, et cum admirabili spiritus tranquillitate, qua Deus remuneratam voluit exquisitam sui cordis munditiam, et animi puritatem.

Illuxit demum decima octava dies Octobris, solemnibus S. Lucæ dicata , quæ postrema futura erat Augustino. Sub auroram illius diei nihil in eo novum apparuit, asserebatque Medicus, aliquot insuper dies fore victurum. Ipse vero, ut qui suam noverat horam, oleo sancto petiit inungi. Cum a

Sa-

Sacrificio redirent Patres, vocem ei defecisse agnoverunt, ideoque illi extremam unctionem administrarunt, magna cum admiratione Medici, qui tum etiam adfuit, nullumque vel in pulsu, vel in cætero corpore propinquæ mortis indicium observabat. Admonitus a Confessario de recipienda peccatorum remissione pro mortis articulo concessa, statim demisso reverenter capite annuit. Deinde quotquot domi erant Socii, Deo illius animam designatis ab Ecclesia precibus commendarunt: intereaque Medicus cum alio Sacerdote, accenso lumine miram ægroti tranquillitatem stupenti similis observabat, neuterque dignoscere potuit, quo temporis puncto spiritum emiserit. Hoc modo sine ulla vultus, aut corporis contorsione animam Creatori suo reddidit, atque ut vere dicam, obdormivit in Domino P. Augustinus Cardaverazius circiter octavam horam matutinam ante d. XV. Kal. Novemb. MDCCLXX. annos natus septem et sexaginta, citra menses duos, dies decem. Vir singulari morum innocentia præditus, quem Deus altissimæ contemplationis dono, ac divinis illustrationibus decoravit: uberrimis ex Apostolico munere collectis fructibus locuples: experientissimus vitæ spiritualis Magister, cum ipse vitam egerit, teste Petro Calatayudio, potius Angelicam, quam humanam. Virgo corpore, et mente, qui ad extremum usque spiritum innocentiæ stolam intaminatam servavit: et quam accepit in Baptismo gratiam, assiduis heroicarum virtutum actibus, et quotidianis auxit accessionibus meritorum.

Sepultus est in Parochia Collegiata prædicti oppidi S. Joannis, in fornice sub aram structo maximam, arcæ inclusus ligneæ, quæ gemina fuit obserata clave; quarum altera tradita est P. Laurentio Uriarte Provinciæ tum Castellanæ Præposito; alteram sibi retinuit R. D. Aloysius Gnudius Archipresbyter illius Ecclesiæ, cujus interventu, et placito acta sunt omnia. Intra arcam ad cadaveris pedes reposita est theca parva ex ferri lamina cum inclusa charta pergamena, quæ nomen et patriam, ortus et obitus diem, aliaque demortui decora exprimit, et ad calcem obiisse dicitur cum fama sanctitatis.

Statim post illius obitum multi se Deo per Augustini merita commendarunt, ejusque deosculati sunt corpus, et aliquid eorum, quæ illi usui fuerant, venerationis causa sibi habendam

dum studuerunt. Inter Provinciæ Socios, cum ad eos de more nuntium mortis advenit, de magnis ejus virtutibus, deque integerrima vita multus fuit sermo. Hi enim, qui diutius, ac propius eum inspexerant, virum eximie perfectum, sanctumque appellabant: qui vero non ita diu cum illo egerant, exemplar nihilominus religiosi hominis, legum observantissimum, et insignem Societatis Jesu Operarium fuisse testificabantur. Nec tamen sciebant ipsi donorum cœlestium copiam, singulariaque beneficia, quibus animam hujus Servi sui Dominus cumulavit. De his satis copiose agitur in Augustini Vita, quam jubente Provinciæ Præposito scripsit P. Julianus Fonseca, qui etiam virtutum ejus epitomam attexuit, brevem illam quidem, sed qua summus perfectionis apex continetur. Et quoniam ego de Augustini virtutibus, quantum hoc genus scripturæ patitur, non parum dixi, superest, ut de supernis luminibus, et familiari cum Deo consuetudine quædam etiam hic breviter perstringam.

Ab ipso tirocinio aperuit illi Dominus thesauros, qui absconditi sunt in Christo Jesu, a quo benigniter invitabatur, ut per hanc æternæ vitæ januam ingrederetur. Propterea sæpe se illi varia sub specie conspiciendum exhibuit: nunc pueri gratiosissimi, et immenso splendore circumdati: nunc modestissimi juvenis, qui vel crucem portabat humeris, vel præcinctum spinis caput exhibebat, et ad sequenda sua præcedentis vestigia invitabat: nunc habitu mortalis hominis, qualem se in hoc mundo gessit: nunc denique gloriosus, et immortalis, qualis modo sedet ad dexteram Æterni sui Patris. „ Optabam „ ego semper, ait ipse, ad dulcissimos ejus pedes procumbe„ re, ut peccata mea deflerem. Interdum vero id efficere non „ me sinebat divinus ille, ac benevolentissimus Juvenis, sed „ me potenti sua manu benignissime sublevabat, et secum arc„ tissimo, ac suavissimo complexu sic stringebat, ut in dulce„ dinis pelago submersum me reputarem, et tantum non age„ rem animam præ amoris, et gaudii magnitudine. „

Hujusmodi visitationes frequentissimæ fuerunt ab altero tirocinii anno, deincepsque dum Philosophiæ, ac Theologiæ operam dedit. Et cum rationem interioris vitæ suæ jussus est reddere, de primo illo tirocinii tempore sic scribebat. „ Postquam

,, quam quintum fere mensem egeram in Seminario, per longum multorum mensium spatium referre non possem assidua pene beneficia, quæ Dominus in quovis tempore, ac loco, etiam in Populeto, et Valetudinario super cor meum effundere dignatus est. Et cum tot illa sint, ac tam varia, memini tamen quo loco, et tempore, quave occasione contigerint, quin possim eorum oblivisci, nisi cum Dominus animam in paupertate sua relinquit: nam in tempore ariditatis nihil eorum meminit, quasi nullum unquam solatium degustasset. ,,

,, Feria quarta hebdomadæ sanctæ orabam in Choro parvo, vehementique tenebar desiderio aliquid pro Domino tolerandi; qui per eos dies tam multa pro me passus erat. Dum hæc mecum volverem, apparuit mihi Dominus, Coronam spineam tenens in dextera: mihique significabat, eamne vellem accipere, simulque innuebat nondum illam totis animi viribus desiderasse. Ego vero illius habendæ desiderio conficiebar, ajebamque illi cum intimo affectu: Coronam istam, Domine! Ah! Domine Jesu, da mihi Coronam istam. Hanc ego, Domine, ad imitationem tuam exopto, eamque ex toto corde desidero. Hæc inter vota, cum se Dominus inclinasset, ut mihi Coronam imponeret, cecidi in spiritu tanquam mortuus inter gemitus, et suspiria doloris simul, et gaudii. Cum autem postmodum me recepissem, ubicunque Corona illa contigerat, vehementissimos dolores sensi, quibus nunquam, dum vixi, expertus sum acerbiores. Per triduum illud Passionis Dominicæ tenuerunt dolores hujusmodi usque ad vesperum Sabbati: ac licet intensi adeo essent, ut dixi, me tamen nihil exterius, aut interius ab explendis officiis impediebant, neque item ut integrum diem in assiduis ad Deum aspirationibus transigerem. Mysterium hoc Coronæ Domini cordi meo altissime insedit, exindeque majorem in modum affectus sum erga illud. Feria sexta ejusdem hebdomadæ, cum in templo essem sub vesperum, adfui in spiritu in Calvariæ monte ad Jesu Christi pedes in Cruce suffixi. Mons ille mediocrem altitudinem parum excedebat, totumque occupabant tenebræ, non tamen adinstar noctis. Aderam ego dulcissimo Redemptori Jesu

,, cum

,, cum ingenti dolore, ac pœna. Dixitque mihi Dominus, ut ,, sacratissimæ Passioni suæ devotissimus semper essem, quotidieque dolores suos recolerem memoria singulari: quæ ,, cum dixisset, præcipuum mihi pietatis affectum magno simul ,, cum lumine infudit circa singula sanctissimæ suæ Passionis ,, mysteria. In die vero Resurrectionis, postquam Dominum ,, in sacra communione susceperam, idem se mihi gloriosum, ,, et triumphantem ostendit, et splendoribus fulgentem intra ,, pectus meum, quod speciem quadrati cœnaculi referebat, ,, ac Dominus introitu suo totum illud habitaculum fulgore ,, replevit. Supra modum recreatus sum ea visitatione Domi- ,, ni, qui me gaudiis cumulavit inexplicabilibus, simulque innuit, suorum participem fuisse dolorum optimam esse præ- ,, parationem ad jucunditates, et gaudia cœlestia partici- ,, panda ,,.

Inter has Augustini visiones paucæ admodum fuerunt corporeæ, seu sensibiles; multæ quidem imaginariæ, sed multo plures intellectuales, quæ minus errori subjacent, ac deceptioni. Nonnullas etiam habuit per symbolum, aut ænigma, sub quo valde utilis ad animi profectum doctrina continebatur. Talis ea fuit, quam hic ipsius verbis subjicio. ,, Cum ,, orarem aliquando in Sacello Populeti (Villa erat, in qua no- ,, vitii rusticabantur) viridarium mihi ad latus fuit exhibitum, ,, multis quidem distinctum areis, sed floribus paucis ornatum: ,, parum revera visu delectabile, peneque totum herbis horri- ,, dulum inutilibus. Post hæc hominem vidi sub Hortulani ,, habitu, qui cum viridarium circumspexisset, illud sarrire ,, cœpit, et excolere: denique ad me conversa facie novas ,, ponere plantas perrexit. Hic omnino visum illud evanuit. ,, Dominus autem indicavit mihi, se Hortulanum esse, qui ,, flores virtutum inserere volebat cordi meo, cujus erat ima- ,, go viridarium. Symbolum hoc, licet fuerit insignis mei vi- ,, tuperatio, cum viridarium adeo inamœnum esset, purissimis- ,, que Dei oculis injucundum; magno tamen incitamento mihi ,, fuit ad virtutem, cum viderem, ipsum Dominum illius co- ,, lendi curam suscipere. Atque hæc mea perfectiorem ad vi- ,, tam stimulatio finis utique fuit, quem Deus in ostento illo ,, sibi proposuit.,,

Pau-

Paulo antequam Sacerdos fieret, singularissimum a Deo beneficium accepit, quod refert ipse in hunc modum: ,, In ,, die festo dulcissimi Nominis Sanctissimæ V. Mariæ, indul- ,, gentissimæ Matris meæ, lectioni spirituali operam dare cœ- ,, pi sub ipsum fere noctis crepusculum, eoquod rebus aliis ,, distentus fueram a Superiore. Loquens autem cum dulcissi- ,, mo amore meo Jesu, peramanter apud ipsum conquestus ,, sum, quod eum a prandio invisere non potuissem, neque ,, aliquandiu cum ipso conquiescere in odeo. Non multo post, ,, quasi compellantis more, fecit ut in eum oculos intenderem: ,, et cum ex ineffabilis pulchritudinis suæ conspectu mirabili- ,, ter delectarer, vidi eum divinis ac potentibus suis manibus ,, pectus suum, et vulnus divini lateris sic aperientem, ut ma- ,, nifeste patefieret divinum illius Cor, amoris immensi fornax, ,, et beatissimæ Triadis solium pretiosissimum. Cum igitur ,, pateret illud Divinitatis Sacrarium, benignissimus amor ,, Jesus inexplicabilis affabilitatis indiciis mihi dixit, ut in il- ,, lud ingrederer ad quiescendum. *Ingredere*, *fili*, dixit, *intra* ,, *Cor meum*, *in eoque pro tuo libito requiesces*. Suspensus ani- ,, mi hærebam ego: Dominus autem continuo me manibus ,, suis introduxit in amabilissimum illud centrum immensæ vo- ,, luptatis. Ah! Jesu, amor meus! Ecquis hic porro pergere ,, possit, et non potius præ amore tuo mortuus concidat, et ,, in beatam avolet æternitatem? Ingressus sum ergo per vita- ,, lem illam januam amoris, qui dixit: *Ego sum ostium*. Et ,, cum primum in divino Corde recepta fuit anima mea, il- ,, lam omnino perfudit divina quædam suavitas adeo fragrans, ,, et peregrina, ut statim submersus sim et absortus in im- ,, menso pelago Divinitatis....vidique in illa sacra caligine, ,, et immersione Divinitatis altissima mysteria... Postquam ad ,, me redii, Dominus blandissime mihi dixit: *Fili*, *nunc pri-* ,, *mum intra divinum Cor meum receptum habuisti*. *In poste-* ,, *rum liberum habebis aditum*, *ut in illud ad arbitrium tuum* ,, *intres*, *et requiescas in me*. *Hic sedes statuenda tibi est*, ,, *habitaculumque figendum*. *Ego sum Deus tuus*, *dilectus tuus*. ,, *Ego sum*, *et esse cupio totus tuus*, *et te vicissim totum esse* ,, *meum*. *Ego te elegi*, *et tanquam rem meam habere te volo*. ,, Hæc aliaque altissima verba, et facta beneficium illud inclu-

„ sit, quorum deinceps expertus sum eventum. Glorificetur „ in æternum Dominus Majestatis. Etenim solum ingrati mei „ animi vitium obstare potest, ne calamum manu tenens, præ „ amore mortem occumbam, dum divinos amoris mei Jesu „ benefaciendi modos perscribo.... Hujusmodi beneficiis, et il-„ lecebris suavissimorum verborum, et promissionum; divini „ cujusdam intuendi modi; penetrabilium, ac jucundissimorum „ vulnerum ac spiculorum amoris; castissimorum amplexuum; „ aliarumque multiplicium insinuationum dulcissimi amoris mei „ Jesu plena sunt viscera mea, et medullæ cordis; totidemque „ sunt amoris stimuli ad excitandum torpidum, infidum, in-„ gratum, ac tepidum cor meum. „

His multo plura, nec minus admiratione digna, sublimisque doctrinæ referta documentis, ex Augustini literis desumerem, nisi timerem præscriptos mihi ad scribendum fines præterire. Has literas, dum viveret Augustinus, inviolabilis silentii fide reservarunt, qui eas habuerunt: post illius mortem vulgandas censuerunt, ut et immensa Dei benignitas erga Servum suum, et hujus singulare meritum innotesceret. P. Petrus Calatayudius, cujus magisterio, et consiliis per annos quadraginta quatuor usus est Augustinus, de hujus literis, et scriptis videri sibi dixit: „ Plena esse unctione Spiritus „ Sancti. Et viros etiam doctos, atque exercitos in regendis „ animis a Deo singulariter illustratis, postquam S. Gertrudis „ volumina, Vitamque interiorem, et Mansiones S. Tere-„ siæ, Mysticam Dei civitatem, aliaque id genus opera le-„ gerint, accurateque evolverint, si ad legenda P. Augusti-„ ni scripta animum adjecerint; existimo, ait, gloriam datu-„ ros Deo, eisdemque admirationi fore vitam illius abscon-„ ditam cum Christo in Deo. „ Idem etiam judicat, Augustini virtutes Theologicas, et Morales in summo gradu heroicas fuisse. Atque hoc unum testimonium, quod sua ipse manu subscripsit, pro multis adduxisse sufficiat, utpote viri sanctitate, doctrina, rerumque spiritualium usu præstantissimi. Qui plura de Augustini virtutibus nosse velit, legat illius Vitam, quam Julianus Fonseca Hispano sermone concinne, et eleganter scripsit.

JOAN-

# JOANNES MARTINUS ZUBIRIA.

Anno superioris seculi octavo et octogesimo Jabari natus est Joannes, in Diœcesi Pompelonensi, sexto Idus Novembris. Primum et trigesimum ætatis annum pene jam expleverat, cum ad Societatem nostram accessit: huic enim inter Adjutores rerum temporalium fuit adscriptus die septima Octobris anni 1719. Sed veniendi moram laborandi sedulitate, atque adeo diuturnitate supplevit. Nam per annos quinquaginta duos in ministeriis Adjutorum propriis ita desudavit, ut omnibus status sui partibus plene satisfecerit: pauper semper et humilis, patiens laboris ac disciplinæ, ad frangendam naturæ contumaciam strenuus, piarum rerum studiosissimus, suisque Superioribus vel ad nutum voluntatis obediens.

Maximam diuturnæ suæ vitæ partem in duabus administrandis Villis exegit, altera Collegii Salmantini, altera vero Abulensis. Quo in munere, quam de se moverat expectationem, utrobique sustinuit; tum promovendis prædiorum fructibus pro ea, quam habebat de re agraria peritiam; tum maxime retinendo vitæ observantioris studio, quod sive domi degeret, sive ruri, constantia secutus est immutabili. Inde apud homines seculi, quibuscum frequenter agere coactus erat, benevolentiam, et venerationem obtinuit: quippe in eo animi rectitudinem, ab omni vel dolo, vel assentatione abhorrentem, suspiciebant: et propensam ad ipsorum commoda voluntatem haud poterant non amare. Apud domesticos vero simplicitas, et humilitas eum plurimum commendabat, illudque virtutis, ac perfectionis desiderium, quod S. Ignatius in domesticis Adjutoribus requirebat. Nam quamvis multis, et impeditis sæpe negotiis in agrorum cura distineretur, in iis tamen, quæ ad sui culturam spiritus attinebant, nunquam ita se impediri sinebat, ut opportunum orationi, lectioni, con-

scientiæ discussioni, aliisque piis operibus tempus sibi deesset aliquando.

Ab eo constanti spiritualium rerum usu solida illa hausit principia, quæ cum alte inhæsissent animo, in familiari quoque sermone frequenter inculcabat. De vilitate præsertim humanarum rerum, præstantiaque divinarum ita loquebatur, ut facile deprehenderetur, quanto hæ sibi essent in pretio, illas vero quantum despiceret. Neque illius verbis facta dissentiebant. Ex bonorum quippe temporalium contemptu in eam provectus est paupertatis perfectionem, ut non modo nihil haberet proprium, sed ne usum quidem eorum admitteret, quæ ad aliquam religiosæ vitæ commoditatem efficiunt. His contentus erat, quæ Superiores tanquam necessaria concessissent, quibus etiam abunde provisum esse sibi existimabat. Ardens vero supernorum amor assidue illum incitabat, ut ea vehementer expeteret, et ingenti solicitudine quæreret. Erga sanctissimum Eucharistiæ mysterium summopere afficiebatur: et quoties illud sumpturus erat, diligentem præmittebat apparationem. Facta enim pridie confessione, in qua nihil vel levissimum non eluebat, magnis se ipse desideriis, aliisque virtutum actibus excitabat ad Christum quanto reverentius posset excipiendum. Quæ quidem desideria sic illius animum occupabant, ut eadem etiam in somniis indicaret. Sæpe enim, dum Bononiæ vixit, qui prope illum cubabant, in hæc aliaque his similia verba per quietem erumpere audierunt: *Hodie Dominum meum hospitio sum excepturus: Eamus jam obviam illi*. Nimirum earum reliquiæ cogitationum, quas vigilans agitabat, suam quoque dormientis imaginationem exercebant. Appetente jam die, licet ætate gravis, mature tamen soliciteque surgebat; et in Sacellum, in quo sacrum apparandum erat convivium, summa cum defatigatione corporis, sed pari cum animi alacritate conscendens, ibi meditationi primum vacabat, deinde divino intererat Sacrificio, cœlestibusque sumptis epulis, in gratiarum actione mediam de more horam impendebat. Inde vigorem spiritus ad labores, doloresque sustinendos reportabat, imbecillo corpori vires animo suppeditante, quas ab eo cœlesti cibo desumebat. Etenim in ultima præsertim senectute ad probandam, et perficiendam virtutem ejus, Deus

us illum in conflictus sane quam difficiles immisit.

Multis jam laboribus in prædiorum diuturna procuratione perfunctus, tranquilliorem Abulæ degebat vitam, cum promulgata exilii lege, novam coactus est laborum seriem ordiri. Nam licet Collegii Rector multis instaret Prætori, ut Joanni exceptionem exilii daret, quippe seni jam pene octogenario, luminibus tantum non orbo, et cruribus ulcerato; Prætor tamen neque Joannem excipiendum duxit, neque tres itidem alios, quos Rector sine manifesto vitæ discrimine tam difficili committi viæ non posse contendebat: quorum duo susceptum iter perficere non potuerunt, et alibi decretum est, ut in Hispania remanerent. Id tantum concessit Prætor, ut iis quatuor vehendis infirmis plaustrum conduceretur, quod nullo adversus cœli injurias tectum erat integumento. Huc Joannes cum tribus sociis ascendit, multam et in vehiculi incommoditate, et in acerba sorte suorum fratrum patiendi nactus occasionem. Vix enim alibi durius, quam Abulæ, Socii sunt habiti, non tam ex Prætoris sententia, quam alterius, qui eidem aderat, instigatione. Cæteri Abulensis Collegii Patres partim caballis, partim asinis sunt impositi, adeo misere instructis, ut quibusdam eorum aut stapiæ deessent, aut fræna; alii vero pro ephippio saccum haberent, aspera reste succinctum. Neque pulvinos, ad emolliendam clitellarum asperitatem, e Collegio desumere permissum est: uti nec toralia quædam villosa, quæ Rector pro sternendo infirmorum plaustro petierat. Succlamabat enim Scriba, si tam multa secum Patres auferrent, vix sibi reliquum fore, quod in supellectilis inventarium referret. Sed Prætor ad iteratas Præfecti militum preces permisit tandem, ut plaustro culcitæ quatuor imponerentur, quæ duram, et inæqualem asserum contignationem mitigarent.

Hoc modo Joannes, cæterique ad octodecim Socii Abula profecti sunt, triginta tribus primi pili militibus circumcincti, et militari percusso timpano; quod similiter fiebat in quorumlibet oppidorum ingressu pariter, et eggressu, donec prope Burgos advenerunt. Tunc enim Burgensis Prætor, cum audisset quanto cum dedecore Abulenses Socii adducerentur, currus quinque dimisit, quibus excepti in urbem

bem ingrederentur. Multa etiam perferenda illis fuerunt in ratione victus, cum Præfectus itineris, ne sumptus ampliores faceret, modicam pecuniæ summam causaretur, quam ad eam profectionem acceperat. Hinc magnis quoque itineribus proficisci cogebantur, et cum ad diversoria nimis defatigati noctu devenissent; si Ulmetum excipias, ubi habiti sunt humanissime; vix ullam de cætero commoditatem ad curanda defessa corpora invenerunt.

His vexatus incommodis, cum in portum venisset Joannes, navemque conscendisset, haud minorem in ea patientiæ reperit occasionem. Res quidem erat dolore simul, admirationeque digna, grandævum videre senem per navim, quamvis innixum baculo, summa cum difficultate gradientem, passimque ob oculorum hebetationem aberrantem, atque aliis valetudinis affectum incommodis: qui tamen nullam doloris ederet significationem, neque aliam in afflictione sua præter hanc vocem emitteret: *Omnia propter Deum sunt toleranda*: *Fiat voluntas Domini*. Cum deinde venit in Corsicam, quanto graviora ibi pertulit, eo quoque firmiorem constantiam exhibuit. Nam labores illi gravissimi, cum nonnullos e robustioribus fregerint, bonum tamen hunc senem ne contingere quidem videbantur, si ad animi alacritatem et gaudium, quo ferebat eos, intendisses. Divinæ in omnibus voluntati submissus, fideique memor, quam obligaverat Deo, cuncta propter eum libentissime tolerabat. Proindeque dolebat etiam quam maxime, nonnullos ob eam temporum calamitatem a Religione deficere. Et cum fortuito in istorum aliquot incidisset, suam illis vecordiam, et infidelitatem verbis gravissimis exprobravit.

Sed labores a Deo immissos æquo animo tulisse non miror, qui sponte sibi commoda denegabat, quibus jure ac merito uti potuisse videbatur. Legum Ecclesiasticarum observantissimus, præceptam inediam toto quadragenarii jejunii tempore, cæterisque designatis per annum diebus constantissime servabat: quibus ille totius anni ferias sextas ex privata devotione adjungebat. Atque id eo laudandum est magis, quod illud in anno vitæ suæ præstiterit octavo, et nono supra septuagesimum, cum jam ætas ipsa, multaque valetudinis incommoda vires illius plurimum extenuaverant. Neque de hoc rigo-

gore usque ad extremum vitæ aliquid remisisset, nisi Superiorum obstitisset imperium.

Cum magnas iterum difficilis viæ molestias fortiter superasset, Bononiam demum advenit, ubi pacatissimos aliquandiu dies peregit. Hoc ille otium, tanquam a Deo sibi concessum, ut se ad appropinquantem mortem præpararet, utilissime impendit. Domicilium Bononiæ nactus e regione tirocinii Societatis, eam opportunitatem avide arripuit, ut agendi cum Deo studium expleret. Multas mane horas, post prandium aliquas in æde S. Ignatii orando perseverabat. Neque digressus inde, orationem intermittebat: sed ambulationes aliquot in templi porticu conficiens, colloquia serebat jucundissima cum Servatore Jesu, et ejus Matre Sanctissima, quorum imagines in eadem porticu existunt. Ajebatque sæpe, deambulationes æque jucundas, potiores comites, et suaviores confabulationes nunquam se habuisse. Nonnulli suspicati sunt, ex hac frequenti cum Deo, et Matre Virgine consuetudine aliquam hausisse Joannem propinquæ suæ mortis prænotionem. Is certe undecimo Kalendas Decembris cuidam Sociorum hæc dixit: *Hodie festum agitur Virginis in templo præsentatæ: mihi vero adveniet cito ejusdem Virginis Patrocinium*. Quid his verbis voluerit Joannes indicare, non constat: sed qui ab eo primus audivit, tanquam præsaga mortis ejus accepit.

Nec multi abiere dies, cum asthmatico ingravescente morbo, quo jam pridem laborabat, destitui viribus cœpit, donec in extremum vitæ discrimen fuit adductus. Atque in eo discrimine singularis quædam Domini providentia, et præsentissimum, credo, B. Virginis patrocinium erga Joannem eluxit. Cum enim per dies aliquot ita de potestate mentis exisset, ut captum recipiendo præsertim pœnitentiæ Sacramento sufficientem non haberet, biduo antequam animam ageret, plene in mentem rediit, eamque ad ultimum usque halitum expeditam retinuit. Itaque susceptis reverenter Sacramentis, Ecclesiæ orationibus, et peccatorum remissionibus adjutus, cum ferventes ille contritionis, amoris, et fiduciæ actus iterasset, æquissimo animo spiritum Deo reddidit undevigesimo die Januarii, anno 1771, ætatis suæ tertio et octogesimo jam inchoato.

EM-

# EMMANUEL MAZIA.

In ea Legionensis regni parte, quam Bergidum vocant, pagus est nomine Humosus, in quo ortum habuit Emmanuel Mazia, quem a pueritia Deus videtur elegisse, ut sibi fideliter inserviret. Natus est postridie Non. Febr. anno 1748. Parentes ejus, cum et genere, et opibus essent inclyti, filium cum Pædagogo, qui curam illius ageret, Monfortium miserunt, ut ibi Latine primum disceret, ac deinde Philosophiam audiret. Utrumque ita ille præstitit, ut multum in literis, plurimum in virtute profecerit. Etenim, ut ii fidem faciunt, qui jam tum illius mores observarunt, turbulentiorum adolescentium congressus devitabat: silentii et quietis amans, ea dabat literarum ac pietatis exercitationibus tempora, quæ solent alii vanis collocutionibus, ineptiisque puerilibus impendere: ad expiandas per confessionem animi sui maculas, divinamque sumendam alimoniam frequens accedebat: eamque agendi rationem tenuit inter condiscipulos, qui magno erant numero, ut iis exemplo esset, atque etiam venerationi. Cum autem in literario cursu adeo laudabiliter exerceretur, stimulos a Deo sibi sensit immitti, ut spretis domus suæ divitiis, religiosam in Societate Jesu paupertatem amplecteretur. Nec reluctantem exhibuit animum, statimque ille divinis obsecutus esset impulsibus, nisi moras Parentes injecissent. Mens illis erat Emmanuelem in aliquo ex Collegiis majoribus collocare, quæ tum apud Hispanos magno erant in pretio, cum eorum alumni ad præcipuas Ecclesiasticas, Civilesque dignitates assumerentur. Propterea per biennii spatium multa tentarunt, ut filium a suscepto consilio deterritum, ad suam ipsorum pertraherent voluntatem. Sed is, cui Deus ab ineunte ætate singularem infuderat despicientiam et opulentiæ domesticæ, et eorum omnium, quæ mundus sectatoribus suis potest offerre, mirabilem in eo certamine

ne constantiam ostendit: atque humanarum rerum contemptu, tanquam firmissimo scuto protectus, iteratos propinquorum ictus elusit, suorumque Parentum voluntatem ad suam tandem inflexit, hisque assentientibus, in Societatem receptus est Monfortii, die duodevigesima Octobris anni 1764.

Cum primum in tirocinium advenit, cœlum sibi visus est attigisse, cœpitque statim ad religiosarum virtutum studium sedulo incumbere, in quibus novas semper usque ad obitum progressiones effecit. Propterea de illius in tirocinio virtutibus singillatim dicere non immorabor: nam easdem in reliqua vita, quæ sexennium parum excessit, perfectiore quodam modo semper exercuit. Religiosa vota, quæ magna cum exultatione post biennium emisit, exacta diligentia servavit: eaque non solum in communione sacra, sed quinquies etiam, aut sexies per dies singulos innovabat: eamque laudabilem consuetudinem etiam in ultima infirmitate retinuit.

Quanquam nullam carnis adversus spiritum luctam, quod puritatem attinet, patiebatur, hoc tamen singulare Dei beneficium nihilo eum segniorem reddidit in oculis, cæterisque sensibus ab omni etiam levi periculi specie continendis. Amœniorum literarum studiis mirifice delectabatur: simul tamen cavebat perdiligenter, ne obscænorum Auctorum nisi repurgatis editionibus uteretur. Familiarem quorumdam sermonem, in quo libidinis vitium reprehendebatur (cum illud nec nominare quidem oporteat, nisi cogente necessitate) acrioribus verbis, sibique parum usitatis præcidit. In oceani, mediterraneique maris navigatione multi vigilantem illius curam observarunt in exuendis, induendisque vestibus modestissime: nec defuit inter eas navis angustias, qui notum Emmanuelis pudorem reveritus, magnam adhibuit diligentiam, ne unquam ad proxime cubantem sic accederet, ut eum vel leviter contingeret. Dum Bononiæ vixit, nisi juberetur aliquem comitari Patrum, nunquam per vias urbis voluit spatiari: sed ne in templa quidem, quamvis multis rogaretur, adibat, in quæ frequens populus vel musici concentus, vel superbi apparatus causa conveniret. Antequam ingravesceret morbus, quo tandem interiit, nonnunquam ex Medici consilio post meridiem surgebat e lecto: sed cum vestes non posset sine ope alterius indu-

duere; caligas tamen aut ipse sibi summa cum difficultate semper induxit, aut cum id efficere nullo modo potuit, solum a Præfecto valetudinarii permisit induci; ita vero, ut id subter stragula fieret, ac ne extremum quidem digitum vel suis, vel alterius oculis exhiberet. Multa alia dedit in illa infirmitate pudicitiæ singularis exempla. Sed illud præ cæteris, quod plagas duas ex diuturna cubatione contractas, diu præ pudoris amore dissimulavit, diutiusque dissimulasset, nisi eum Superioris imperium ad aperiendas coegisset. Hic vero tormentum verecundo juveni multo fuit gravius beneficas medicantium manus admittere, quam acerbos ab exulceratis plagis dolores sustinere. Neque id timido, vel agitato scrupulis, quibus nunquam laboravit, tribuendum est animo; sed ad hæc omnia ob eximium castitatis studium inducebatur.

Parem in servanda paupertate diligentiam exhibuit, ad quam inde non parum fuit adjutus, quod opulentam Parentum domum, et quas in ea reliquerat commoditates ita fuit oblitus, ut voto se voluerit obstringere nunquam ad paterna limina redeundi. Quod cum sibi per moderatotes non licuisset, firmissime, quod poterat, statuit nunquam ea revisere, nisi per obedientiam id facere cogeretur. Dum tirocinium ponebat Villægarsiæ, sæpe illius frater natu maximus ad eum invisendum accessit. Sed Emmanuel hujusmodi salutationes paucissimis expediebat, et colloquii brevitate significabat, quam parum erga sanguine junctos afficeretur. Deinde vero, cum proxime conjiciendus in exilium, traditus in custodiam esset, potestas facta est ejus Patri, ut filium alloqueretur. Hic autem filius nihil a Patre suo petiit, nihil accepit: imo, cum in ea rerum commutatione paternis bonis juxta formulas juris renuntiare non posset, Patri suo dixit, omnia cum obtenta Superiorum venia ad ipsius arbitrium relinquere; se enim tantummodo de Patre cœlesti cogitare. Cum hac animi excelsitate sine teruncio profectus est in exilium: neque unquam ab eo tam eminenti paupertatis gradu dimoveri voluit, recusatis semper numis, qui sibi ultro ab aliis offerebantur. In variis terra, marique itineribus brevissima tantum, et paupere usus est mantica, quam suspensam humero deportabat. Deindeque in exilio constitutus, nullam suis condendis rebus arcam quæ-

sivit. Quanquam ea profecto minime indigebat, cum ejus universa supellex cilicio et flagellis, parva S. Aloysii, et Crucifixi imagine, paucisque constaret libris. Vestibus, quæ cæteris in commune distribuebantur, contentus erat: et quas accepit ad arcendum frigus in ultima infirmitate, tam prolixa gratiarum actione rependit, quantam posset mendiculus exhibere. Sed quo pauperior, eo liberalior erat, et largior: nullum enim munusculum accipiebat, quin ad aliorum manus prævia semper facultate transferret.

De illius in obediendo perfectione id fere dixisse sufficeret, quod de illo quidam ipsius Rector affirmavit: Emmanuelem in obedientia fuisse exactissimum, et tanquam parvulum sine dolo prompte semper, et alacriter in omnibus paruisse. Ac sane quicunque aliquam imperandi potestatem haberent, perinde sibi erant, atque imperii summam tenentes. Nunquam optionem sibi dari volebat: quod si aliquando ei fieret, rubore suffundebatur, neque audebat aliquid statuere, nisi Superioris nutus accessisset. Sub initium ultimi morbi, cum nondum appareret, quorsum is tandem esset evasurus, deliberari cœptum est, anne mutare cœlum expediret Emmanueli. Sed cum sciret illius Rector gravissimum ei fore, si procul a suis fratribus vel ingravescente morbo, vel morte corriperetur, jussit eum aperte, ac simpliciter edicere, quid sibi, non ex obediendi studio, sed ex naturæ propensione magis placeret: Bononiæ ne manere, an alio recuperandæ valetudinis causa proficisci? Parumper dum rem cogitat immoratus, deinde in hunc modum respondit: æque se paratum esse, aut ibidem consistere, aut alio, si quidem mitteretur, discedere. Id vero tam candide, atque ingenue dixit, ut Superior minime dubitaverit, eum ex animi sententia respondisse. Invalescente postmodum morbo, cum illius vita in magno esset omnium desiderio, jussus est preces ad Deum fundere, votumque aliquod pro salute concipere. Paruit ille incunctanter, probanteque Superiore, vovit Lauretanam domum, si convalesceret, pedes invisere. Præterea mos erat ab antiquis temporibus inter nostros Theologiæ auditores inductus, ut quoties eorum quilibet, aut Magistrorum aliquis ægrotaret, novendiales ad S. Aloysium preces eo die inchoarent, quo die sa-

crum

crum Viaticum administrabatur infirmo. Cum hoc pium caritatis officium fieret pro Emmanuele, admonebatur ille quotidie, ut suas etiam ad aliorum preces adjungeret, et benignissimi studentium Patroni opem imploraret. Nil quidem ille facere morabatur: sic tamen et istas preces, et votum illud effudit, ut appareret manifestissime, id eum obediendi solum causa effecisse, ac de longiore vita petenda, ne cogitaturum quidem fuisse, nisi juberetur. Tertio antequam obiret die cum condiscipulo colloquebatur: et cum sermo de obedientiæ virtute incidisset, magnopere se lætari dixit, quod sub ea vitam egisset, illudque magno cum animi affectu subjunxit: capere se prorsus non posse, quo pacto Religiosus quis esse possit, neque ad Superioris arbitrium ita se fingat, ut is de ipso, deque suis rebus omnibus liberrime decernat.

Strenuam quoque post vota in servandis regulis posuit industriam. Postquam eas in tirocinio legit, congruentissimas sibi reperit, nec solum menti, sed cordi etiam impressit, ut quam suspiciebat in illis vitæ perfectionem, eam ab semetipso diligentius exigeret. Cujus porro diligentiæ non leve sit argumentum, quod duas Scholasticorum regulas, quarum altera Latine loqui jubentur; altera libris ultra duas continenter horas prohibentur incumbere; nunquam violavit. Inter alias eam faciebat plurimi, qua Socii omnes admonentur potiorem solidarum virtutum, rerumque spiritualium habere rationem, quam doctrinæ, atque aliorum donorum naturalium. Hoc ille ductus rectissimo documento, nulla temporis particula fraudabat communia spiritus exercitia: et quæ sibi peculiariter ex Superiorum consilio servanda statuerat, nunquam in tam variis, atque impeditis itineribus prætermisit. Inter alia pietatis opera frequens erat in adoranda Eucharistia, in qua sanctissimum Cor Jesu præcipuo quodam studio reverebatur: atque in ejus etiam honorem jejunii sibi legem per sextas totius anni ferias imposuit, in quarum multis animum cœlesti pane cibabat. Sancto Aloysio, pro variis ab eo gratiis obtinendis, novem dierum preces in diversis anni temporibus exhibebat. Et S. Thomam Aquinatem orabat sæpe suppliciter, ut sibi cordis munditiam impetraret, mentisque illuminationem, ut proficeret in scientiis. Alia etiam aliis Sanctis devota persolvebat officia. Sed

Re-

Reginam Sanctorum omnium pietate colebat singulari, et amore tenero prosequebatur. Illi præter quotidianum Rosarii pensum, sabbatis omnibus jejunium offerebat: et potentissimum illius patrocinium filiali plane fiducia frequenter implorabat. Quotidie etiam recitabat Psalterium a S. Bonaventura in B. V. laudem compositum, quod ita sibi jucundum erat, ut eidem Græce convertendo adlaboraret, cum eum letalis morbus invasit. Hujus vi morbi cum eousque jam erat oppressus, ut Rosarii, et Psalterii preces non posset persolvere, rogabat aliquem suorum fratrum, pietatis exemplo non vulgari, ut juxta se illas ita percurreret, ut ipse posset audire recitantem.

Orationi quoque mentali valde erat addictus. Nam ultra communem ex lege horam, in omnibus vacationum diebus semihoram saltem vesperi, tres etiam horæ quadrantes orare consueverat. Quanquam, si ea exceperis tempora, quæ dabat studiis literarum, tam assidue cum Deo conversa in eum mente versabatur, ut jugiter orare videretur. Id adeo erat, ut aliquando de adhibenda moderatione fuerit admonendus, ne capiti afferret nocumentum. Sed ille magna cum ingenuitate respondit, in eo se nihilum defatigari. Et facile, qui eum admonuerat, fidem habuit affirmanti; cum suavissimos ex interna illa conversatione sensus erueret, quibus Deus ipsius animum recreabat. Non tamen eam spiritus dulcedinem ita consectabatur, ut exteriora propterea refugeret ministeria. Nemo illo promptior ad ea præsertim caritatis officia, quæ essent cum humilitate, ac labore conjuncta. Proinde gratissimum sibi erat fratribus ad mensam ministrare, purgare lances, sordes everrere, atque infirmis, quibuscunque rebus posset, inservire. Is, quem diu contubernalem habuit in Hispania, Corsica, et Italia, promptissimum Emmanuelem fuisse affirmabat, ad laboriosa quælibet opera suscipienda; suamque ad expedienda illa dexteritatem solitum fuisse lepide significare, ne quis ea sibi præriperet: in iis vero, quæ ad cubiculi munditiem attinebant, magna sibi opus fuisse ajebat diligentia, ne in omnibus ab Emmanuele præoccuparetur. Hoc modo cum Deo familiariter agere, simulque hominibus propter Deum didicerat famulari.

In perturbatis animi motibus continendis, cum sortitus esset

set animam bonam, parum quidem sibi fuit laborandum. Sed tamen, ut se melius adversus eorum tueretur insidias, ab ipso tirocinio magno cum ardore suscepit corporis mortificationem, in qua ne modum excederet, Superiorum cavit auctoritas. Quantum vero per eosdem licuit, tantum sibi pondus asperitatum imposuit. Et in tirocinio quidem quatuor hebdomadæ diebus usque ad prandium catena ferrea præcinctus incedebat, eademque in plerisque diebus festis utebatur, donec ab Eucharistica mensa recessisset: totidem etiam noctibus per hebdomadam corpus suum flagris cædebat. Deinde vero constantissimus fuit in hoc duplici cruciamenti genere ter saltem intra hebdomadem assumendo. In cibo, quamvis robusto esset stomacho, non solum moderationem adhibuit, sed illum sæpe aut humi sedens, aut innixus genibus desumebat, aliasque patientiæ ac demissionis formas frequenter inter vescendum usurpabat. Vinum nonnisi paulo ante morbum ultimum Superioris jussu degustavit, in quo etiam morbo tabacum adhibere cœpit ex Medici præscripto. Adeo nihil sibi commodi concedebat, nisi a majoribus juberetur.

Hæc virtutum decora cum egregiis naturæ dotibus conjungebat, quorum præsidio multam in scientiis laudem assecuturus credebatur. Præclaros jam fecerat in humanioribus literis progressus, scribebatque pulcherrime tum soluta, tum adstricta numeris oratione. Græce ita sciebat, ut sine multa lexicorum ope quoslibet Auctores caperet; et non pauca legerat e selectioribus Poetis, Historicis, Oratoribus. In Philosophiæ scrutandis arcanis tantum et assiduitate sua, et ingenii valuit acumine, ut inter optimos condiscipulos primus sit habitus. Ad sacræ Theologiæ studium, in quo sesqui annum vix posuit, magna animi propensione ferebatur. Et cum Bononiam hujus studii causa venisset, statim Rectorem adiit, ut sibi pensum imponeret, quod præter quotidianas Scholæ exercitationes horis absolveret subsecivis. Rector, qui jam aliquid de illius ingenii viribus inaudierat, longum ei quæstionum indicem designavit, quantum ad illius industriam per anni spatium exercendam satis fore judicabat. Sed Emmanuel paulo post bimensem ad eum regressus, imperati pensi rationem ita reddidit, ut non modo doctrinæ nucleum, sed verba quoque sin-

singula proferret. Pollebat enim memoria singulari, ut et facile res quaslibet complecteretur, et easdem firmiter retineret: neque aliquid memoriæ commendabat, quod non prius attente examinasset, pleneque animo percepisset. Illud quoque accedebat, quod nunquam legendo, aut commentando defessus esset, assiduique studii laborem in præcipuis haberet animi oblectamentis. Hinc factum est, ut intra unius anni curriculum magnam Theologiæ copiam sit adeptus, nec modicam Scripturæ sacræ notitiam assecutus, ut ejus solidæ annotationes indicarunt, quas inter legendum, adhibitis interpretibus, confecerat. Quod si longiorem vitæ usuram obtinuisset, sperandum erat profecto, ut in altissimum scientiæ gradum ita conscenderet, ut illam cum eminenti quoque morum sanctitate copularet.

Nec poterat istiusmodi non esse illius scientia, quem humilitas Christiana plurimum commendabat. In Scholæ frequentibus exercitiis, sive suam defenderet, seu contrariam impugnaret sententiam, nullo unquam verbo, nullo gestu vel suimet ostentationem, vel despicientiam alterius indicavit. Illum condiscipuli super ipsorum dubiis frequenter consulebant. Id vero Emmanueli tantum pudorem ingerebat, ut tandem nemini respondere decreverit, quod ineptum se dissolvendis aliorum dubiis reputaret: in eoque tandiu perseveravit, donec admonitus fuit, ne dubitaret interrogantibus simpliciter et amice respondere. Cum esset et Geographiæ gnarus, et in Historia non parum eruditus, de his tamen apud alios sermonem inferre non audebat, nisi nominatim ipse ab aliquo rogaretur. Sed ut alia demissionis ejus argumenta prætercam, huc illud adnectere non omittam, quod ipsius in Philosophia Magister de illo his verbis asseruit. „ Id ego de nostro Emmanuele verissime dixerim: erga me semper eam observantiam habuisse, quæ mihi quidem nimia videretur: et perfectissimam in omnibus exhibuisse docilitatem, ut ne literariis quidem in rebus aliquam in eo judicii pertinaciam invenerim; sed simul ei meam sententiam aperuissem, acquiescebat ille continuo. Erga suos vero condiscipulos nullum exacerbati animi indicium, nullam caritatis læsionem, aut singularem familiaritatem, aut denique deteriorem de illorum ingeniis opi-

„ nio-

„ nionem in ipso per triennium animadverti; quin potius ho„ norificentius, quam egomet, de singulis judicabat. De se „ tantummodo vilissime sentiebat, quod et alias sæpe, sed „ eo potissimum die cognovi, quo eum a Superioribus desi„ gnatum esse dixi, ut primarium Philosophiæ certamen sus„ tineret. Cum probe nossem, quantum ipse sibi diffide„ ret, id illi quibus potui verbis aptioribus indicavi, ut quam „ minimum commoveretur. Sed tamen ita perculsus est eo „ nuntio, ut animi deliquio correptum vox eum penitus de„ fecerit: neque alia nuntium inter ac deliquium mora tem„ poris intercessit, quam ut in mediis jam singultibus duos, „ tresve nominaret e condiscipulis, quos ad id muneris aptissi„ mos ipse reputabat. Postquam aeris leni concitatione, et „ aquæ poculo sese receperat, plenam illius ad Superiorum „ placitum submissionem multo magis sum admiratus „. Hactenus Emmanuelis Magister, quod suis oculis viderat, testatus est. Sed alii eum viderunt ad Oratorium, in quo Sanctissimum Christi Corpus asservabatur, recta properasse, ibique inter effusissimas lacrymas solatium a Domino quæsivisse. Sic ille literarum studio solidarum quoque virtutum studium adjunxit: et accuratam ad utrumque diligentiam nec locorum diversitas, nec exilii labores retardarunt. Etenim ex annis quatuor, quos severioribus dedit disciplinis, primum in Hispania inchoatum, cum jam in custodiam missus erat Corunniæ, absolvit in Corsica: proximum ibidem inter armorum strepitus posuit: tertium in agro Bononiensi ad Lavinum inferius: postremum in ipsa Bononiæ urbe confecit. Ubique vero locorum, et tam varios inter ac difficiles casus, in ea, quæ ad mentis et cordis perfectionem spectant, novo semper ardore ferebatur.

Ad indefessam hanc in acquirendis virtutibus, et scientiis constantiam ex eo valde fuit adjutus, quod suam ad Societatem Jesu vocationem plurimi faceret. Diu sibi, multumque cum Parentibus fuerat decertandum, ut eam assequeretur, et quos per integrum biennium sustinuit incursus, veros ille, imo etiam unicos labores suos appellabat. Quod igitur tanti sibi steterat, semper duxit sibi maximi habendum. Aderat aliquando in consessu, in quo de calamitatibus agebatur, quas

tum

tum Societatis homines perferebant: et quanquam eas graves esse non diffiteretur, hæc tamen adjunxit: *Illum ego adversis vere fuisse exercitum dixerim, qui dimicationes pro Societate obtinenda subierit, et frustrandæ vocationis discrimen incurrerit.* Comprehensus Compostellæ, ubi Grammaticam docebat, Corunniam perductus est, ibique per mensem in custodia detentus, dum cæteri convenirent. Huc illius Pater e vestigio advolavit, ut filium in suam domum reduceret, propositis in eam rem omnibus, quæ paternus amor, et præsens Societatis Jesu rerum status suggerebat. Sed Emmanuel, qui dum minor esset, sæpius in eo certamine vicerat, grandior effectus, adeo decertavit strenue, tamque apposite de vocatione sua coram Patre disseruit, ut is non solum ab incepto destiterit, sed effusis præ gaudio lacrymis, multas Deo egerit gratias, quod filium sibi dedisset, qui ei tam generoso animo deserviret.

Nec solum domesticorum oppugnationes, sed externorum etiam superandæ sibi fuerunt insidiæ. In qua navi ad Italiam vehebatur, vir quidam erat, quocum magnam habuerat in seculo consuetudinem. Is in Calviensi portu, antequam exules e classe descenderent, magno commiserationis affectu ad Emmanuelem accessit: et exposito calamitatum pondere, quod Patribus in miserrimum litus ejectis imminebat, nihil esse prudentiæ magis consonum affirmabat, quam ut eorum relicta Societate, secumque in Hispaniam delatus, ad paternæ domus commoda reverteretur. Inhorruit ad inexpectatam propositionem Emmanuel, paucisque sed gravibus verbis ingratissimum a se consiliatorem rejecit: ,, Scito, inquit, me Societa- ,, tis vestem si nondum induissem, eam modo instantissime ,, petiturum, cum videam animi alacritatem et gaudium, quo ,, fratres mei labores sustinent, quos adhuc incurrerunt. Tam ,, longe itaque abest, ut me præsentes, aut impendentes ærumnæ conterreant, ut potius excitent, et alliciant, atque im- ,, pendio magis in mea me vocatione confirment.,, Id quam sincero animo dixerit, Calvii præsertim ostendit, ubi succrescentibus in immensum malis, illius erga Religionem amor, veluti vento flamma, rebus augebatur adversis. Ideoque, dum aliqui recedebant, quanquam humili plerumque silentio

 alta

alta Dei judicia reveritus, coram eo prosternebatur, suumque permanendi consilium simul cum votis instaurabat; aliquando tamen ingenti quodam zelo inflammatus, defectionem illam acriter improperabat: eamque apud Deum enorme ingrati animi vitium, apud homines vero dedecus ajebat esse turpissimum. Morti jam proximus suum in Societatem amorem sæpe testatus est; tum lætitiam singularem inde concipiens, quod in illius occumberet gremio; tum etiam dolorem acerbissimum, quod eam inter tot adversa relinqueret, neque posset illam diutius suis in afflictionibus comitari.

Quæ hactenus de Mazia sunt dicta, non parum ad virtutum ejus commendationem efficiunt. Aliud tamen adjungam, quod majus haberi debet, cum ab eo reliqua omnia tanquam ab origine sua processerint. Divini amoris vulnere tactus erat Emmanuel: juvat enim hoc uti verbo, quoniam ad rem explicandam nullum aptius occurrit. Atque hoc vulnus tam alte cordi ejus erat infossum, ut aliquando miserationem, si fas ita loqui, moveret: nam ex frequenti amandi Deum usu magis illud penetrabile fiebat: et cum ardorem ejus diutius jam ferre non poterat, ne quid aliis, si forte aderant, innotesceret, ad Superiorem accurrens, pudoremque simul et candorem præseferens, coram eo in singultus et lacrymas effundebatur: neque aliam rogatus pœnæ suæ causam exhibebat, nisi quod Deum non amabat, vel certe non eum amabat multum. Id ejus in tirocinio Magister, id ille, quem Bononiæ, et alibi Superiorem habuit, testificantur.

Nec mirum, cœlestibus his flammis frequenter accendi, cum ipse munditiam cordis et instanter a Deo peteret, et studiose curaret. Cum aliquando in errorem quemdam lapsus sibi esse videretur, neque consuetum Confessarium ad manum haberet, ad alium ex designatis continuo perrexit. Is Emmanuelem lacrymis solutum aspiciens, elataque voce amoris Dei et contritionis actus ingeminantem, et confiteri velle dicentem audiens, januam occlusit, ne foras vehementiores illius gemitus erumperent. Post hæc cum ad audiendum illum sedisset, inter brachia sua pene exanimem sustinere debuit, ne corruens in terram læderetur. Resumpto deinde animo, factaque confessione, eo tandem omnia reciderunt, ut culpam le-

levissimam fateretur, quæ multorum oculos effugisset. Neque id aut melancholico humori, aut scrupulis imputandum, a quibus semper abfuisse confirmant, qui eum intus agnoverant; sed attentissimæ placendi Deo solicitudini, qua vel tenuem ejus offensam reformidabat. Quidam ex Confessariis suis Emmanuelis conscientiam crystallo similem esse dicebat, et quod tersa esset, et ita pellucida, ut in ea nihil iis, quibus patere debebat, non appareret.

De hoc ejus ad assequendam cordis munditiam conatu vadem exhibere possum Emmanuelem ipsum, qui paulo antequam ægrotaret, dum Exercitiis S. Ignatii per autumnales ferias vacabat, commentariolum scripsit, cui titulum fecit: *Examen particulare super mansuetudine, accurataque ratione loquendi*. Huic titulo multa rerum capita, quæ sibi observanda erant, his verbis subscripsit. „ Submissa voce loqui, humili„ ter, et sine clamoribus. Neminem unquam alloqui aspere, „ audacter, imperiose, sive contemptim. Cum altero nunquam „ contendere, neque illi refragari. Nemini verbis, aut gestu, „ aut alia quavis ratione mœstitiam afferre. De nullo unquam „ conqueri, quamvis ab eo sim offensus: imo mitioribus eum „ alloqui verbis, quæ injuriam elevent, aut imminuant: de„ que data succensendi causa veniam ab eo petere in anteces„ sum. Nemini minas intentare, neminemque reprehendere. „ Benigne aliorum ferre defectus, et errores, neque dolorem „ inde concipere, quod mei cæteris innotescant. Adversita„ tem, et repugnantiam, sive innata illa sit, sive etiam acqui„ sita, nullo unquam indicio manifestare. Fastidium item nun„ quam verbis ostendere, neque illud vultu, gestibus, vel „ quibuslibet actionibus significare. Aliorum sententiam facile, „ ac libenter sequi, sine ulla ad proprium judicium adhæsio„ ne. Haud iniquo ferre animo, si alii palam dixerint, quæ „ de me ipso sentiunt. Afflictos miseratione prosequi, dolo„ remque de ipsorum laboribus exhibere. In quibuslibet occu„ pationibus sereno, atque hilari vultu tranquillitatem semper „ ostendere. Omnes humaniter excipere, quamvis importuni „ sint illi, et omnibus, qui me convenerint, assurgere, licet „ sint inferiores. In iis, quæ licent, facile aliis obsequi; sin „ aliter, excusationem adhibere cum modestia, verbisque officio-

„ ficiosis, sed quæ ab assentatione procul absint. Nunquam „ aliorum (maxime Superiorum) facta reprehendere, quamvis res ea sit, quæ in omnium aures, et oculos incurrerit. „ Denique meminisse, et observare consilium illud Sapientis: „ unusquisque proximum sibi non angustiabit usque in æternum. Mense Octobri, anno 1770. „ Hucusque Emmanuelis commentarium, in quo suam ad conscientiæ puritatem diligentiam egregie depinxit, qui omnes ad oberrandum verbis aditus tam subtili enumeratione distinxerit, tantaque animi firmitate præcluserit.

His virtutum, simul et scientiarum studiis erat intentus, cum Deus illum ad immortalem vitam, ut credimus, evocavit. Post medium autumnum distillatione capitis ex frigore contracta laborare cœpit, quæ nullis medicæ artis auxiliis cohiberi potuit, ne illum intra duos menses cum dimidio, læsis pulmonibus, conficeret. Eo tempore virtutibus, quibus semper assuetus fuerat, supremum ille complementum adjecit: totumque sui morbi spatium his fuit actibus intertextum, quibus solet justorum mors insigniri. Eorum, quæ Medicus, et ægrotantium curatores præscripsissent, ne minimum quidem apicem immutare unquam voluit. Plagæ illæ, quas diu celasse diximus, magnis eum doloribus exercuerunt. Sed neque tum aliquod edidit lamenti signum, neque vero deinde, cum in extrema jam infirmitate nullo cubandi modo requietem inveniebat, nec loco poterat sine aliorum adminiculo dimoveri. Ad graviores insuper cruciatus prompto se animo devovebat: dicentique sibi, Deum sua patiendi vota cumulate explevisse: *Certe*, respondit ille: *nullumque tentamenti genus est durius, quam gravis, diuturnaque infirmitas: sed in ea ego ingentem valde lætitiam, atque animi consolationem antehac expertus sum, modoque experior*. Tam suaves illi dolores amore videlicet crucis efficiebantur!

Pridie quam hinc emigraret, majorem in modum illius morbus invaluit: admonitusque propterea, ut ad recipiendum Viaticum se compararet: *Libentissime*, dixit, *efficiam; neque enim mihi durum est mori*. Advenientem deinde Dominum magnis fidei, ac reverentiæ significationibus excepit: paremque pietatem postmodum exhibuit, dum sacro inungere-

tur

tur oleo, piisque Deo deprecationibus commendaretur. Cum enim expeditus sensibus, atque ab omni veterno liber esset, non modo iis, quæ fiebant, erat intentus, sed orationibus omnium suam quoque orationem adjungebat. Postridie nonnullis angoribus ex intervallo premebatur; non ita tamen ut vocem penitus amitteret. Unde cum se primum recepit, aqua benedicta conspergi petiit, qua reverenter suscepta, per moram aliquam conquievit. Deinde ab omnibus, qui præsentes erant, de illatis quocunque modo offensis veniam humiliter rogavit: pauloque ante gratias egerat quam amplissimas pro caritate singulari, qua sibi in infirmitate sua inservierant. Rogatus, anne dolore aliquo premeretur? pectus sibi dolere, respondit: eaque postrema decedentis vox fuit, deincepsque solo nutu significabat, quæ sibi suggerebantur, percepisse. Cum igitur is, qui rogaverat, in memoriam ei revocasset Christi pectus apertum in cruce pro amore suo, statim ille convertit oculos in imaginem Cordis Jesu, quæ prope lectulum, ipso petente, fuerat appensa: demissisque oculis, et inclinato profunde capite, Cor sacrum reverenter adoravit. De felici eorum sorte commonefactus, qui vitam, sub religiosa disciplina institutam, in eadem quoque finissent; conceptam inde lætitiam nutibus indicavit: similiterque ad alia pia sensa respondit, quæ sibi subinde insinuabantur. Admonitus denique ut, quoniam in exilio moriebatur, B. Virginis patrocinium consueta illa deprecatione imploraret: „ Illos tuos misericordes oculos ad nos converte: et Jesum benedictum „ fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende: „ quam id sibi jucundum esset, repetita capitis inclinatione demonstravit.

Paulo post, integer adhuc mentis, et osculata imagine Crucifixi, multa cum pace animam emisit duabus fere horis ante mediam noctem, die trigesimo Januarii, anno Domini 1771, ætatis suæ vigesimo tertio, Societatis vero septimo jam inchoato, exhibitis rectissimæ vitæ exemplis, neque paucis relictis indiciis, pretiosam Justorum mortem a Deo misericorditer obtinuisse. Ad illius obitum in universa illa domo, in qua vixerat cum Sociis facile nonaginta, cum ingenti dolore propter ejus desiderium, ingens etiam, ac tenerrimus pietatis sensus

sus

sus est consecutus: sic ut multi in ejus aspectu suaviter hærerent suspensi, neque inde ante discesserint, quam Superior jusserit, cubiculum expediri, ut cadaver feralibus linteis involveretur. Postridie vesperi elatus est ad S. Nicolaum in Via S. Felicis. Hæc habui, quæ de virtutibus Emmanuelis Maziæ dicerem, ex iis desumpta literis, quas statim ab illius obitu ad Socios Provinciæ dedit, qui Bononiæ domum illam regebat, in qua supremum diem clausit Emmanuel. Is fuit Franciscus Xaverius Idiaquezius, vir notissimæ probitatis, et fidei, nuper magno cum dolore nobis ereptus, qui ad literarum calcem ingenita sibi sinceritate fatetur, in enarranda Emmanuelis vita tam longe ab exaggerandis rebus abfuisse, ut pauciora, quam pro ipsarum merito, dixisse sibi videatur.

FRAN-

# FRANCISCUS XAVERIUS CAMUS.

Hic unus fuit e tironibus Villagarsiensibus, qui voluntàrii pœnas exilii, a quo multimodis retrahebatur, domestici commodis habitaculi cum prætulisset, ante quinquennii spatium in meliorem, ut credimus, et perpetuo mansuram patriam a Deo fuit evocatus. Ortus est Monte, suburbano Sanctanderi pago, die 20 Junii, reparatæ salutis anno 1749. Ad petendam Societatem multum ex Patruelis exemplo fuit incitatus: eamque obtinuit decimo Kal. Novembris anni 1765. In tirocinio, quoniam Deus eum ad magnum mox sustinendum certamen destinaverat, magnum quoque illi desiderium acquirendæ virtutis infudit. Nondum solita primæ probationis absolverat exercitia, cum admonitus a sodali, qui præfectus ei fuerat ad instruendum, de vitando errore levi, quem admiserat, ita illi respondit: *Video equidem vos, qui locum istum pridem incolitis, sanctiorem vitæ modum sectari. Dabo igitur et ipse operam, ut me sedulo corrigam, et perficiam*. Nec secus profecto fecit, ac dixit: nam silentium, et modestiam, quæ in ejus gratioso vultu magis emicabat, cæterasque religiosi novitii virtutes ita colere cœpit, ut provectioribus exemplo esset, et admirationi. Multis apud Superiorem institit, ut sibi quam primum facultatem faceret usurpandi asperitates illas, quibus reliqui exercebantur. Paremque in iis, quæ ad interiorem animi cultum spectant, solicitudinem habuit; in frequenti præsertim et attenta rerum æternarum meditatione, cujus ope firmissimum concipiebat propositum leviores etiam cavendi culpas, Deoque in omnibus obsequendi.

Sic ille septemdecim in tirocinio duxerat menses, cum præclaram occasionem nactus est exhibendi, quam solidum posuisset spirituali fabricæ fundamentum. Indicto quippe exilio cunctis per Hispaniam Sociis, Novitii quidem patriis ce-

dere finibus non cogebantur; iis tamen, qui vellent, potestas facta est abeundi. Quod cum audisset Franciscus, abjecta omni cunctatione, decrevit patriam potius, quam Societatem relinquere. Atque ab eo consilio neque iteratis quæstionibus Judicum, neque multis aut extrariorum injuriis, aut propinquorum illecebris, nec denique aliis, quæ perferendæ sibi fuerunt molestiis, potuit avelli.

Palentiæ præsertim clarissimum constantiæ suæ dedit exemplum. Nam primum in gravissimo illo conflictu, in quo multos defecisse jam diximus, ad triplicatam Judicis interrogationem imperterrito semper animo respondit, velle se in exilium proficisci: quod pariter et Villægarsiæ dixerat, et Turrecremata. Deinde cum Societatis veste spoliatus, in plateam ejectus est e Prætorio, ita centonibus male tectus evasit, ut per obsoletæ, ac laceræ foramina vestis appareret indusium. Id honestissimo, multumque verecundo adolescenti non modicum pudorem injecit: unde demissis in terram oculis incedebat, ne aut se ipse, aut socios etiam aspiceret, qui habitu parum absimili fuerant deturpati. Non tamen abjecit animum, sed alacrior ex ignominia propter Deum suscepta factus, cum fuisset ad rogandam stipem cum altero designatus, eodem die vias, domosque urbis intrepide concursavit. In eoque decursu pecuniæ quidem aliquam summam, sed ludibriorum multo copiosiorem collegit. Nam multi de plebe pannosum juvenem irridebant, eique mendicabulum exprobrabant, cum deberet paternam adire domum, unde posset, quæ sibi opus erant, abunde desumere. Non tamen defuerunt alii, qui mendicationem illam attonitis suspiciebant oculis, et numos illi, et dulciaria, et vestem aliquam, qua nuditatem suam tegeret, erogarunt. Hæc ille cum prolixa gratiarum actione, ludibria vero patienti, constantique animo excepit: neque propterea demandatum quæritandi munus, nisi per offusas noctis tenebras intermisit.

Cum rediisset ad socios, qui publicum in diversorium confugerant, deliberare inter se cœperunt de præmittendo ipsorum aliquo, qui Sanctanderum per compendia viarum profectus, rerum ibi statum cominus exploraret: Patres anne profecti jam fuissent? et sibi cum ipsis, aut certe post ipsos, lici-

citumne foret navem conscendere? indeque Burgos e vestigio regressus (hic enim decreverant expectandum) certiores eorum faceret, quæ ipse comperisset. Ad eam difficilem expeditionem ultro se obtulit Joannes de Villanova, inter Novitios Adjutores ut antiquior cæteris, ita etiam viribus et corporis, et animi præstantissimus: qui, ne modo rejiceretur, suam pedum velocitatem multis extollere non erubuit. Is ergo, imposito sibi reticulo, ne forte, propter detonsum caput pro Novitio deprehensus, alicubi sisteretur, destinatam viam in illius silentio noctis impigre arripuit. Cæteri, cum a peritis locorum itineris descriptionem obtinuissent, circiter meridiem insequentis diei pedites, et onusti sarcinulis sunt egressi: eorumque longa profectio multis cum adversis, tum prosperis eventibus fuit intermixta, neque paucis divinæ providentiæ significationibus insignita.

Parum ab urbe discesserant, cum hominem invenerunt, qui Burgos et ipse cogitans, vacuos asellos duos agebat. Hic magno illis subsidio fuit et locatis jumentis, et sua etiam opera, quam sponte in multis conferebat. Jumentorum alteri socium, qui febre tertiana laborabat, alteri manticas aliquot imposuerunt; in idemque per vices ascendebant aliqui ex debilioribus. Sed tamen primo illo die agnoverunt, quam arduum opus erant aggressi. Nonnulli e robustioribus, viginti millia passuum emensi, Astudillum, ubi pernoctandum erat, antequam advesperasceret, pervenerunt. Alii vero et ætate, et viribus inferiores, inter quos erat Franciscus Xaverius Camus, lentius progrediebantur. Horum non paucos, dum alii alios expectant, haud procul quidem ab oppido nox occupavit: sed cum venissent ad bivium, dum viam dexteram utpote magis tritam arripiunt, longius ab eodem oppido digrediuntur. Deinde rivus, qui medium secabat iter, neque ab eis trajici potuit, ad relictam sinistræ viam redire coegit. Adhuc tamen incerti, utra viarum recta duceret Astudillum, multum in eam partem inclinabant, ut in propinqua silva noctem agerent sub dio. Sed ab eo consilio facile propterea discesserunt, ne, qui præcesserant, comites solicitos haberent. Itaque divinam implorandam opem, et porro pergendum rati, preces Deo primum effundunt pro animabus, quæ purgatoriis ignibus expiantur,

 tur,

tur, felicem in destinatum locum adventum impetraturi: deinde voces ingeminant, si forte responsum alicunde recipiant, quo certiores viæ reddantur. Et quanquam humana vox nulla fuit reddita, mox tamen æris campani sonitum audiunt, quem lætissime insecuti, Astudillum tandem adveniunt. Diversorium ingressi, socios ex itineris defatigatione per terram stratos inveniunt: quod et ipsi pariter effecerunt, cum et cruribus, et plantis ita dolerent, ut pedibus diutius consistere non possent. Et tamen ea maxime cura discruciabantur, ne, debilitatis adeo ex primo itinere corporibus, vires ad ineundam postridie viam non sufficerent.

Interea divulgato per oppidum Novitiorum adventu, multi ex nobilioribus ad eos salutandos accurrunt: eorumque miserati sortem, in domos suas ad quiescendum invitant. Id præcipue tum opus erat Novitiis, qui cœnam jam sumpserant (quanquam eam aliqui neglexerunt, ne inde, ubi jacuerant, dimoverentur) et in diversorio lectos non amplius duos habebant. Propterea relictis ibi duobus, qui sacculos custodirent, reliqui apud beneficos incolas commode pernoctarunt. Hoc etiam illis accidit peropportunum, quod inter eos quidam incedebat chirurgiæ non ignarus: qui ad leniendos fleminum, et tuberculorum dolores, quibus acriter adurebantur, ovorum applicito albumine multum eis attulit adjumenti. Sed quanquam illucescente die, ad novam carpendam viam satis jam erant expediti, experientia tamen edocti, decreverunt brevioribus deinceps itineribus proficisci.

Antequam Astudillo abirent, novum quiddam evenit, quod eos in suscepto sequendi Patres consilio magnopere confirmavit. Novitius ille, qui Palentiæ, ut alibi demonstratum est, propter Evangelicam illam sententiam, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, a sinistra Judicis ad illius dexteram pertransierat; postquam recessit in diversorium, novum ibi certamen sustinuit adversus quemdam sibi notum, qui eum aliorsum trahere conabatur. At ille, prædicta Domini verba, quæ menti ejus alte infixa fuerant, objiciens, firmus in sententia sua permansit, et sequenti die cum cæteris, qui constantes fuerant, Palentia profectus est, ut Astudillum veniret. Sed cum passus fere sex mille confecisset, tædio, ac difficultate viæ de-

vic-

victus, sociis valedicens, ab eis, in patriam abiturus, recessit. Is ergo denuo Novitiis adjunctus est, cum jamjam essent Astudillo profecturi: eisque valde mirantibus, et reditus causam inquirentibus: „ Heri, dixit, cum a vobis discessissem, „ ad Palentiæ portam, per quam simul eggressi sumus, deve- „ ni. Sed ulterius progredi nullo modo potui: sic enim gut- „ turis angustiis angebar, ut ibidem tantum non suffocandus „ esse timuerim. Hic ego quo me verterem? Scilicet invisibilem „ Dei manum agnovi, qui me iterum ad vos revocabat. Ne- „ que surdas aures illius monitis præbui. E vestigio pedem re- „ fero, viamque facile terens eandem, ab ea, superveniente „ nocte, deflexi, diuque per abrupta montium erravi, donec „ a viatoribus inventus sum, qui me jumento impositum ad „ illam reduxerunt. Circiter mediam noctem hoc tandem op- „ pidum intravi: dumque vos solicite perquiro, in Sacerdo- „ tem quemdam incidi, qui me in domum suam comiter in- „ vitabat. Renuebam ego benigni Sacerdotis hospitium, ut vo- „ bis sine mora conjungerer. Sed cum ille reponeret, impor- „ tunum vobis jam dormientibus accessurum, seque mature ad „ vos me adducturum, ut fecit, illius verbis, et precibus ac- „ quievi. „ His auditis, Novitii singularem Dei providentiam collaudarunt, deque recuperato socio gaudentes, denuo se viæ committunt, quam vario etiam successu confecerunt.

Ad S. Cypriani pagum cum accessissent, milites duos procul aspiciunt, qui citatis equis ad ipsos properabant. Non parum inde sunt consternati; nam subito venit eis in mentem quod Palentiæ, ac Turrecremata toties audierant: alicubi tandem comprehendendos, ut nomen darent militiæ. Et a Turrecremata quidem prope tunc aberant; sed incommodam circuitionem elegerant, ut eam devitarent. Brevi eos assecuti sunt milites, qui rogarunt, numquis inter eos esset Cantaber, et quid ille haberet nominis? Quidam est, inquiunt, Altamira nomine; sed is cum paucis aliquot præcessit in vicum proximum ad quærendum hospitium, cibosque apparandos, dum nos eodem veniamus. Cum hæc audissent milites, abierunt. Novitii vero inter spem adhuc, et metum Vallegueram profecti sunt, ubi eos præmissi socii expectabant. Hic majorem in modum fuerunt conterriti, cum viderent in eandem privatam

tam

tam domum milites divertisse, quæ Novitiis fuerat designata. Hinc enim valde suspicabantur, ne illi ad sistendos omnes, vel certe ad ipsorum aliquem abducendum venissent. Non diu tamen illos ea cura solicitavit, et mox gratiam habuere Deo singularem, quod ad se milites illos direxisset, sine quorum adventu prandium eo die gustare non potuissent. Nam præcursores Novitiorum ne frustum quidem panis invenerant, quod advenientibus sociis apponerent. Milites vero quantum sibi, et Novitiis sufficeret, facile repererunt: et structis epulis, eorum alter, qui Signifer erat, Novitios secum ad mensam advocavit, altero convivis ministrante, qui servus erat Signiferi. Is inter prandendum suum erga Societatem studium aperuit, Novitiosque solatus est valde, quorum sermonibus ipse quoque mirifice tenebatur. Sublatis mensis, quæsierunt Novitii, quam symbolam pro dapibus deberent appositis; solvendo enim erant ex pecunia, quam Palentiæ corrogaverant. Id vero generosus miles adscripsit injuriæ: et hoc unum dolere se dixit, quod Novitios alibi nactus non esset, ubi potuisset eos lautius, ac nitidius habere. Cibi reliquias, quæ servari poterant, illis dedit auferendas; testatus, si aureos haberet quinquagenos, eis libentissime donaturum. Multis etiam institit, ut acciperent induculam lineam, tenui varioque ornatam textu, quam eis offerebat: sed illam nullo modo acceptare voluerunt. Denique cum jam essent omnes profecturi, quisque militum unum ex Novitiis secum fecit in equum ascendere: et quanquam ipsi alio tendebant, tamen per viam, quam ingressuri erant Novitii, ad quatuor mille passus processerunt: relictisque ibi duobus, quos secum tulerant, dum cæteri adventarent, ipsi Lermam versus, quo sibi pergendum erat, deflexerunt. Atque ita Novitiorum timor, ex militum occursu conceptus, in gaudium tandem, et majus eorum commodum evasit.

Tertio profectionis die, quo venturi erant Burgos, quatuor ipsorum præmittendos esse censuerunt, quorum bini Archiepiscopum, bini Prætorem adirent, ab eisque subsidium aliquod peterent ad conficiendum iter, et facultatem rogandi stipem obtinerent. Archiepiscopus, cum primum illos in habitu despicatissimo aspexit, vagos et errones esse subtimuit, qui sub ementito Novitiorum nomine largiorem ab eo beneficentiam

tiam

tiam obtinere contenderent. Mox tamen (ut ipse fassus est viro gravi) cum in eorum vultus, et verba, gestusque omnes diligenter intendisset: Sane quam manifestum est, dixit, hos Societatis Jesu esse Novitios. Et quanquam initio multa sibi occurrerunt, ut illos a persequendo instituto itinere dehortaretur, eorum tamen usque ad eam urbem constantiam admiratus, a deterrendo abstinuit. Jam ad ipsorum postulata, minime decere, respondit, honestos adolescentes, quales eos esse credebat, vicatim stipem quærere: siquid vero cives offerrent sponte, libere acciperent. Ipse autem pallium, et sagum, quibus operirentur, eo die donavit: postridieque iterum, ac tertio ad se vocatis trecentos regales numos fuit elargitus.

Prætor vero et facultatem ostiatim petendi denegavit, et ad se omnes sub vesperum advenire jussit. Ad eum igitur omnes conveniunt præter quinque, quorum tres infirmi, duo ad infirmorum curam in suburbio de Vega remanserunt. Rogat ab eis Prætor, certumne sibi, deliberatumque sit, Patres Societatis in exilium sequi? Quod cum omnes una voce affirmarent, longam ille orationem texuit, ut eos a sententia dimoveret. Sed ea fere dixit, quæ centies jam objecta illis fuerant, et quæ ipsi proinde facile dissolverunt. Id tantum aliquam eis difficultatem ingessit, quod ab homine magnæ auctoritatis nimis asseveranter fuit dictum: Patres Petrum Calatayudium, et Gabrielem de Barco, viros utique virtute et scientia spectatissimos, dum iter Burgis agerent Sanctanderum, profectionem Novitiorum in exilium diserte improbasse. Hoc enimvero ad inflectendos eorum animos plurimum valebat: unde asserebant aliqui, si de his certo sibi constaret, statim ab incepto recessuros. Sed hoc perinde erat, atque in dubium dictorum fidem revocare. Nec diu sub judice lis fuit. Novitiis quippe Sanctanderum usque progressis gravissimi duo illi viri asseveranter obtestabantur, quod de ipsis audierant Burgis, per summam injuriam sibi fuisse imputatum. Interea Novitii, ut propositum nodum vel solverent, vel reciderent, quod sæpe alias responsum dederant, idem modo adhibuerunt: Se jam a Deo in Societatem Jesu fuisse vocatos; propptereaque nihil sibi non esse tentandum, ut in eadem, vel exilii pœna suscepta, permanerent. Voluit nihilominus Prætor, ut rem denuo perspice-

cerent, antequam ex ea urbe discederent. Itaque præcepit, ut postero die viros aliquot doctos consulerent, et ad se sub noctis crepusculum reverterentur.

Dum Prætor moras injiciebat Novitiis, Deus illis de munificentissimo Benefactore providit, qui eorum sublevaret inopiam, et animos ad perficiendum iter adjiceret. Is fuit præclarus Dominus Joachimus Oarrichena, in primario Burgorum templo Canonicus Pœnitentiarius, cujus integerrimæ vitæ exempla omnes omnium ordinum cives suspiciebant: qui gloriæ Dei, et hominum saluti promovendæ solicite intentus, postquam aditum ad Episcopatum, quo dignissimus habebatur, interposita voti religione sibi præcluserat; ad asperrimos Camerorum montes, aliosque vastæ illius Diœcesis tractus excurrens, Apostolicis ministeriis varios quotannis populos ad vitæ sanctitatem erudiebat: indeque in urbem regressus, juvandis omni ope animis, sublevandisque miseris indefesse adlaborabat. Hic ergo, cum audisset, Novitios Burgos contendere, a qua urbe ipse tunc aberat, viam ita celeravit, ut eadem qua Novitii nocte, sed multis post horis domum advenerit. Cognovit ab uno servorum, qui Novitios jam viderat, eorum sex sine pallio, multos inconcinnis, atque etiam discissis vestibus adventasse: facultatem cogendi Burgis stipem omnibus denegatam, permissum tamen accipere quidquid eis erogaretur. His auditis, sartorem de nocte vocat, eique sena pallia quam primum conficienda imperat: servo, quid in crastinum pro Novitiis agere debeat, indicit: sibi autem alia caritatis opera postridie adimplenda reservavit.

Proximo die Pœnitentiarius, hac illac per urbem discurrens, quamcunque domum ingreditur: Novitiis, ait, miserabiliter exspoliatis nil quidem petere licet; sed recipere licet oblata. Quo præconio multi civium permoti, numos, et diversi generis vestes, bellaria quoque, et aromata ad gratiosi postulatoris domum remittunt. Nullus tamen Pœnitentiarium ipsum aut misericordia, aut liberalitate præcessit. Nam et argenteos unciales viginti sex, quot in præsentia poterat, dedit; et cum, distributis palliis, quæ confici jusserat, duos insuper Novitios in breviore veste relinqui animadverteret, oblato quem ipse portabat amictu, summa contentione nitebatur,

ut

ut illum alteruter acciperet. Sed Novitii, tantum beneficentiæ excessum admirati, nulla ratione adduci potuerunt, ut admitterent. Tum ille: Quidquid ego, dixit, vobiscum ago, nihil ad ea est, quæ vellem efficere: universam domus meæ suppellectilem, si modo potestis, vobiscum tollite, et rem mihi gratissimam perfeceritis. Tam prolixam benemerendi voluntatem aliis etiam majoribus officiis cumulavit; tum solvendis difficultatibus, et terroribus elevandis, qui Novitiis injecti fuerant; tum etiam addendis ad perseverandum animis, et alenda spe tenendi portum, antequam inde solvissent Patres. Rogarunt eum Novitii, ut ipsorum confessiones audiret, quo possent sequenti die, quæ Dominica in Albis erat, ad Eucharistiam accedere. Annuit ille libenter, et ad quartam post meridem horam in templo se affore dixit, ut eorum votis satisfaceret. Sed cum magno et ipsius, et Novitiorum dolore pia illa frustrata sunt desideria.

Reditus in Prætoris domum Novitiis indictus fuerat ad noctis initium. Sed Prætor, mutata deinde sententia, post tertiam horam pomeridianam eos advocat: et cum ad ipsum convenissent, quid consilii ceperint, interrogat. Socios in exilium sequi, respondent. Ruinam imo vestram, ait ille: quod etiam in prima allocutione jam dixerat. Et cum inter cæteros tres, quatuorve essent valde pusilli, quorum e numero erat Xaverius Camus, designatis istorum duobus: Quis enim, ajebat, credere unquam possit, ad sustinendos exilii casus, hos a Deo pueros evocari? scilicet aliorum decepti exemplis, eorum vestigia more pecudum insequuntur. Non defuit, qui Prætori responderet, divinam vocationem non esse annis, neque statura corporis dimetiendam; fierique facile posse, ut ad præclara virtutum opera major in exiguo corpore, quam in procero sit animus. Quærenti deinde, quem quisque consiliatorem adhibuisset? alius hunc, alius illum religiosum virum, alius Pœnitentiarium designabat. Quidam eorum dixit, se carnem suam, et spiritum in consilium advocasse: roganteque Prætore, quam habuisset ab eis responsionem? Caro, inquit, perspecta laborum mole, quam ipse nobis heri depinxisti, vehementer impellit, ut maneam; sed spiritus, quem audire præstat, omnino suadet, ut pergam. Alius quidam respondit,

se

se rem illam egisse cum Deo, et conscientia sua, quibus profectionem suadentibus, ob nullas hominum dissuasiones contradicturum. Cum Prætor omnes ad unum interrogasset, duo tantum inventi sunt (fortasse quia consultationis tempus ipse contraxerat) qui neminem Burgis super ea re consuluisse dixerunt. Hos in Cœnobium quoddam misit statim, ubi habita deliberatione, tale habuerunt responsum: Si contenderint in exilium ire, gravi obstringendos esse delicto. Propterea que regressi ad Prætorem, ab eorum numero, qui pergere decreverant, expunguntur. Nec miror, hos, aliosque defecisse, quibus idem ac testæ contigit: quæ, dum ad examen tunsione plurima violentaque revocatur, citius infringitur, quam probetur.

Rogatis Novitiorum sententiis, Prætor Scribam acciri jubet, eoque coram in hunc modum infit: His ego adolescentibus quidquid e re ipsorum esse credebam, inculcare non destiti. Sed illi, nescio quo æstu fervoris abrepti, pertinaciter in exilium ire contendunt: suique consilii auctores alii gravissimos viros, alii Deum ipsum, alii conscientiam, et spiritum habere testantur. Tu modo de iis testimonium dicito: volo enim de omnibus ad Regiam aulam referre. His dictis, Scriba Novitiorum nomina, Parentes, Patriam, et quod quisque consilium ceperat, nomina item Consultorum in tabulas retulit. Atque hoc fuit sextum suæ vocationis examen, quod Novitii coram Judice subierunt. Prætor, qui petitam usque Sanctanderum viatoriam tesseram denegavit, in custodiam imo tradendos esse dixit, si postridie ad octavam matutinam horam ab urbe non evasissent. Ob eam comminationem Novitii neque postero mane cœlesti mensæ accumbere, ut voluissent; neque exploratorem illum, quem Palentia Sanctanderum misisse diximus, Burgis, ut condixerant, opperiri potuerunt.

A Prætore cum discessissent, eos multi civium domos subire suas compellebant, passimque per urbem præclara beneficentiæ signa sunt experti. Superveniente nocte, plerique in cauponam de Vega recesserunt: quatuor apud Curionem S. Jacobi D. Emmanuelem Jocanum pernoctarunt: quinque Pœnitentiarius excepit, cunctos etiam, si potuisset, excepturus. Hos mane, quo promptiores essent ad implenda Prætoris

ris imperata, mature ipsemet excitavit; missisque servis, qui cæteros admonerent, cum illis in templum maximum venit, divinum coram ipsis, imo et pro ipsis oblaturus Sacrificium. Per viam his eos affatur verbis: ,, Macti animo, carissimi: ,, sicut hactenus, cœlesti suffulti ope, per gravissimos superatos casus, exantlatosque labores advenistis; ita etiam, confidite, Sanctanderum tandem venietis, optatamque cum Patribus conscensionem obtinebitis. Id ego vobis a Domino ,, impetraturus, quam ad aras modo immaculatam Hostiam ,, immolabo, jam nunc offero in eum finem. ,, Peracto Sacrificio, ultimum eis valedixit, testatus, extra urbem libentissime illos deducturum, nisi multi jam ejus exedram circumstarent, quorum audire debebat confessiones. Novitii fausta illi omnia precati, ab eo cum incredibili grati animi sensu discesserunt: neque unquam memores esse non poterunt, quam erga ipsos vir optimus exhibuit, beneficentiæ singularis.

Burgis Novitii duo detenti sunt morbo: duo item, ut istorum saluti prospicerent, sponte manere voluerunt, quorum unus tantum, Corunniam deinde veniens, navim cum cæteris ascendit. Alii quatuor, ob injectam admittendi sceleris religionem, iter ad natale solum ceperunt. Demum unus et viginti per viam, quæ Sanctanderum ducit, egressi, quo plura jam pericula superaverant, eo alacriore animo procedebant. Et quanquam iter illud et longius erat priore, et propter montium anfractus difficilius, multum scabritiem ejus lenivit insignis benevolentia, qua a montanis illis gentibus excipiebantur, quæ Novitiorum admiratæ constantiam, eos, quibuscunque rebus poterant, sublevarunt. Nec tamen adversi defuere casus, qui magnum eorum animis mœrorem attulerunt. Tertium jam ultra Burgos iter conficiebant, cum Novitii cujusdam genitor, qui ab usque Navarræ finibus per ducena fere passum millia properaverat, eos tandem est assecutus: et filium, multis licet reluctantem, ab ipsorum comitatu divulsum in domum reverti suam coegit. Paulo post alium, natu minimum, constantia vel maximis supparem amiserunt. Qui superatis invicto animo tentationibus, et itineris molestiis, quas ei tenerior ætas graviores effecit; Burgis blanditias Amitæ, quæ illum retinere conabatur, viriliter sprevit. Nunc vero,

cum prope Patriam teneret iter, obviam ei venit consanguineus, qui Novitios et officiose salutavit, et in diversorio liberaliter habuit, et amice comitatus est Sanctanderum: atque in ipso urbis aditu, tanquam si nihil jam amplius intenderet, ab eis humaniter consalutatis discessit. Sed iterum ad nepotem id temporis rediit, cum Novitii per varias jam domos fuerant distributi: eumque per speciem valedicendi Parentibus, ab eisque benedictionem ultimam excipiendi, ad natalem domum, quæ proxime aberat, secum deduxit: ab eaque deinde, cum magno et ipsius, et suorum comitum dolore, nullam evadendi viam invenit. Sic ille tunc fuit expertus, et postmodum testatus est, nullum formidandum esse magis, quam domesticum adversarium.

Inter hos Novitiis amarissimos casus solatium, quo nihil jucundius optare poterant, Deus illis immisit. A Reinosa nobili oppido iter habebant ad vicum, cui vulgus nomen indidit Piaconcha; cum ecce tibi exadversum Joannes ille de Villanova, quem Sanctanderum Palentia dimiserant, ad eos celeri passu properabat. Properarunt et ipsi vicissim, cum vellet quisque certatim illum primus amplecti, et quid afferret novi dignoscere. Cum jam omnes adfuerunt: „ Ego, inquit Joan- „ nes, quarto post discessum die Sanctanderum ingressus, il- „ lius urbis Antistitem adii, qui me benignissime excepit, „ idemque viam aperuit, ut aditum haberem ad Judicem. „ Huic ego profectionis meæ causas exposui, simulque roga- „ vi, ut me sineret ad Patres accedere, qui omnes adhuc in „ Collegio detinentur. Rem, ait ille, perquam difficilem pe- „ tis. Me tamen in domum suam recepit, et quoniam intra „ Collegium ipse noctu manebat, voluit, ut in suo ego lecto „ dormirem. Nihilominus quoties eum de conveniendis Patri- „ bus alloquebar (loquebar autem frequenter) tanquam sur- „ do canerem, sic ille sermonem alio vertebat. Tandem post „ biduum me vocat in Collegium, neque sinens cum aliquo „ Patrum, quorum plurimos obvios habui, verba conserere, ad „ Provinciæ Præsidem, et Magistrum Novitiorum recta perduxit. „ His Novitiorum indicem exhibui, qui Palentiæ defecerunt: „ quem cum percurrissent, defectionem adeo magnam sunt ad- „ mirati. Sed cum eis omnia exposuissem, quæ ibidem acci-

„ de-

„ derunt, perseverantium numerum majorem in modum admirantur. Perge igitur ad illos citius, ait mihi Provincialis, „ et bono animo esse jube. Quanquam enim de illorum cum „ cæteris conscensione certi nihil habemus, spe tamen vana „ non ducimur, eos hoc iter, sicut impellente Deo arripuerunt, sic etiam eodem bene juvante, non incassum confecturos. Et quidquid a nobis operæ conferri poterit, solicite in eum finem adhibebimus. Quotquot vero ad nos tandem advenerint, obviis eos ulnis excipiemus. „ Id satis habuerunt Novitii, ut perpessos adhuc labores et felicissimos ducerent, et præ hujus solatii magnitudine nihili pendendos existimarent. Itaque quod reliquum erat viæ intra biduum læti conficiunt, et Sanctanderum pridie Kal. Majas ingressi, eam apud optimos cives hospitalitatem, dum navigandi tempus expectant, sunt experti, qualem vix uspiam viderant.

Sed strenuissimo Villanovæ non satis fuit, centum octoginta quatuor millia confecisse peditem, ut suis fratribus inserviret. Cum enim audisset modo, Burgis infirmos duos, et eorum causa duos bene valentes remansisse, quibus major ad insequendum stimulus ex allatis ab ipso nuntiis poterat admoveri; recusata, quam offerebant socii pecunia, ut Reinosæ jumentum conduceret, ad illos advolat sine mora. Et quoniam monuerant socii, ut Pœnitentiarium adiret, qui erga ipsos amantissimi Patris officia præstiterat, ad illum recta contendit. Collaudavit is præclaros Joannis conatus, deque iis, quæ Sanctanderi egerat, et audierat, gavisus est valde. Cæterum laborem, inquit, inutilem suscepisti. Nam tres eorum, quos adeo studiose perquiris, tertio die postquam a me Novitii discesserant, nescio qua peccandi formidine deterriti, in domum quisque suam abierunt. Quartus hic adhuc manet; sed te sequi modo non potest, cum nondum convaluerit, et tibi properato opus sit, ne serius in portum redeas, et enavigandi opportunitatem amittas. Noluit tamen Joannes ante discedere, quam infirmum inviseret, qui jam in eam partem inclinaverat, ut paternam domum repeteret. Sed auditis modo, quæ Joannes afferebat, spiritus ei denuo recaluere, seque in exilium ire velle testatus est. Joannes vero, qui tandiu expectare non poterat, dum ille convalesceret, quoniam navigandi tempus

insta-

instabat; ægrotum centusse donatum cum dolore reliquit. Atque is, si quæris, ille ipse erat, quem bis a constantia sua dejectum, bis item ad Novitios rediisse, alibi ostendi; tum propter illa Domini verba, *Multi sunt vocati*; tum etiam propter anginam, qua subito correptus, pedem retro ferre coactus est: nunc autem, ne susceptum opus absolveret, ab infirmitate fuit impeditus. In quo sane altissima Dei consilia venerari nos oportet, non scrutari. Jam ergo Villanova noster, cum Burgis pœnitentiæ, et altaris Sacramenta suscepisset, sedulo regressus est Sanctanderum, ubi post biduum viginti Novitii naves cum cæteris Sociis ascenderunt.

Xaverius Camus septem, quibus Sanctanderi moratus est, diebus majus longeque difficilius certamen sustinuit, quam usquam hactenus sustinuisset. Illius Mater vidua, quæ relicto Monte, jam intra urbem habitabat, audito Novitiorum adventu, filium alterum misit, qui obviam Xaverio suo procedens, illum in suam domum recta perduceret. Et is Canduelam usque processit, quæ in medio itinere Burgensi sita est. Xaverius tamen qua nocte Sanctanderum advenit, ad Joannem Ostaletum accessit, natione Gallum, sed ea jam civitate donatum, qui Novitiis etiam obviam prodivit, et in ipso urbis aditu, quam quisque domum adiret, ex compacto civium designavit. Is, cum Xaverium animadverteret, qui sibi etiam hospitium assignari expectabat: Quid ergo, ait: nonne in domum tuam cogitas? At ille: Malo, inquit, in alienam divertere. Noverat quippe ex iis, quæ in tirocinio legerat, et propriis etiam oculis viderat, multis qui religiosam iniere vitam, quam fuerit exitiosa cum domesticis consuetudo. Illam ergo noctem in destinata sibi domo traduxit. Sed postridie Sacerdos ad eum venit, qui verbis ad gravitatem compositis, civium ei offensionem objecit, a quibus violatæ pietatis, ac reverentiæ Matri debitæ, nulla esset ratione absolvendus, nisi ad illius domum migraret statim. Hæc a tali viro, tantaque cum asseveratione proposita, timidiorem adolescentis animum inflexerunt, qui maternam in domum, ne quem offenderet, pertransivit.

Paucis dici vix potest, quanta domi suæ pertulerit, a qua vix semel, aut iterum per eos dies ad Novitios redire

per-

permissus est: et quoties ii ad invisendum illum adierunt, nunquam ab ejus latere Mater discessit, donec eum Novitii reliquissent. Quotidie a propinquis, et notis, atque etiam ab extraneis summa contentione oppugnabatur, ut relicto abeundi consilio, tranquillam in Patria, quam jam attigerat, vitam præoptaret. Sed Mater ante omnes filium et precibus, et illecebris, et, quo nihil est vel ad duriores flectendos animos accommodatius, effuso lacrymarum imbre deprecabatur; si minus eum misericordia teneret Matris, quam luctus ex filii fuga brevi conficeret; sibi saltem ipse consuleret, cujus ætas, et corporis imbecillitas tantum laborum pondus, quantum exulibus imminebat, ferre non posset. Non enim, ajebat, isti delicatissississimi tui corporis constitutioni longa per turbulentum mare trajectio, longiorque sub tam diverso cœlo commoratio plurimum obesse non poterunt. His multo plura miscebat, quæ lenissimum filii pectus non tam sui, quam carissimæ Parentis causa feriebant. Sed ne in diuturno illo, et ancipiti certamine vinceretur, recursum ad Deum habuit. Et cum ad socios quadam die quasi furtim accessisset, multum ex colloquio cum eorum quodam habito ad perseverantiam fuit confirmatus: quam cum ejus Mater videret, ipsa quoque timore Dei amorem filii superavit, eique tandem liberam abeundi fecit potestatem. Quo ego in loco Salvatoris nostri gratiæ non possum non intimis sensibus gratulari. Quotus enim quisque sit, qui hujus, et aliorum ei similium adolescentium invictum animum non miretur, quos ardens Christi crucis studium ab suarum amplexu Matrum avulsit? Etenim per eos dies in eadem agebatur scena heroicus ille actus Emmanuelis Lanzæ, quem in ejus Vita descripsimus. Et ibidem Xaverii nostri Patruelis, a quo ille ad amplectendam Societatem incitationem acceperat, nunc etiam in eadem retinenda præclarum ei dedit exemplum. Nam et ipse Patrem suum, qui multa moliebatur, ut eum a suscepto absterreret consilio, ita devicit, ut ad Novitios, quibus non semel iratus fuerat, tanquam ipsi conatus suos inverterent, filium tandem adduxerit: eumque apud ipsos tam libenti animo, et mansuetis adeo verbis reliquit, ut omnibus lacrymas extorserit: postridieque rediens, a Novitiis non ante discessit, quam

quam singulos amplexatus, ab eis orationum suffragia suppliciter postulasset. Tanti est in rebus pulchris habuisse constantiam!

Pridie Nonas Maii Novitii omnes ad Josephum Nietum jussi sunt convenire. Is Judici Sanctanderensi a secretis erat, nullamque antea cum hominibus Societatis habuerat consuetudinem, neque vero nimium erga eos afficiebatur. Sed quo die indicta illis fuit transmigratio, cum obervasset eorum animi tranquillitatem, tantamque in tam adverso casu constantiam, a lacrymis temperare non potuit: domumque regressus, uxori suæ dolenter affirmabat, se antehac quid Societas esset ignorasse. Deincepsque nemini civium cessit, tum Patribus intra Collegium inclusis, tum Novitiis, dum in ea urbe fuerunt, inserviendis. Sed Novitii modo, quoniam omnes ad eum fuerant convocati, subvereri cœperunt, nequid eis adversi ab Judice denuntiaret. Quod cum illius uxor animadverteret, virum rogavit, ut Tirunculis suis quamprimum eam eximeret solicitudinem. Tum ille: Nihil verendum vobis est, inquit: nam Judex quotquot e tirocinio Villagarsiensi venistis, si modo vobis ea sententia manet, navibus sinet imponi. Et quoniam ipse multis in Collegio rebus distinetur, vestram me jussit explorare voluntatem. Post hæc Novitiorum recensionem instituit, quæ nondum peracta erat, cum Judex advenit, qui cognita singulorum voluntate abeundi in exilium sine ulla æris assignatione, præcepit, ut postridie in eandem convenirent domum, inde in Collegium deducendi.

Nonis igitur Maii secunda hora pomeridiana, viginti Novitii, post labores, terroresque gravissimos, post ludibria, et contumelias, quæ fidem superare videantur, exultantibus animis, suis restituti sunt Patribus, qui eos cum incredibili gaudio, atque amore receperunt. Postquam vestibus induti sunt Societatis, P. Petrus Calatayudius illos ad se vocavit, et lætitiam ob ipsorum adventum oculis, ac vultu præferens, eis inter suavissimos amplexus ajebat: Omnipotens Dei manus vos sine dubio ad Societatem Filii ejus adduxit. Multis deinde apud Rectorem institit, ut Novitiis prandiculum apponeretur: dicenteque Rectore, sublatis mensis, omnia jam esse obserata; venerabilis ille senex alienum ab ætate sua non duxit,

xit, ad Promum accedere, a quo fructus aliquot obtinuit, quibus Novitii refecti sunt. Sed iis gratiores multo fuere convivatoris caritas et affabilitas, quam appositæ dapes fuerint. Et eorum memores, quæ paulo ante contigerant, sic invicem mussitabant: Videret hæc, et audiret is, qui Burgis tam fidenter nobis asseruit, venerandum hunc senem nostram improbasse sententiam! nullumque vitæ subsidium nobis in exilio ministraturum! Immane quantum hæc facta ab illis discrepant verbis!

Paulo post ad naves educti sunt omnes: et Xaverius Camus, domestica dirupisse vincula sibi jam gaudens, hujus victoriæ fructum non multo post cum altero communicavit. Quidam enim Sociorum, quem mœror edacissimus occupaverat, cum suum Xaverio animum aperuisset, illius verbis ad lætitiam pristinam fuit erectus: et siquando eadem ægritudine tentabatur, revocatis in memoriam Xaverii dictis, ejusque alacritate perspecta, illa animi sui commotio subito residebat. Nec verbis tantum, sed rebus etiam Socios adjuvit. Nam pleraque ex iis, quæ Mater ei discedenti donaverat, brevi suos inter fratres distribuit: et admonenti cuidam, ut sibi quoque prospiceret: Sine, dixit, ut quoniam in gravioris momenti rebus caritatem exhibere modo non possum, in his minutis exhibeam. Socio deinde ægrotanti tam solicite in omnibus, quæ opus erant, inserviit, ut is aliquando tam impensum benemerendi studium admiratus, quo illud officii genere rependeret, ignorare se dixerit. Sed Xaverius: Ne putes, inquit, quod tibi facio, cuilibet me non æque facturum: id ego maxime propter Deum efficio: cum enim modo carceres, et nosocomia nobis adire non liceat, quidni hujusmodi caritatis opera, sublevandis fratribus nostris, captivis utique, atque infirmis, compensemus? Hæc autem omnia tam hilari animo, et vultu peragebat, ut multam inde gratiam officiis suis omnibus superadderet. Et qui erga homines officiosus erat, erga Deum pius fuit, ac devotus. Præter exactam in adimplendis, quæ præcepta erant, spiritalibus exercitiis diligentiam, alia ipse addebat identidem, ne in tanto militum, et nautarum convicio illius dissiparetur spiritus. Parvum B. Virginis Officium statis recitabat horis, aliasque preces tum eidem V. Ma-

tri,

tri, tum aliis fundebat Sanctis, quorum patrocinium peculiaribus obsequiis implorabat. De iis quoque, ut etiam de rebus ad perfectionem spiritus attinentibus, frequenter disserebat, abscissis a se colloquiis, quæ religiosum adolescentem non decent; summaque adhibita diligentia, nequem aut verbo læderet, aut alio quolibet modo contristaret.

Calvium cum appulisset, neque horrido loci aspectu, neque imminente obsidione deterritus, eam ingressus est urbem, in qua ultra annum, in magna rerum omnium inopia, magnam etiam exhibuit et in periculis aggrediendis constantiam, et in tolerandis adversis alacritatem. Initio quippe, cum obsessi aquæ penuria laborarent, Novitii ad quingentos ab urbe passus procedebant, ut aquam e fonte sumerent, qui medias inter, sibique invicem infestas stationes militum scaturiebat. Et Xaverium, quem natura pavidum fecerat, caritas imperterritum reddidit, ut per amplius quinquaginta dies cum cæteris ad eum fontem non sine discrimine accederet. Quanquam enim Corsorum duces, proposita mortis pœna, vetuerant molestiam ullam inferri Societatis hominibus, quorum sortem miserabantur; cum tamen Genuenses inter et Corsos frequentes fierent velitationes, frequens etiam erat periculum, ne quis eorum aliquando aberraret, et, quem maxime nollet, transfoderet. Sed immensa Dei benignitas Novitios, aliosque juvenes, ac Sacerdotes, qui necessitate, suorumque caritate fratrum compulsi, tantis se periculis objecerant, a belligerantium jactibus servavit immunes: solumque Novitii cujusdam amphoram, ut evidentius mira Dei providentia emicaret, explossa pila confregit. Pactis deinde induciis, nonnihil respirare licuit: sed habitaculi, et victus incommoda nihilo minus perseverarunt. Quæ omnia Xaverius patienter, et alacriter tulit: conticenteque jam armorum strepitu, musas cœpit colere diligentius, et humanioribus imbui literis, quarum in studio libentissime habitabat. Sed nullum majus illo solatium habuit, quam dum jussus est, Deo se per religiosa vota immolare. Tunc enim et perpessos antea labores, et quicunque sibi imminerent, ad quos jam tum forti se animo obtulit, jucundos, et optabiles judicavit. Die igitur undecimo Kal. Decemb. anni 1767, Calvii tria consueta vota concepit: et quæ Deo tunc libenter promisit, æque deinde sancte servavit.

Cal-

Calvio post quatuordecim menses in continentem Italiam delatus, primum in agro Bononiensi ad Bianchinorum Villam divertit, ubi per biennium Philosophicis studiis operam dedit: deinde Bononiam accessit, ut inchoatum Philosophiæ cursum absolveret. Utrobique vero ad indefessam in addiscendis humanis disciplinis industriam, ex qua fructum laudabilem retulit, assiduum, ut antehac fecerat, divinæ sapientiæ studium adjunxit. Hinc autem Deum vereri, ac diligere, se ipsum odisse, terrena contemnere, cœlestibus inhiare, aliisque religiosæ disciplinæ principiis didicit inhærere, quibus præclaram vitæ laudem assecutus, brevi promeritam laboribus mercedem obtinuit.

Magno quidem judiciorum Dei timore concutiebatur, et sæpe sacro quodam horrore perculsus, periculum illud commemorabat, quod Sanctanderi apud suos manendi subierat. Quod si evenisset, qua erat animi demissione, irreparabili se ruina periturum fuisse affirmabat. Sed inde ferventiorem erga Deum caritatis affectum excitabat, qui semet a sanguine junctis admirabili providentia distractum, inter alios collocaverat fratres, quorum exemplis, et consuetudine facile posset ad sanctioris vitæ culmen eniti. Quare, ne unquam esset tam singularis immemor beneficii, statuit ad religiosæ perfectionis studium toto vitæ decursu sedulo incumbere. Proptereaque leviores etiam culpas pervigili cavere cura satagebat, et quas incurrisset, statim ac dolenter illi aperiebat, qui ejus regebat spiritum, ut et lapsum humili confessione puniret, et cautior inde fieret in futurum.

Nec solum errores devitare, et corrigere studuit, sed in illorum etiam radices inquirebat, ut eas evelleret, aut pullulare certe non sineret. Humanæ appetitionem gloriæ, ad quam se, sicut cæteri hominum, proclivem esse sentiebat, non una industria usus est, ut vinceret. Nam primum, quam vana illa sit, et inanis, frequenti perpendebat meditatione, ut facilius ad eam contemnendam permoveretur. Et quod a teneris annis illius animo insederat, id in libello, quem præ manibus habebat quotidie, his expressum verbis reliquit: „ Hominum laudes nullo habebis in pretio, quoniam fumus illæ „ sunt, et folia sonantia: et qui te illis onerat modo, post-

„ modum opprimet vituperiis. Hoc et tibi, et aliis non semel „ expertus es evenisse., „ Deinde ad tolerandas injurias, quarum non paucas in paucis devoravit annis, sempiternum illud opprobrium recogitabat, quo damnati apud inferos lacerabuntur: „ Si te frater, ait ibidem, aut quilibet alius palmis, „ vel fustibus cæderet, sexcentisque oppleret injuriis, et con-„ tumeliis, silendum tibi esset omnino. Hæc enim meræ nu-„ gæ forent ad tormenta illa, et ludibria, quibus inter dam-„ natos, ac Dæmones excipereris., „ Præterea apud se statuerat, iis bene velle, ac precari, qui sibi molestiam aliquam intulissent: deque illatis offensis perinde gaudere, Deoque agere gratias, ac si beneficium aliquod accepisset. Denique non raro ea fecit, aut facere prætermisit, unde sibi dedecus apud homines obveniret. Per menses aliquot antequam morbus erumperet, quo periit, humor quidam acris illius genua sic occupavit, ut ea non posset inflectere: unde inter orandum, atque etiam in Missæ sacrificio stare cogebatur: quod illi non modicam patiendi materiam suppeditavit. Quidam enim ex condiscipulis, qui eum ad speciem robustum, plenoque ac rubicundo vultu aspiciebant, ita cum ipso cavillabantur, ut nimiam in curanda cute solicitudinem exprobrarent. Neque ille unquam aut pro se verba fecit, aut contra joculatores intorsit: sed illorum aculeos tandiu patienter excepit, donec illi aliunde agnoverunt, quam immerito Xaverium pupugissent.

Animum ab aliis etiam affectionibus continebat, quæ possent intimam cum Deo unionem retardare. Illum et naturæ dotes, et morum præcipue suavitas cunctis amabilem effecerunt: unde aliqui colloquiis ejus, et consuetudine mirifice tenebantur. Ipse vero, quippe sagax erat, cum animadverteret, inde non leves moras ad progressum in literis, et virtutibus injici sibi posse; ita caute agere statuit, ut affabilitatem quidem omnibus exhiberet, sed cum nemine familiaritatem iniret. Parum habuit hoc facere, nisi rebus etiam leviusculis sese abdicaret, quæ suæ perfectionis studium poterant impedire. Fit enim aliquando, ut religiosi viri (quod Cassianus merito Collat. I. deplorat) cum maximas facultates contempserint, post hæc pro scalpello, pro acu, pro calamo commovean-

veantur. Qui nisi affectum suum in iis etiam minimis contineant, perfectam cordis munditiam nunquam attingent. Huc igitur spectans Xaverius, animum in ejusmodi rebus non ita defigebat, ut earum cupidine teneretur: quin imo Superiores multa fatigabat prece, ut illa, quæ retinere posset, aliis donare permitteretur. Ajebatque, in his elargiendis, magnam animi voluptatem; in retinendis vero afflictionem probare, ac fastidium. Paucis etiam mensibus antequam vitam finiret, quæ donata sibi fuerant, ne sub pietatis quidem nomine retinere voluit: sed ea cum tali animi comparatione reliquit, ut mundum, si modo se penes esset, relinqueret universum, quo melius Christum pauperem, et nudum imitaretur.

Illam vero non minus necessariam, sed multo difficiliorem abdicationem, quæ voluntate, ac judicio ad imperantis arbitrium submittendis continetur, studio non segniore perfecit. Erat enim ad obediendum in omnibus alacer, quamvis ardua, odiosaque sensui juberentur, nemoque ex illius vultu, vel agendi ratione, ingrata necne sibi essent imperata, dignosceret. Neque Præsidibus tantum, sed subrogatis etiam ministris cæca quadam obedientia parere decreverat, nihil ne interius quidem vitilitigando, ut ipsemet in adversariis scripserat. Quam vero firmiter his decretis suis adhæserit, tum maxime patuit, cum ad Castrum S. Joannis valetudinis causa missus est cum laico, qui deinde ad amicum scribens, hæc inter alia suis literis inseruit: „ De Xaverio nostro, cui ægrotanti per bimen-
„ sem adfui, illud ego in universum affirmare possum verissi-
„ me, magno me rubore fuisse suffusum, perspectis virtutibus
„ ejus omnibus, et actionibus. Sed obedientia præsertim, et
„ submissio, quam erga me habuit, tanta erat, ut ne minima
„ quidem sponte sua faceret, quin prius ad me omnia refer-
„ ret; ut ea, vel me probante perficeret, vel omitteret impro-
„ bante. Semperque illum ad utrumlibet æque paratum inve-
„ ni: unde videbar ego, sive annuerem, sive negarem, perin-
„ de ad illius libitum respondisse; quoniam voluntas ejus si-
„ ne ullo partium studio promptissima erat semper, ut rebus
„ pariter concessis, ac denegatis acquiesceret. „ Medici quoque singularem ad ipsorum præcepta, et monita docilitatem, cum præclaris cæteris ejus moribus, ita suspexerant, ut eum

apud

apud populares suos maxime commendarent. Dixerat illi quidam eorum, ne loqueretur: eo, credo, respiciens, ut ne longioribus colloquiis debilitatum caput offenderet. Ipse vero admonitionem illam tam exacte servandam suscepit, ut ad se deinde accedentibus, quæ opus erant, solis nutibus significaret; donec Medicus, ad eum rediens, insolitam obediendi rationem cum ingenti stupore vidit, ac temperavit.

Dum ibi maneret, egregium quoque pudoris dedit exemplum. Cum enim in Sociorum domiciliis, quorum aliqua erant ibidem, ob incolentium multitudinem recipi non potuisset, in privatam domum divertit: in eaque nunquam aut heram, aut filiam, aut servam, aut eas denique feminas, quæ ad has ventitabant, quamvis id valde cuperent ob evulgatam illius innocentiæ famam, intra sui limen cubiculi pedem inferre permisit. Hoc erat circumspectioni, quam semper adhibuit, maxime consentaneum. Nam et Bononiæ cum degeret, per frequentes vias urbis incedere recusabat, mallebatque semper ruri spatiari, ne vanitates, ut ajebat, aspiceret. Inde firmissima illa manarunt consilia, quæ, ne memoria exciderent, fidelibus chartis commendavit: oculis in terram defixis incedendi, quod æque domi, ac foris observabat: frequentem habendi recursum ad Mariam Virginem, custodem Angelum, aliosque Sanctos, quos per hebdomadæ dies habebat descriptos, ut quotidie illorum aliquot veneraretur; destinata sexta feria Passioni Domini meditandæ, et Sabbato doloribus Matris afflictissimæ recolendis.

His, quæ ad tuendam animi, et corporis puritatem, plurimum valent, ea quoque conjunxit, quæ ad carnis contumaciam edomandam non parum juvant. Externarum usum asperitatum inter exilii incommoda non prætermisit. Atque ut se flagris cæderet, eas adoriri debuit, ac vincere difficultates, quæ sibi graviores pene fuerunt, quam verbera. Erat enim, ut diximus, valde meticulosus: et cum aliunde vellet ostentationem omnem effugere, vel in summi tecti cavum, vel in subterraneum locum sese noctu abdere cogebatur, quod pavorem ei maximum incutiebat. Sed quo ferebatur in se odium, et flagellati Christi conspectus, quem sibi tum proponebat, animos ei addebat ingentes, ut pœnas de se sumeret acerbiores.

res. „ Dum flagellum manu apprehenderis, ait in suo com„ mentariolo, cogita furorem illum immanem, quo carnifices „ in Christum ad columnam revinctum desævierunt. „ Tunc etiam, sicut et cum mensæ accumberet, vel cubitum iret, supplicia recogitabat æterna, ut ubique cum geniis suis belligeraret. „ Dum triclinium petis, ait ibidem, tuam in mentem „ revoca venenatas illas dapes, potionesque piceas, et sulfu„ reas, liquatumque plumbum, et flammarum vortices, qui„ bus ad tartara cibandus, ac potandus fores, siquando iis, „ quod avertat Deus, addicereris: quapropter mortificationi, „ quantum potes, incumbe. Pariter in lectum pergens, illius „ flagrantissimi lecti memineris, horrificis circumsepti Dæmo„ nibus, flammisque strati voracibus, quæ te undequaque de„ pascerent. „ His saluberrimis imbutus cogitationibus, suum non modo corpus flagellis, ciliciis, jejuniisque castigabat, sed animum quoque, ne perturbatis ejus motibus abriperetur, strenue continebat. Inde pacificum gerens spiritum, quem sereno, ac placido vultu ostentabat, cunctis erat carissimus: et ipse, qui se tantum odisse noverat, ac despicere, cæteros amabat impense: et ne aliquem sprevisse videretur, vel in ipsis literariis disputationibus ita sibi imperare statuerat, ut, ad summum, vigorem quemdam animi exereret, nunquam indignanter ageret, aut fastidiose.

Sed, quod maxime omnium interest, id assidua vincendi sui contentione fuit assecutus, ut Deo præcipue carus fieret, ac familiaris. Cum enim terrena desideria viriliter cohibuisset, et perspicacior erat ad contemplanda cœlestia, et ad illa desideranda ferventior. Hinc frequentibus amoris actibus in Deum aspirabat, seseque illi tam vehementi voluntatis impetu conjungebat, ut lacrymas interdum continere non posset. Nil enimvero illum æque permovebat, ut sæpe conscientiæ moderatori affirmavit, atque immensa Creatoris, ac Reparatoris nostri bonitas, et effusa erga homines beneficentia. Propterea, dum argumenta meditationis a Præfecto rerum spiritalium proponebantur; atque is aliquid ad amorem Dei pertinens, præsertimque mysteria Dominicæ Passionis pertractabat, in quibus maxime incomprehensa Dei caritas in universum hominum genus elucet; Xaverius ardentibus lacrymis multoties perfunde-

debatur. Deindeque, ut hæc eadem secum attentius reputaret, non satis habebat consuetam orationis horam explere, sed alia quoque tempora recreationi, deambulationique detrahebat, ut ea daret meditationi. In hac Deus illum ad se suaviter attrahebat, magnaque communicabat lumina, quibus ad omnem virtutem, ac præcipue ad ipsius Dei amorem inflammabatur. Quod si aliquid adversi contingeret, facile sibi, et jucundum Christi patientis intuitus efficiebat. Unde inter annotationes suas, hanc brevem quidem, sed utilissimam apposuerat: *In omnibus afflictionibus, ac mœroribus ad Christum confuge Crucifixum*.

Magno quoque dilectionis affectu erga Christum in Eucharistia latentem ferebatur, quem frequenter propterea recipiebat, et invisebat frequentius. Postquam tirocinium absolvit, præter indictas nostris Scholasticis communiones, et eas, quas Superiores in exilio sic statuerant, ut quotidie bini per orbem fratres ad altare communicarent; aliam ipse cum eorumdem permissu feria quaque sexta celebrabat; tum ut amorem Christi in Passione sua nobis exhibitum rependeret; tum etiam ut eum pro afflictis Societatis Jesu rebus deprecaretur. Semper autem ad sacratissimam illam actionem, diligenti se præparabat studio: nam et corpus suum proxima nocte plagis asperrimis excipiebat; et animum, tanti Hospitis dignitate perpensa, ad ipsum reverenter, atque avide suscipiendum excitabat. Eorum quoque Sanctorum implorabat opem, quos Patronos sibi delegerat, ut per eos lumen, et ardorem impetraret, ad Dominum quam melius fieri posset excipiendum. Indeque fiebat, ut in illius susceptione, et inter gratias agendas, laute ac suavissime reficeretur. Ad eamque dulcedinem regustandam, et confovendam, visitationes interdiu frequentabat, ex quibus magnam animi pacem referebat, ut nulla eum humanarum rerum eventa de sua tranquillitate deducerent; magnam item ad providentiæ divinæ placitum submissionem, cujus vel in ipsis morbi deliramentis singulare dedit specimen. Singulis etiam mensibus novenarias preces persolvebat, ut amori, quem in Eucharistia nobis Deus exhibet, responderet, atque illatas eidem injurias pro virili sua parte compensaret. Nec raro has, aliasque similes precationes in destinato somno tempore cum

Su-

Superiorum venia fundebat, quoties eas antea perficere non potuisset ob imperata literaria pensa, quæ nihilo vel pietatis obtentu defraudabat.

Hac usus ad scientiarum, et virtutum studia sedulitate, Philosophici cursus metam pene jam attingebat Bononiæ, cum gradum sistere coactus est. Circiter veris medium anni 1771 sanguinem cœpit spuere: ac licet hæc ejus invaletudo mortifera non crederetur, plerique tamen existimarunt, ad absolvendum studiorum curriculum inhabilem deinceps fore Xaverium. Is vero nihil propterea perturbatus, primum divinæ se voluntati permisit, et quoscunque vitæ dies sibi concederet, eidem obtulit denuo, quamvis ad culinæ ministeria destinaretur. Deinde, quantum de studiorum contentione remittere cogebatur, tantum superaddebat piis meditationibus: quas non uno semper in loco, ut inanis gloriæ fugeret occasionem, sed modo intra cubiculum, aut in Sacello coram Domino procidens; modo autem in mesaulis deambulando, vel in remotioribus locis ædium exequebatur. Et in frequentiore hac rerum cœlestium tractatione illud a Deo didicit, quod initio medicinæ peritos latuit. Hi enim sic statuerant: quem rejiciebat Xaverius sanguinem, ex capite fluere, nullumque proinde mortis periculum imminere. Sed ipse paucis ab eo incommodo diebus firmissime in animum induxit, vitæ sibi finem instare: cujus rei hanc habuit de cœlo significationem, quam supra tres ante obitum menses Confessario suo, dum ei arcana sua aperiret, non semel his verbis exposuit:

„Cum primum in oratione me ante Deum sisto, videre mihi videor protensum me in feretro ad tumulum deportari, et lugubre mei funeris carmen audire. Hanc mihi „ad vivum impressam imaginem firma consequitur in intellectu persuasio, mortem ex hoc morbo incursurum. Eamque „persuasionem magni erga Deum affectus excipiunt: inter quos „vehemens peccatorum meorum dolor, et amarus negligentiæ „meæ pudor: ardens quoque videndi Deum desiderium, relinquendique mundum, ubi tot inter peccandi pericula tam „facile ab illius gratia possum excidere: supplices etiam deprecationes ad B. Virginem, Sanctosque Societatis, et alios, „quos singulariter venerari consuevi, ut mihi felicem mortem ob-

„ obtineant, in eaque adsint, ut pretiosa sit in oculis Do„ mini. His ego cogitationibus solidos pene dies impendo; „ quoniam mens mea per hoc tempus maximam diei par„ tem in vividam illam meæ mortis imaginationem immergi„ gitur. Itaque licet aliqui dicant, non e pectore, sed e ca„ pite sanguinem venire, quem ab ore projicio; quidquid „ Medicus asserat, certissime is me morbus absumet.„

Nec falsus profecto fuit. Cum enim sub initium Maii fluxus ille sanguinis inchoasset, mense Junio missus est in oppidum S. Joannis, in quo ita melius illi fuit aliquandiu, ut penitus convaluisse videretur. Sed illo postmodum violentius effervescente profluvio, tandem ab eodem extinctus fuit tertiodecimo Augusti die anni 1771. Et morti, quam cogitatione præceperat, præparationem adhibuit, qua illam coram Deo, et hominibus pretiosam effecit. In primis ad Sanctissimam Dei Matrem confugit, eique preces obtulit novendiales, ut in hora mortis suæ propitiam, et adjutricem haberet. Sancto quoque Aloysio precationes per sex dies fudit, in memoriam annorum totidem, quos vixerat in Societate Jesu, in qua Xaverius etiam sexennium fere complevit. Alios item Sanctos supplex adivit, ut sanctam a Deo mortem eorum intercessionibus impetraret. Deinde animum a terrenis rebus ita divellere studuit, ut antequam Bononia discederet, Confessario suo sæpe asseruerit, se non invite mundum hunc relicturum, si Deus jam suæ filum vitæ præcideret, quod ipse brevi futurum existimabat. Eaque ductus opinione, dum ad Castrum S. Joannis permansit, in qua domo receptus est, tam illustria dedit virtutum exempla, ut omnes morum illius suspicerent sanctitatem. Postremo, cum et imminutis viribus, et doloribus increbrescentibus, compagem sui corporis proxime cerneret dissolvendam; accito quem habuerat Bononiæ Confessario, cum eo totius vitæ confessionem instituit: paucisque post diebus in eodem oppido S. Joannis, quam ab initio laudabiliter traduxerat vitam, ei quoque laudabilem finem imposuit, annos natus viginti duos: in quibus, ut plures, quam pro communi hominum sorte, labores pertulit, sic etiam justitiæ fructus protulit uberiores.

De propinqua sua [morte placide, ac sine ullo timore

lo-

loquebatur: ajebatque, spem intus alere firmissimam æternæ beatitudinis obtinendæ. Illud quoque suo testatus est Confessario: cum esset exhaustus viribus, atque ita macie confectus, ut ossea tantum forma videretur, et gravibus insuper doloribus circumseptus; tamen, quasi cœlestibus jam gaudiis esset immersus, ita suum animum suavissima dulcedine recreari, quæ omnem fere dolorum sensum extingueret. Id vero tribuebat ipse primum infinitæ Dei liberalitati, cujus est minima quælibet officia vel in præsentia largiter remunerari: sibique propterea in eum modum compensare voluisse levissimum illud obsequium, quod in sequenda illius ad Societatem Jesu vocatione præstiterat. Tantumque solatium ex ea cogitatione reportabat, quod in Societate Jesu, atque adeo in exilio moreretur, propterea quod ab eadem discedere non voluisset, ut id sibi jucundissimum esse affirmaret. Itaque morti jam proximus in has voces exultabundus erupit: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo, cujus Societati, sicut in terris nomen dedi, licet indignus; sic etiam in cœlis me adscribendum esse confido*. Deinde has cœli delicias clementissimæ cœlorum Reginæ referebat acceptas: cujus dolores in acerbissima Filii nece perpessos, per omne Sabbatum ita solitus erat recolere, ut summo mane cunctas illius diei actiones, cogitationesque suas ad honorem mœstissimæ Matris offerret: post hæc meditationem matutinam, et vespertinam haberet super ejus doloribus, de quibus commentarium scripserat, ex quo meditationis argumenta desumebat: ac denique jejunium eo die servaret, quod, dum sibi per Superiores licuit, effecit. Alia etiam Virgini Sanctissimæ offerebat obsequia, quæ ita voluit ipsa rependere, ut clientem suum, qui toties, dum viveret, sua causa doluerat, jam moriturum benignissime consolaretur.

Hunc vitæ suæ probatissimum finem habuit Franciscus Xaverius Camus, qui brevi annorum spatio divitem, instanter operando, laborum mercedem obtinuit: qui relicta propter Deum Matre, indictoque sibi suisque commoditatibus bello perpetuo, humanarum despicientia rerum, ac divinarum studio non intermisso, ad excelsum religiosæ perfectionis gradum ascendit: qui denique vivens, morum innocentia et suavitate multos sibi benevolentia conjunxit; et moriens plurimo-

rum lacrymas excitavit; cum dolerent omnes adolescentem optimum præcoci nimis morte sublatum. Voluit tamen Dominus, cum sibi maxime placuit, suavissimum illum flosculum ad amœniora cœli Tempe transferre, ubi lætius, ut speramus, latiusque florebit.

JO-

# JOSEPHUS AZTINA.

Azpeithiæ prope Lojolam natus est decimo Kal. Apriles anni septingentesimi vigesimi quarti supra millesimum: et in eodem, quo S. Ignatius fonte ad novam fuit vitam regeneratus, quod inter alia Dei beneficia grato ipse animo commemorabat. Inde vero erga sanctissimum Patriarcham, popularem suum, sic affici cœpit, ut tandem in eadem Lojolæ domo inter ejus connumeratus sit filios vicesimo die Novembris anno 1743. Sed antequam consilium adeundæ Societatis iniret, quiddam ei contigit, quod levissimum videri possit; et tamen ad ostendendam tum mirabilem Dei providentiam, qui sæpe magna nobis commoda vel ex minimis elicit rebus; tum etiam innoxiam adolescentis hujus vitam, haud parum ego existimo valiturum.

Undevigesimum ætatis annum attigerat, humaniorum literarum, et Philosophiæ studiis tanta animi deditus contentione, ut neque pueriles ludi, neque aliæ juvenum oblectationes æque illi placerent, ac libri. Sed domi suæ, cum ad eam per statas anni ferias revertebatur, hanc solitus erat a studiis aberrationem adhibere liberalissimam, ut interdum canoris enutriendis aviculis delectaretur. In iis chlorion erat, ex Fortunatis advectus insulis, quem præ cæteris Josephus in deliciis habebat. Verum is, nescio quo fortuito casu, mortuus concidit: atque hujus aviculæ interitus melioris Aztinæ vitæ fuit initium. Etenim, cum tam cito sibi periisset, quod unice amabat, cœpit statim recogitare, mundi hujus quam fugacia sint gaudia. Et quoniam a puero meliora sequi fuerat assuefactus, facile mens ejus inde assurrexit in Deum, cujus benefico aspirante lumine, tota animi intentione decrevit, spretis mundanæ vitæ solatiis, solidiora deinceps quærere, suamque libertatem religiosæ vitæ jugo submittere. Quam vero

dis-

disciplinam potissimum amplecteretur, non ei deliberandum fuit diu, cum ardens erga S. Ignatium amor, cujus ad natalis domus limina fuerat educatus, subito illum ad expetendam Societatem impulerit: eaque obtenta, immortales Deo gratias agebat pro tanto beneficio, quod ille præstantius in dies reputavit, majoreque proinde habuit in pretio.

Ab ipso tirocinio, quamvis robusta, firmaque valetudine uti videretur, intestinorum oppilatione, crebrisque inde, ac molestis ructibus laborare cœpit. Quod quidem incommodum tantum abest, ut decursu decresceret temporis, ut maxime deinde invaluerit, sæpeque illum ad graves redegerit angustias, donec ei tandem spiritum interclusit. Sed assiduus hic morbus stimulus illi fuit, et quædam veluti fodina virtutum, unde patientiam, et temperantiam, et obedientiam, et frequentem ad Deum recursum, et alios honestissimos eruebat actus, quibus tantum ejus animo accedebat roboris, quantum corpori deperibat. Neque unquam prætextu curandæ valetudinis aut aliquid indulgendum sibi esse censuit, quod legibus adversaretur; aut de sedulo perfectionis studio quidquam esse remittendum. In tirocinio, sicut et in reliqua vita, sæpe necesse fuit, ut Superiores propensum illius animum ad orationem, et corporis vexationem, intentamque in Deum, et in demandata officia mentem, adductis ei frænis moderarentur, ne præscriptos a prudentia fines præteriret.

Parum itidem ad studia literarum ex infirmitate sua fuit præpeditus. Nam cum ingenii sui vires multo essent quam corporis robustiores, ad perfectam scientiarum, quibus ediscendis addictus fuit, agnitionem pervenit. Atque in Philosophia quidem ita profecit, ut eam post triennale curriculum propugnaverit universam. Et qui aderant disceptaturi, quos inter nonnulli Candidati, qui Compostellam per eos dies ad petendam Ecclesiasticam dignitatem convenerant; cum illius expeditissimam defendendi rationem perspexissent, Aztinam non utique discentem, sed consummatum potius Magistrum appellabant. Idem in Lyceo Salmanticensi videre licuit, ubi pro sustinenda Societatis theologica doctrina, semel et iterum in arenam descendit, plaudente sibi semper gravissimo illo Doctorum consessu. Idem denique in cæteris concertationibus, quibus per sep-

ten-

tennium sæpe juſſus fuit exerceri. Ut autem in tuendis sententiis ſuis ſolidam doctrinæ copiam exhibuit, qua diſputatoribus abunde ſatisfecit, ſic etiam in oppugnandis alienis eam ingenii aciem oſtendit, quæ non facile retundi poſſet: quod Palentiæ, dum Philoſophiam explicuit, poſtmodum in Academiis Salmanticenſi, et Valliſoletana multi ſunt experti.

Abſoluto auditoris munere, juvenes Societatis docuit humaniores literas, et Philoſophiam, deindeque Theologiam, in qua docenda ad extremam uſque vitam perſeveravit. Atque ut graviſſimum hoc munus cumulatius expleret, Theologorum principes evolvebat aſſidue, diſcipulorumque progreſſibus attente invigilabat, cum inſtruendis indefeſſe omnibus, tum repetendis ſæpius ſcholis, dum aliqui publicum certamen eſſent ſubituri, tum etiam conceſſo ſingulis ad ſe acceſſu facillimo, pro ipſorum dubiis diſſolvendis. Illud non immerito juſtiſſimum reputabat: quoniam Superiores, S. Ignatii prementes veſtigia, ſubditorum indolem explorabant, ut alii aliud onus imponerent, quod ſingulorum viribus, et ingenio maxime conveniret, in quo prudentiæ laus eſt non exigua; ſubditos pariter ſuam non facile propenſionem ad hæc potius, quam ad illa ſtudia exhibere, nedum eadem abripi debere; ſed in eas potius facultates toto animo incumbere, quæ juxta Inſtituti noſtri rationem cum maxima reipub. Chriſtianæ utilitate conjunctæ ſunt. Seque propterea cum multarum ignoratione rerum, quas libentiſſime didiciſſet, ex hac vita deceſſurum non erubuit aſſerere; quoniam ad Societatis miniſteria cum fructu obeunda ſatius duceret, ſuam in aliis operam collocare. Et in primis ad Scholæ Theologiam ab eo præſertim tempore, cum eam edocere fuit juſſus, ſic animum applicuit, ut et illam calleret penitus, et in ea explicanda, quanquam ingenii elucebat acumen, doctrinæ tamen ſoliditas emineret. Moralem quoque Theologiam diligenter coluit, et in propoſitis diſſolvendis quæſtionibus promptus erat, et prudens: unde illum multi tum exteri, tum etiam domeſtici conſcientiæ ſuæ judicem deſignarunt, et adjutorem in extremo agone advocabant: quibus ille libenter aderat, quamvis multis aut Scholæ diſtentus occupationibus, aut corporis incommodis impeditus. Denique in exilium miſſus, multus fuit

in

in ea Theologiæ parte tractanda, quæ fidei nostræ dogmata edisserit, et ab Hæreticorum tuetur incursibus. Dolebatque interdum, nonnullos Catholicæ veritatis assertores non eo, quo par esset, armorum apparatu ad decertandum accedere. In quibusdam enim legitimum disputandi artificium, peritiamque Dialecticæ requirebat: qui sane defensionem sacrorum dogmatum, quorum alioqui satis se gnaros probant, non adeo debilitarent, si consuetum in Scholis pugnandi morem aut melius ipsi nossent, aut accuratius certe servarent. Id solita sibi cum moderatione dicebat, ut juvenes discerent, qua via, et arte sana sit propugnanda doctrina, et, qui eam contradicunt, arguendi: quam viam multi alii præstantes Theologi cum tenuissent, præclaros ab Hæterodoxis triumphos reportarunt.

Non ideo tamen arida, nec sterilis, multoque minus elata erat Aztinæ sapientia; sed multo pietatis succo condita, et cui solidarum virtutum fructus pondus addebat, et pretium. Postquam studiorum spatia confecit, nullo unquam tempore horariæ meditationi matutinæ semihoram vesperi non adjunxit. Atque inde cæterarum ejus virtutum vigor effluxit. In votiva paupertate observanda curam adhibuit singularem, quæ in tota ejus vitæ ratione apparebat. Nihil in illius cubiculo superfluum, nihil erat pretiosum; et ad sui corporis cultum etiam tum nihil sibi deesse credebat, cum Superiores decentioribus indui vestibus imperabant. Assidua suæ valetudinis incommoda eum ad frugaliorem quoque victum redegerunt. Nam longo annorum tractu cibus ejus vervecinæ carnis portiuncula, et malis aliquot assis, vel coctis finiebatur; rejectis aliis quibuscunque ferculis, et fructibus, ac dulciariis, atque etiam chocolati usu sibi interdicto. Attentissimus erat ad præcavenda omnia, unde vel minimum violandæ paupertatis periculum immineret. Et quanquam pro his translatitiis rebus, quæ frequentius occurrunt, generalem sibi facultatem a Superioribus obtinuerat; in quotidiano tamen agendi usu perinde se habebat, ac si ejusmodi facultatem non impetrasset, facto pro singulis rebus ad eosdem Superiores recursu. Quod si justa nonnunquam de causa universali ea potestate usus fuisset, Superiorem nihilo minus certiorem de omnibus efficiebat. De-

ni-

nique, ne unquam ab hujus perfectione virtutis abscederet, rem quamlibet ad disciplinæ præcepta sic perpendebat, ut prorsus puer parvulus videretur, qui se lege adstrictum agnoscit, et, quo illam expleturus sit modo, vix novit. Noverat ille quam optime quidquid sciendum est in hac parte: sed quidquam operari nunquam audebat, nisi petitis etiam minutis illis facultatibus, quibus assuetus erat ab religiosæ vitæ rudimentis. Quod in viro utique doctissimo, et qui ad aliorum dissolvenda dubia nec morosus erat, nec rigidus, laude non solum est, sed veneratione quoque dignissimum.

Æquam habuit in obedientia servanda diligentiam. Multi sunt oculati testes, qui eum, dum scribebat, literam inchoatam, neque perfectam, ad nolæ sonitum reliquisse viderunt. Multoque plures observarunt, gavissimum quodvis negotium sine mora præcidere, cum primum ad pietatis opera per obedientiæ signum evocabatur. Cum valetudinarius semper esset, in relinquendo tamen strato nunquam ultra consuetam horam cunctatus est quidquam, nisi tardius surgere fuisset præmonitus; quod tamen rarissime jubebatur, cum aperte viderent Superiores, quam ingratiis ab ea communi lege solveretur. Moderatoribus non solum gerebat morem, sed præcipuam etiam habebat reverentiam; nec patiebatur, eorum ordinationes vel leviter improbari: unde, si cuiquam aliquid contra eos excidisset, continuo illum compescebat, id plerumque subjungens: Præpositos multa prospicere, quæ nunquam intueri Subditi possint, nec vero ad intuenda debeant aspirare. Nolebat ad exequenda imperata aliam sibi rationem adjungi, quam simplicem imperantis voluntatem. Neque unquam curiose voluit inquirere, ac ne conjectura quidem odorari, quid sibi, quidve aliis facerent Superiores. Et quod eo amplius est, neque illa, quæ vehementer optabat, post præmissam etiam orationem, ut nostræ præscribunt leges, Superiori proponere ausus est. Cum Ferrolium in exilium abiturus venisset, ingens illum desiderium incessit, alterutram e regiis navibus conscendendi, quæ ad custodiam classis apparabantur: hoc enim et affectæ suæ valetudini minus incommodum, et adversus Maurorum latrocinia, quæ majorem in modum pertimescebat, tutissimum reputabat. Vidit insuper, multorum idem expetentium

tium

tium precibus facile Superiores, naviumque Præfectos annuere. Sed ipse, cum aliquandiu super ea re deliberasset, in animum tandem induxit nihil petere, seque divinæ providentiæ per obedientiam committere. Jussus deinde fuit onerariam ascendere, in qua felicissimum iter habuit: Deusque illi per salsas et instabiles maris undas dulcissimos, ac solidos consolationis sensus infudit; quam pulchrum nimirum sit, atque homini religioso utilissimum, se penitus imperantium committere voluntati: quod ipse postea, ut alios ad perfecte obediendum afficeret, referebat.

Is, quem Aztina per annos bene multos Magistrum, et Superiorem obtinuit, semel tantum in eo vidisse affirmabat aliquam animi solicitudinem, ut a Superioribus rem impetraret, quam valde ille quidem, sed ob finem laudatissimum expetebat. Non diu post ingressam Societatem, frater ejus unicus, et natu maximus e vita sublatus est, in cujus proinde jura Josephus successisse credebatur: ipseque proptera in spem magnam venit, atque adeo in aviditatem religiosæ professionis ratione, ut ajunt, majoratus emittendæ, ut strictiore Societati vinculo alligaretur. Neque Superiores cum eo non libenter consensissent, nisi compertum deinde fuisset, quicunque ex ea stirpe religiosum amplexatus esset statum, primi geniti hereditatem adire non posse. Id cum primum rescivit, suæ redditus tranquillitati, facile acquievit, suoque deinde tempore, quod ardenter, sancteque optaverat, fuit assecutus. Nam ex communi Societatis jure quatuor professus est vota postridie Kal. Februarii anni 1761.

De cætero vel minimos Superiorum nutus observabat, ut illis toto corpore, atque omnibus ungulis in rebus etiam difficilibus obsequeretur. Dum Palentiæ Philosophiam docuit, ad ultimum, maximumque certamen habendum sese comparaverat, ut etiam discipulus, qui sub ejus præsidio illud sustinere debebat. Quæ propugnandæ erant theses, a Præfecto Studiorum probatæ jam fuerant, et subscriptæ, ut publicæ concertationi typis editæ subjicerentur. Collegii Rector eas etiam legit, et probavit: subjunxit vero, eos qui ad argumentandum convenirent, dicturos forsitan, vel saltem suspicaturos, theses illas ad ostentanda Scholæ nostræ principia esse composi-

tas

tas. Id satis Aztinæ fuit, ut recta discipulum adiens, omnia illi de integro cudenda esse diceret: Rectorem propositas theses non improbasse quidem; satis tamen innuisse, gratius sibi futurum, si aliæ discutiendæ proponerentur. Idque nobis omnino faciendum est, addidit: sic enim nostra Deus secundabit incepta, neque aliter auderem ipse, nisi maximo cum timore, in publicum prodire certamen. Novas igitur positiones digessit, easque defendit, rejectis, et ineditis, quas prius magno cum studio delegerat. Quale autem, et quam arduum istuc sit obedientiæ genus, illi optime noverint, qui literario exercentur in pulvere: iidemque fatebuntur, opinor, nisi ab eo, qui suam ad alterius arbitrium omnino finxerit voluntatem, tam exactam agendi rationem teneri non posse.

Tertium illud religiosi status insigne, castimoniæ votum, caute quoque, ac solicite custodivit. Neque expectavit, dum emitteret votum, ut cautionem in hac parte adhiberet. Nam Pompelone, et Salmanticæ (quarum in altera studiorum causa commoratus est annum, in altera biennium, antequam Societatem adiret) præclarum integerrimi adolescentis nomen obtinuit ob singularem præcipue modestiam, qua inter condiscipulos eminebat. Ipsæ adeo mulieres domus, in qua hospitabatur, nunquam in earum faciem oculos Aztinam intendisse, divulgarunt. Et qui domi circumspectus erat, extra illam omnem quoque pudoris offensionem declinabat, a ludis, et spectaculis semper abhorrens, quæ adolescentem ingenuum, ac pudibundum dedecerent. Nec mirum, inter extraneos circumspectionem adhibuisse, qui eam vel inter conjunctissimos retinuit. Postquam in Societate Jesu literarum studia confecerat, idcirco per æstatem missus est in patriam suam, ut posset afflictam reficere valetudinem. Quandiu vero ibi permansit, nulla unquam ancilla quacunque demum ex causa in illius cubiculum pedem immisit. Mater, et soror, quæ longa cum filio, ac fratre colloquia serere percupiebant, tamen qua illum reverentia prosequebantur, non ausæ fuerunt ejus agendi modum interturbare. Hic autem erat, ut domi suæ quam paucissimas posset horas consisteret, in proximumque Lojolæ Collegium discederet, ubi mane, ac vespere diu perseverabat intra Sacellum illud, quod prima nascentis Ignatii cunabula sa-

*m m* cra-

cratius effecerunt. Et quoniam ipse quoque in eadem S. Patris domo religiosæ vitæ cunas habuerat, paucis dici non potest, quantum inde erga illum afficeretur, et quam ardentibus ab eo precibus contenderet, ne se degenerem filium esse permitteret.

Enimvero suscepti religiosi status memoria tanto erat in Aztina tenerior, quanto fuit in eundem statum illius amor vehementior. Hic vires illi addidit, ut lætus, et impiger abiret in exilium. Mirabantur multi, nec immerito, hominem antehac debilem, et infirmum gravissimas in itinere, atque in exilio ipso molestias tanta constantia superantem, ut ab eo tempore, quo primum ab Hispania fuit expulsus, usque ad extremam in urbe Bononia infirmitatem nullo unquam die decubuerit in lecto. Eodem suæ vocationis amore incitabatur, ut frequenter Christum in aris residentem inviseret, ab eoque precaretur instanter, ut Societatem suam sartam, et tectam conservaret. Cum esset ab omni virtutis ostentatione alienissimus, quoties tamen de religiosi status præstantia sermo incidisset, non verebatur, quidquid altissime de illo sentiebat ipse, verbis quoque magnificis aperire, et profusis etiam lacrymis confirmare: quas, cum sæpe alias funderet, nunquam copiosius, atque etiam liberius manare sinebat, quam cum de suæ vocationis beneficio verba faceret, ut alios ad eam impensius amandam, fideliterque retinendam excitaret.

Ad altare quoque consistens, singulari lacrymarum dono fruebatur. Dum se ad sacra illa mysteria præparabat, et in ipsa divinæ Hostiæ consecratione, mens ejus, et animus ita commovebatur, ut toto etiam corpore contremisceret. Sed in reliquo Sacrificio tremorem illum suavissimæ excipiebant lacrymæ, quas interdum adeo fundebat largiter, ut modum eis imponere cogeretur, quo posset rem divinam absolvere. Similiter inter orandum, et inter ipsa de rebus piis colloquia, maximeque dum agebatur de submissione divinæ debita voluntati, quam ipse veluti suarum normam actionum semper aspexit, dulcissimis madebat fletibus, quos ut ne vehementius cierent Socii cum manifesto debilioris sui corporis nocumento, consertum sæpe sermonem abrumpebant. Non tamen frequentes adeo lacrymæ difficilem illum, aut tetricum efficiebant; cum

et

et vultu, et verbis jucundam præferret hilaritatem, quæ tranquillum ejus, et optime moderatum animum indicabat. P. Petrus Calatavudius solitus erat dicere, cum primum Aztinam vidit, dum is Theologiam Vallisoleti tradebat discipulis, visus sibi esse videre hominem ad beatas cœli sedes prædestinatum: illumque deinde, cum sæpe alias, tum morti jam proximum (nam et morientem eum vidit) eadem appellatione nominavit. Tantum ex illius vultu, qui mentis dici solet speculum, vir prudentissimus conjiciebat!

Sub initium anni 1771 inveteratis obstructionibus ventris, et gravissimis eructationibus cœpit urgeri vehementius. Perrexit nihilominus scholas explicare theologicas usque ad ineuntem æstatem: quo tempore, ingravescentibus ejus incommodis, missus fuit Castrumfrancum, quod agro Panzano, ubi meliuscule olim ei fuerat, contiguum est. Nonnullum hic levamentum habuit initio, sed ingravescente postmodum morbo, Bononiam rediit, ubi dies aliquot mansit, persuasum sibi habens, extremum suum diem appropinquare. Ipsemet arcessitum Medicum instanter rogavit, ne se celaret quidquam, sed agnitum mortis periculum, palam sibi, et statim ediceret, ut posset supremis Ecclesiæ præsidiis mature corroborari. Non potuit Medicus eximiam viri pietatem non admirari: ab eoque digrediens, sublatis in cœlum manibus exclamavit: utinam cum talibus semper nobis esset agendum! Et quoniam ex Medici sententia, quamvis id expresse non jusserit, poterat Sacramenta recipere, decrevit Rector piis ægroti votis quam primum annuere. Quare illo ipso die, cum animum per moram temporis satis longam confessione purgasset, post horam septimam pomeridianam sanctissimo refectus fuit Viatico. Dum gratias pro tanto dono peragit, magna febris accessione corripitur, sudoreque difluit copiosissimo, qui vires ei adimit festinanter. Generali propterea peccatorum absolutione impertitur, interea dum sacrum adducitur oleum, quo statim inunctus est, suam quoque jam tremulam vocem ad singulas Ministri preces adjungens. Idemque præstitit, cum deinde illius anima Deo commendaretur: quo tempore sensibus destitui cœpit, tandemque ad illa verba, *Proficiscere anima Christiana de hoc mundo*, placida morte expiravit.

Hæc

Hæc ego distincte idcirco persequor, non solum ut piam Aztinæ mortem exponam, sed ut Dei quoque misericordiæ, suorum preces servorum benigne exaudientis, novum hoc proferam argumentum. Etenim cum Medicus, et multi domesticorum existimarent, Aztinam nonnullos adhuc dies supervicturum, is profecto periculum obeundi subiit, antequam sacris præmuniretur mysteriis. Ipse vero, qui jam inde ab initio sui diuturni morbi salutari quodam timore percellebatur, ne non repentina occumberet morte, cum sæpe illum violenti flatus in discrimen suffocationis adducerent; nullum prætermittebat diem, quin supplices ad Deum preces effunderet, ne se sine Sacramentis abire permitteret. Patuitque singularis Dei providentia, qui Rectori domus mentem illam injecit, ut Aztinæ quam primum fieri poterat, sanctissimum Eucharistiæ Viaticum ministraretur, cui quidem suscepto vix horam integram supervixit. Mortuus enim est, juxta Hispani calculum horologii, hora noctis octava cum quadrante, postridie Kal. Septemb. ann. 1771, cum explesset vitæ annos septem et quadraginta, et Societatis octo fere ac viginti.

GAB-

# GABRIEL DE BARCO.

Flaviobrigæ nobili Cantabriæ oppido, ex nobili pariter genere natus est Gabriel evoluti seculi anno quarto et nonagesimo, XV Kalendas Octobris. Cum octodecim esset annorum, ad Societatem Jesu animum applicuit, in qua post emensum laudabiliter tirocinii, et studiorum stadium, alia diversa munera cum cura administravit. In Academia demum Salmanticensi Doctoris Theologi lauream adeptus, multos docendo annos impendit, et ibidem jam rude donatus usque ad exilii diem perseveravit. Illic peracris ingenii lumine, doctrinæque robore solidissimæ tantam apud omnes sapientiæ opinionem obtinuit, ut inter præcipuos sui temporis Theologos haberetur, qui frequentissimam illam scientiarum sedem incolebant. Ad auscultandum eum e superiore loco disserentem multi libenter accedebant: et ob nitidissimi oris facundiam, et expeditam abstrusiora quælibet explicandi facilitatem in omnibus quidem approbationem, in doctioribus vero admirationem excitabat.

Sed cum tanta illius esset doctrina, et ingenii sui dotes multo essent communibus superiores, adjungebat his animi candorem eximium, et ingenuum cum cæteris agendi modum ab omni non solum dolo, vel astu, sed affectatione quoque abhorrentem. Hinc passim laudabilem illam ostendebat simplicitatem, a qua mundana nimium abesse solet sapientia, quæque illorum est hominum propria, qui multum in Sanctorum scientia profecerunt. Ad eam non minorem contulit, quam ad humanas scientias, studii contentionem. Et in Dei quidem timore, qui veræ initium est sapientiæ, tantum ille momentum justissime reponebat, ut in eo firmissima totius vitæ suæ fundamina collocarit. Hic eum ad servandas religiosæ disciplinæ leges exactum, ad explendas demandati muneris partes strenu-

nuum, ad persolvenda quotidiana pietatis officia diligentem reddidit: his enim præcipuum dabat locum vel inter implicatissimas Scholæ occupationes, quæ hominem ad spiritualia minus attentum facile dissipare solent. Hic etiam tanto illum divinæ offensæ horrore perfundebat, ut non semel visus sit ad auditum peccati vocabulum contremiscere, vel cum id solum ad reprehendendum nominaretur. Tanta erat illius animi puritas, et innocentia!

Quoniam vero timor ille non servilis, sed ingenuus erat, ad religiosarum amorem virtutum ex eodem maxime incitabatur. Inde magna illi sedulitas, ut leves etiam defectus declinaret, non modo propter divinam quam in se continent offensionem, sed ne obicem insuper amplioribus opponeret gratiis, neve per illos aditum faceret ad graviores. Noverat, ad iracundiam se proclivem esse natura. Hinc dici vix potest, adversus affectionem illam quot se cautionibus præmuniret, ne unquam ultra rationis metas excurreret. Quod si nihilominus inter Scholasticæ disputationis ardores quidquam sibi elaberetur, quod aliquatenus quemvis offenderet, quiescere omnino non poterat, donec petita venia, de illata offensione satisfecisset: quod nonnunquam cum eo fecit, quem suos inter discipulos numerabat. Ab illius lingua nemo quidquam suæ timebat famæ, cum ne aliorum quidem sermonibus annueret, quibus alterius vitium attingeretur, quamvis notum illud esset, ac publicum.

Ab eodem pariter fonte manavit demissa nimis rerum suarum opinio, propter quam et aliorum naturæ dona, suis licet multis partibus inferiora, innocenti quadam, ut ita dixerim, appetebat invidia, et se deteriorem omnibus existimabat; quippe qui altissimæ vocationis suæ beneficio nunquam digne respondisset. Mirabar ego, et stupebam, ait is, qui cum Gabriele per annos aliquot familiariter egit, cum viderem hinc illius ad disciplinæ nostræ leges exactam vitæ rationem, inde abjectissimam, quam de se ipse induerat, opinionem. Religiosam paupertatem veluti filius matrem amavit: multaque amoris hujus dedit exempla, cum reliqua in vita, tum maxime in extrema senectute, in qua satis sibi esse, atque etiam superesse judicabat, quæ alii non æque spiritu ferventes vix quidem suffice-

ficere credidissent. Obedientiam vero non opere tantum, et manu, sed etiam corde, atque animo peragebat: singularique reverentia prosequebatur Superiores, qui eum quocunque vellent, perinde ac puerum pertrahebant. Ad tuendam denique mentis, et corporis puritatem, præter Dei timorem, quem altissime suo infixerat animo, frequentem habebat recursum ad Beatissimam Virginem, quam ardenter amabat: ut etiam S. Ignatium, aliosque de Societate viros Sanctos, quos pariter piis officiis demereri sibi studebat.

His autem, cæterisque illius virtutibus magnum proculdubio attulit incrementum inopinata illa, et acerba calamitas exilii, quod in provecta jam ætate sustinuit. Tunc enim Dei timor, qui altas in ejus corde radices egerat, fructus protulit uberiores fortitudinis, hujusque comitum, magnitudinis animi, patientiæ, gravitatis, humanarumque rerum despicientiæ. Nam ut plantæ rigente hieme maxime radicantur, et aurum in catino missum, detracta siqua erat scoria, latius emicat, et splendidius; sic etiam virtus in afflictione perficitur, et labores magni, quibus ignavi sæpe franguntur, robustis animis majus plerumque robur adjiciunt. Gabriel ergo legem exilii altissima quadam animi exaggeratione suscepit, invicta tulit patientia, et in magnis multarum rerum angustiis insigni mansuetudine ad obitum usque sustinuit.

Septuagenario major erat, cum Salmanticæ comprehensus est, ut in exilium cum cæteris mitteretur. Sed cum timeret Judex, ne propter gravem senectam, tenuemque valetudinem itineris molestiis ante succumberet, quam illud confecisset, voluit super ea re Medicorum audire sententias. Hi fidem fecerunt, Doctorem Barcum sine manifesto vitæ periculo non posse iter in Italiam suscipere. Testimonium hoc literis consignatum Judex Gabrieli legendum tradidit: qui cum legisset, parumper substitit: deindeque, sublatis in cœlum oculis, hoc Judici responsum dedit: „His nihil obstantibus, quæ „Medici testificantur, ego superioribus adductus rationibus, „divinoque bene fidens auxilio, aperte profiteor, velle me „cum meis fratribus proficisci, ut in eorum amabili Societa„te illam usque ad mortem vivendi normam teneam, quam „sequi professus sum, dum mihi supersit vita.„ Obstupuit

Ju-

Judex ad heroicum grandævi senis responsum. Subjecit tamen, velle se, ut responsionem illam scripto confirmaret, nequis eum violatæ regiæ legis argueret, juxta quam morbo, vel senecta graviter impediti non erant in exilium compellendi. Tum Gabriel, arrepto sine mora calamo, quod verbis edixerat, literis etiam expressit, suaque manu subscripsit. Unde Judex illum, cæterosque, qui cum ipso apud Augustinianos Patres tandiu detenti fuerant, dum convalescerent, Sanctanderum dimisit, quo jam reliqui Salmantini Socii præcesserant.

Postquam Sanctanderum advenerat, gravem devorare debuit injuriam, quæ minus constantem virum altius pupugisset. Certior hic factus est, Burgis affictam sibi esse calumniam, quam supra memoravimus. Tirones scilicet ab eo insimulatos fuisse stultitiæ, qui gravissimam exilii pœnam subire vellent sponte. Id quidem a se dictum non fuisse, fassus est ingenue, quod et itineris socii confirmarunt, qui semper adfuerant, quoties Gabriel cum eo locutus est, qui commentum illud Novitiis obtruderat: doluit tamen, ad eos deterrendos, suum falso nomen fuisse interpositum. Cæterum hanc, aliasque injurias patienti animo tulit, multumque suis et exemplis, et verbis ad confirmandam aliorum constantiam adjuvit. In arcta illa custodia Collegii Sanctanderensis multi erant venerabiles senes, qui suam erudiendis, sanctificandisque populis vitam impenderant. Nunc autem ad angustias illas compulsi, mirum quantum constantia sua, et consiliis juniorum animos ad sustinendum excitaverint. Hos inter haud postremum locum tenebat Gabriel, qui factam sibi potestatem manendi Salmanticæ, ubi amicos numerabat multos, qui sapientiam ejus suspexerant, moresque diligebant ingenuos, ea solum de causa respuerat, ut suis cum fratribus pateretur.

Atque hoc egregii senis consilium tanto erat laudandum magis, quanto vivacissima illius imaginatio suscepti labores exilii significantius menti suæ objiciebat. Nec sane majora veris sibi depinxisse credendus est, cum et communia cæteris mala propter suam corporis constitutionem, naturæque habitudinem intolerabilia illi fore quibusdam viderentur, et Deus insuper peculiaribus eum afflictionibus exercuerit. Sed ipse Dominus, qui famuli sui probare volebat fidem, excelso illum animo

ro-

roboravit, ut in Corsica multa præberet heroicæ patientiæ documenta. Calvii præsertim, ubi duriora omnia, quam quantum dici potest, contigerunt, in angustum, et incommodum parvæ domus angulum ita redactus, ut multis commiserationem, ac dolorem excitaret, ad iteratos laborum occursus egregiam animi firmitatem opposuit. Dei semper reveritus providentiam, et sparsam spinis viam contemplatus, quam ingressus est Dei Filius, illud intime insculpserat animo, quod frequenter in sermonibus inculcabat: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*. Unde in illa ærumnarum sede Gabrielem Deus constituisse videtur, ut qui diu fuerat communis Provinciæ nostræ Magister, altioris modo traderet documenta sapientiæ, cunctosque instrueret humilitatis, et tolerantiæ, perfectæque ad Dei voluntatem subjectionis exemplis.

Bononiam deinde veniens, parem in sustinendis adversis, recusandisque commodis constantiam retinuit. Et in postremo vitæ suæ anno in ea cogitatione defixus, se non diu intra custodiam corporis detinendum, vitam Bononiæ sic duxit, ut qui mortuus jam mundo, solum Deo vivere satagebat. Nullis proinde caducarum rerum illecebris capiebatur: nulla sui corporis solicitudo, neque ullum jam apparebat nimietatis indicium, ad quam olim ex ingenii vivacioris indole propendebat. Occasiones quin imo frangendi sui quærebat studiose, et quæ occurrissent sponte, adeo mansuete tolerabat, nihil ut inde commoveri videretur. Sibi diligenter intentus, aliisque affabilis, et humanitate plenus, nullum domi fastidium, nullam creabat molestiam, perinde quasi ab eadem abesset. In eo tantum displicentiam dissimulare suam non poterat, quod ad sui commendationem, vel etiam commoditatem spectaret. Quorum illud toties ostendit, quoties aliquis animi causa de rebus ab ipso in Schola præclare gestis sermonem intulisset: quem ille sermonem aut vultus severitate, aut verbis etiam gravioribus compescebat. Hoc vero tum patuit, cum diu, multumque decertandum cum eo fuit, ut aliquid de jejunii rigore remitteret: et qui alias ad quosvis imperantium nutus, quocunque demum vocaretur, aderat incunctanter, hic opus habuit, ut expresso illorum mandato cogeretur. De lec-

to, nisi præsenti morbo detineretur, mature prosiliens, expletaque meditationis hora, Missam quotidie reverenter, ac pie celebrabat: cæterisque religiosæ vitæ actibus, quasi junior, et robustior esset, intererat. Tota denique illius agendi ratio veluti hominis erat æternitati laborantis, a qua nusquam suæ mentis oculos sineret evagari.

Quo die solemnis S. Augustini memoria recurrebat, cuidam familiari suo dixerat Gabriel, se non ita multo post de vita discessurum. Et, ut sunt hominum, etiam justorum, diversi variique spiritus, eidem etiam aliquando dixit, optare se morte corripi repentina. Quod cum huic novum videretur, neque communi fidelium sensui valde consentaneum, qui se a subitanea, et improvisa morte liberari cupiunt, et petunt; reposuit Gabriel: mortem quidem improvisam se quoque perhorrescere, omninoque deprecari; sed promptam, aut subitaneam mortem, cui debita præcesserit præparatio, non ita esse timendam, ut justis de causis non possit appeti laudabiliter. Jam vero illa Gabrielis sive prædictio, sive voluntatis significatio paulo post tertium mensem fuit expleta. Ipseque interea novo semper ardore suspiria dirigebat in cœlum, vibratis piorum affectuum jaculis, quos ex usu sibi jam fecerat familiarissimos. Atque inter alia frequenter illud usurpabat, quo suum desiderium, simul et fiduciam expromebat: *Gratiam, et gloriam dabit Dominus*. Quod si fortuito in hominum pompam incidisset, infantis alicujus demortui funus deducentium, non poterat exultantis sui cordis impetum continere, quin felicissimam beati parvuli sortem et verbis, et gestibus celebraret. Sed nihil illi frequentius, etiam in colloquio familiari, quam hæc verba: *Benedictus sit Dominus noster Jesus Christus*: cujus Passionis mysteria tam tenero animi affectu recolebat, ut de illis, nisi obortis lacrymis, loqui vix posset.

Multum etiam erga Sanctissimam Dei Matrem afficiebatur, cujus de incomprehensa dignitate magnifice apud alios, tenerrimeque disserebat. Ab eadem impense rogare cœpit, ut sibi celerem mortem impetraret, quod tandem pro votis obtinuit. Cum enim ob aliquam stomachi debilitatem, quæ nullam periculi speciem innuebat, decubuisset in lecto; post

bl-

biduum paralysi correptus est, quæ illum intra modicum spatii tempus exstinxit. Non tamen repentinus hic casus imparatum illum invenit; tum quia jam diu cogitationes suas omnes eo converterat, ut se diligenter ad bene moriendum præpararet; tum etiam quia nonnullos ante dies in id magno studio incubuerat, ut quidquid a prima ætate commissum, omissumve cum Dei offensa recordari posset, id de integro Sacerdoti confiteretur. Eamque confessionem cum ingenti sui animi gaudio, nec minori cum Dei providentia eodem die mane perfecerat, quo illum paralysis sub vesperum occupavit. Postridie vero vitam finivit in ipsis Deiparæ sine labe conceptæ solemniis, quod plerique novum Gabrieli donum a benignissima Virgine in præmium innocentis suæ vitæ concessum existimarunt. Mortuus autem est Bononiæ anno a reparata salute 1771, ab ortu suo septuagesimo septimo, ab ingressa Societate quinquagesimo nono, et ab emissa solemni quatuor votorum professione quadragesimo secundo. Vir sane simplex, et rectus, religione plenus, et fide, qui magnam doctrinæ copiam cum humilitate profunda, et præclara naturæ dona cum singulari candore morum, et pietate conjunxit.

# PETRUS CALATAYUDIUS.

Magno gentis Hispanæ commodo, et singulari Societatis Jesu ornamento natus fuit Petrus in Navarræ urbe Tafalla, Kalendis Augusti, anno præcedentis seculi undenonagesimo. Parentes habuit genere honestissimos, fortunæque bonis abundantes, Sebastianum Calatayudium, et Franciscam Florentiam. Hæc, suscepta prole, ante decessit, quam potuerit ab eadem agnosci. Pater vero, cujus conspicuum erat inter Tafallenses religionis studium, tandiu supervixit, dum filium Apostolicis ministeriis in patria sua præclare fungentem suspexit. Sedulam is operam adhibuit, ut puer mature Deum nosset, ac vereretur. Et quoniam exempla quælibet ad persuadendum plurimum valent, domestica vero quam quæ maxime; cum Sebastianus pietatem, et honestatem morum, quam filio verbis instillabat, ipse factis exprimeret, facile suis illum audientem dictis expertus est, et uberem industriæ suæ retulit fructum. Petrus ipse jam grandior cuidam ex intimis suis auditus est dicere, Deum sibi jam usque a puero obedientiæ donum infudisse. Nimirum excelsæ virtutum moli, cui erigendæ, perficiendæque per longissimum vitæ cursum adlaboravit, solidum hoc fundamentum adeo tempestive substruxit.

Humanioribus literis Tafallæ in patria sua operam dedit. Quam vero eas avide arriperet, hinc inter alia disces. Hortantibus nonnunquam domesticis, ut tantisper ab studii contentione cessaret: Nequaquam, ajebat ipse; cupio enim sapiens fieri, et maxime sapiens. Ex eodem discendi ardore alios etiam altioris subsellii adolescentes ad concertandum secum lacessebat: et illustris quidam civis, qui eundem cum Petro discendi ludum frequentaverat, cum deinde illum vidit tam præclara doctrinæ, et eloquentiæ sacræ lumina diffundentem: En, dixit, quo tandem evaserunt frequentes illæ Petri

ad literaria certamina provocationes. Erat jam tum domestici secessus amans, et in eo exercitiis non modo latinæ linguæ, sed christianæ quoque pietatis incumbebat. Pudorem etiam exhibebat ingenuum, quem a pueritia sibi inditum, cum illibato virginitatis flore, cujus est ille fidissimus custos, ad sepulcrum usque retinuit: eaque ductus verecundia, cum Scholam adiret, indeque domum repeteret, diverticula quærebat de industria, ut frequentiores urbis vias declinaret.

Nitidum et acre nactus ingenium, brevi latini sermonis, rhetoricæque præceptis fuit imbutus. Pompelonem deinde venit, ubi P. Ferdinandum Luzuriagam in Collegio Societatis Philosophiæ Professorem audivit. Ex hujus doctrina, monitis, et exemplis multum et ad liberalium artium scientiam, et ad virtutum incrementa fuit adjutus. Ipse adeo Petrus vel in ultima senectute gratam Magistri sui memoriam retinebat, de illoque inter alia non sine jucundo animi sensu commemorabat: cum S. Sebastiani Collegium eo tempore regeret, quo arcem illam Dux Boreovicensis obsedit, ad inserviendum militaribus copiis, quas dira lues infecerat, se totum devovisse, in eoque ministerio magna contentione suscepto caritatis victimam occubuisse. Sub illius disciplina eam Petrus naturæ cognitionem fuit adeptus, ut publicas Philosophiæ theses anno septimo labentis seculi magna cum laude propugnaverit.

Philosophico emenso cursu, Complutum profectus est, ut jurisprudentiæ navaret operam. Eundem hic vivendi morem tenuit, quem Pompelone ex optimi Magistri consiliis instituerat. In audiendis scholis, cæterisque literarum vel publicis, vel privatis exercitationibus exequendis diligens, et attentus: in pietatis operibus, divinisque percipiendis mysteriis frequens, et religiosus: in cavendis periculis oculatissimus, suumque nativum illum pudorem præ se ferens ubique. Annuerat amicorum votis, ut cum eis animi causa per dies aliquot Matritum adiret. Destinata dies aderat, jamque rhedarii in condictum locum venerant, cum Petrus animadvertit, in rhedam, quæ sibi obtigerat, feminam ascendisse. Subito rubore suffusus, pedem retulit, neque ullis amicorum precibus adduci potuit, ut designatum iter aggrederetur. Inde domum

mum rediens, ob spretum tuendi pudoris causa mundanum illud solatium, suavissimam in animo sensit dulcedinem: eamque verecundiæ suæ mercedem retulit, ut Deus illi egregium pudicitiæ amorem infuderit, quo liber ab illa pugna semper extitit, a qua multi vel sanctimonia vitæ præstantissimi non fuerunt immunes.

Biennium in Cæsarei juris studio, quanquam id sibi non valde arrideret, accurate tamen posuerat, cum illum Deus aliam inire viam coegit miserando cujusdam sui sodalis interitu. Is, nonnullis stipatus sociis, Compluti vias noctu concursabat, varioque civium aures modulamine demulcebat: sed coorta rixa, gaudium occupavit luctus, et ipse confossus pugione concidit. Multis ad nocturnum illum concentum fuerat Petrus solicitatus: at ille, quippe quietis, ac recessus studiosissimus, domi sese continuit. Tamen, ut ab Judicum inquisitionibus nulli obnoxius esset molestiæ, civis ille, cujus fidei commissus erat, Petrum in patriam suam sine mora remisit. Hic Patri suo significavit, se civili juri invita, ut ajunt, Minerva hactenus incubuisse, multoque propensiore animo duci ad sacras scientias addiscendas. Scilicet qui multis erat veritatis lumen populis allaturus, ad illud in fonte hauriendum jam tum a Deo suaviter alliciebatur. Annuente igitur Patre, ad audiendam Theologiam reversus est Pompelonem.

Sed funesta sodalis nece, quæ menti ejus passim obversabatur, ita Deus illum perculerat, ut odisse mundum cœperit, tandemque nuntium ei remittere constituerit. Auxit proinde suas ad Deum preces, quem rogabat enixe, ut sibi ad eam Religionem aditum aperiret, in qua propinquorum ope non indigeret. Facta deliberatione, Societatem Jesu eligendam sibi esse censuit: ad eamque electionem duobus maxime impulsum se fuisse affirmabat. Modestia juvenum Societatis, quam sæpe Compluti suspexerat, et exemplis Joannis a Campoviridi, Franciscique Granadi, Societatis ejusdem in Academia illa Doctorum, qui festis diebus, arrepta in manus canna, ad explicanda pueris fidei rudimenta procedebant. In consilium etiam adhibuit quendam Tafallæ Sacerdotem, prudentia, et integritate vitæ conspicuum, qui Petro vocationem suam ortum e cœlo ducere confirmavit. Is itaque Societatem petiit,

eidem-

demque Pompelone fuit adscriptus pridie Kal. Novembris anni 1710 .

Tirocinium ita suscepit, ut brevi novitios inter cæteros exacta legum observantia, et fervore spiritus emineret. Quoniam infausta nex socii primus fuerat ad mundi fugam, et religiosæ vitæ desiderium impulsus; cum videret modo, quanta pericula quantis ad salutem commodis permutasset, vehementiori erga Deum affectu ferebatur, qui se mundanis ereptum casibus, in tutissima statione collocaverat. Indeque animos colligebat ingentes, ut per fidelem susceptæ disciplinæ custodiam tanti se beneficii memorem exhiberet. Et gratissimum hunc animum pro suo ad Societatem accessu in omne vitæ tempus servavit, eumque voce, et scriptis frequenter significabat nunc his Davidici carminis verbis: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit:* nunc etiam illis: *Convertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.*

Cum Deus Petrum, ut multos ad pœnitentiam adduceret, elegisset, eidem austerioris vitæ spiritum, ut olim Baptistæ, communicavit, quo facilius se ipse modo perficeret, et aptior deinde foret ad aliorum salutem promovendam. In corporis macerationibus ab obedientiæ ductu nunquam quidem discessit: sed quæ sibi permissæ fuerant, tanto sui odio exequebatur, ut plagis novas adderet plagas, quæ primum manare saniem, deinde vermibus ita scatere, ut hi ferro chirurgico fuerint extrahendi. Verum his Petri rigoribus, quos ille diu præ animi fervore dissimulavit, sic ejus debilitata fuit salus, ut Medicus pro testimonio dixerit, non solum imparem eum fore ad Religionis onera sustinenda, sed neque vitam ejus, quantum quidem naturæ leges ferrent, esse posse diuturnam. Propterea cum emittendi vota tempus accessit, omnes fere seniorum Patrum in consilio super ea re habito, Petrum dimittendum esse censuerunt. Unus tantum a cæteris dissensit; contendebatque vehementer, quoniam Petrus, testante Medico, diu non erat victurus, domi retinendum; si nihil aliud, saltem ut tironibus, quod adhuc fecerat, ad omnem virtutem exemplo esse pergeret et stimulo. Atque in hujus

jus sententiam itum est tandem ad maximam Dei gloriam, et innumerabilium salutem hominum, Petri vero solatium incredibile: qui multos post annos, cognito quod subierat amittendæ Societatis discrimine, totus inhorruit, Deoque indesinenter agebat gratias, quod sententiam inhibuisset illam, quæ vitam sibi citius eripuisset, quam morbus. Ab hoc paulatim non sine singulari providentia recreatus, vota sua cum ingenti exultatione nuncupavit, et se Deo tota animi intentione in perpetuam servitutem devovit.

A tirocinio Palentiam mittitur, ut Philosophiam non tam disceret, quam recoleret sub Cajetano Salcedo magni ingenii viro, præstantisque virtutis, qui novum hunc auditorem, ad se postremo in cursu advenientem, cæteris præferendum censuit, semperque illum et ob ingenii dotes, et ob vitæ sanctitatem maximo in honore habuit. Sacras deinde literas Salmanticæ audivit, earumque luculentum dedit specimen, duplici coram Academiæ Doctoribus inito certamine, in quo perspicacis, solidæque mentis laudem obtinuit, et industriæ suæ retulit fructum. Sic enim ab incepto studiorum cursu literis navabat operam, ut præter accuratam in quotidiano absolvendo penso diligentiam, quidquid legeret, vel audiret, quod sibi in posterum usui esse posset, in adversaria conjiceret: ex eoque literario penu depromebat deinde, quæ vim ac lucem iis rebus adderent, quas petractabat. Studiorum emenso curriculo, cum jam Sacerdotii apicem attigisset, ingens ille, quo æstuabat, juvandi homines ardor latius erupit. Nam licet esset repetendæ Theologiæ, docendæque Philosophiæ pro munere intentus, audiendis multorum confessionibus, aliisque sacris ministeriis nihilo minus intendebat. Diebus festis in aliquod urbis templum post meridiem egressus, de mysteriis fidei, deque christianis officiis ita disserebat, ut præclaros ex frequentissima concione fructus reportaret. Vidi ego illum (ait senex quidam spectatissimus, qui toto illo triennio Salmanticæ Petrum agnovit) per triennii spatium conspicuis virtutum omnium prælucentem exemplis, Dei amore succensum, et hominum saluti sic inhiantem, ut confessionibus excipiendis, habendis concionibus, juvandisque moribundis, opem cunctis ferre non sineret.

Re-

Relicta Salmantica, venit Vallisoletum, tertia de more Societatis probatione in Collegio S. Ignatii exercendus. Et quoniam illius animi fervor per scholæ occupationes non intepuerat, facilius in sacro illo recessu ad eminentiorem perfectionis gradum ascendit. In frequenti, atque intima cum Deo consuetudine illud cum animo suo volvebat assidue, ut divinæ gloriæ, salutique mortalium promovendæ conatum, et vitam suam impenderet. Eoque inflammatus desiderio, ad Indos mitti petiit instanter: quod cum denegatum sibi esset ob infirmiorem valetudinem, easdem preces aliquot post annis iteravit, quæ pariter exclusæ fuerunt ob eandem causam. Alium, nec sane angustum, exercendæ industriæ campum Deus illi præparaverat.

Post tertiam probationem in Collegio Methymnensi docuit primum Rhetoricam, deinde Philosophiam adolescentes nostros, et exterorum non paucos, qui eodem confluebant. Adhibuitque magnam erga omnes solicitudinem, ut humana, divinaque bene instructi sapientia, utilem postmodum christianæ reipub. operam exhiberent. Neque suis tantum discipulis proderat, sed omnes tum domi, tum foris ad virtutem excitabat. Ac domi quidem præclaris religiosæ vitæ exemplis ita præibat omnibus, ut vel provectioribus venerationi esset, et magno ad officium explendum incitamento. Externi vero, cum ad eos bonus virtutum ejus odor brevi esset effusus, certatim illum vel pro tribunali sedentem sacro, vel e superiore loco dicentem requirebant, ut animi languoribus quærerent medicinam, et facundi oris eloquio ad honesti amorem accenderentur. Privatos quoque sermones prompte, ac scite in eam partem convertebat, unde solida quædam utilitas audientium animis obveniret. Propterea que multi, etiam externi, perficiendi spiritus studiosi, frequenter ad illum accedebant, ut ex fervidis ejus colloquiis, prudentibusque consiliis proficerent ad virtutem. Hos inter eminuerunt religiosi duo viri Dominicani, et Parochus Vallisviridis, qui familiarem cum Petro consuetudinem, quem ipsi hominem Deo plenum appellabant, multum sibi profuisse testabantur, ut in perfectionis christianæ via progrederentur.

Methymna Vallisoletum rediit, ubi Theologiam professus

 est,

est, et Sacros libros exposuit cum magna doctrinæ, neque minori sanctitatis opinione: ad quam maxime confirmandam quidam inopinus casus adjuvit, quo nihil solet esse opportunius ad virtutis meritum explorandum. In florentissima Sapientium corona thesin impugnabat Petrus, publicæ propositam disceptationi. Dumque suum acriter urget argumentum, quiddam posuit, quod *juxta Sanctorum Patrum sententiam* esse affirmavit. Id vero, quod inter Scholæ disceptatores satis est usitatum, eum graviter offendit, qui præerat concertationi: et cum debuisset positionem Petri vel rejicere, vel exponere, in alia omnia digressus, multis in eundem invehitur, illique præsertim arrogantiam exprobrat, et superbiam, qui Sanctos Patres, a quorum lectione longissime aberat, tam præfidenti voce allegasset. Stupebant omnes ad immoderatam licentiam hominis, sed magis ad invictam Petri patientiam, modestiamque singularem, qua tot convicia sine ulla interpellatione, sineque ullo commoti animi signo sustinuit: et postquam fastidiosus Agonotheta stomachum eruperat, interruptæ argumentationis filum, tanquam nihil evenisset adversi, pari tranquillitate ad finem usque deduxit. Novimus hæc ab Illmo D. Emmanuele Murillo, qui prædictæ disputationi tum adfuit, deindeque Segoviensis Episcopus renuntiatus, insignem Petri modestiam cum ingenti admiratione commemorabat, ex eaque ajebat, altissimam se cæterarum ejus virtutum opinionem ab eo tempore induisse.

Quoniam ad Sacrorum voluminum explicationem multam adhibere debuit SS. PP. et Interpretum lectionem, eam nactus est occasionem, ut multa etiam annotaret, quibus deinde in Apostolico prædicandi munere uteretur. Etenim ad id muneris magna animi propensione ferebatur, nec levibus existimabat indiciis, a Deo sibi mentem illam immitti. Sed verus Ignatii filius vota sua Præsidibus exponebat, cæterum quidquid ipsi decernerent libenter executurus. Hi vero, quanquam in Petro præclaras animi dotes ad ministerium illud agnoscerent, et opimos jam fructus læti perspicerent, quos ille variis in excursionibus legerat, quas per æstivas ferias quotannis a suscepto fecerat Sacerdotio; debiliore sui corporis habitudine retinebantur, ne illi difficilem, quam optabat, provinciam penitus demandarent. Bono tamen animo esse

se jussus, in literaria pergebat exerceri palæstra, spe sibi facta non dubia, si quando salus ejus confirmaretur, ampliorem excolendi agri Dominici facultatem habiturum. Hac spe gaudens, nihil interea prætermisit, quo se melius ad gravissimum illud munus digne sustinendum compararet. Nam præter indefessum virtutis, doctrinæque studium, frequentes habebat orationes ad populum, et rudioribus fidei principia declarabat: prætereaque singulis annis, postquam cessaverant Scholæ, ad vicina excurrebat oppida cum aliquo veterano, expertoque operario, per quem ad novum illud adversus vitia decertandi genus informaretur.

Inter eas Petri excursiones, quibus ad majora proludebat certamina, primæ fuerunt, quas anno hujus seculi decimo octavo, et nono ad Batuecos instituit. Hi tractum incolunt in ea Cauriensis diœcesis parte, quæ ad celebrem ædem accedit S. Mariæ a Francia nomine. Regio est in primis aspera, et saxosa, quæ præter apes, capras, et porcos vix aliud profert, quod possit inter vitæ commoda recenseri. Gens etiam ut plurimum agrestis, et in iis, quæ christianam attinent institutionem superiore præsertim tempore non admodum erudita. Eam proinde Salmantini Societatis Jesu Patres ante annos plurimos susceperant excolendam. Et laboriosum illud opus strenue per id tempus urgebat Joannes Abarizqueta, vir insigni animarum zelo, multarumque virtutum laude conspicuus: cujus viri nomen, et merita diu apud Salmantinos, et proximos circum populos celebrabuntur. Is ergo ad expeditionem illam difficilem, quæ probandis Evangelii ministris erat aptissima, curavit comitem sibi dari Petrum a Sacerdotio recentem, cujus propensum et aptum ad illud munus animum agnoscebat. Petrus vero, cui nihil esse posset optatius, suam illam ad Batuecos missionem libentissime suscepit, eamque deinde Apostolici sui ministerii tirocinium appellavit. Ibi enim didicit, sub probatissimi senis consiliis et exemplis, divinæ sementis fructus labores inter, ac sudores colligere per itinera difficillima, per montium prærupta, per stagnantium aquarum lacus, per hominum denique rusticanorum pauperrima tuguria. Hic etiam ad retinendam frugalioris rationem victus, quam deinde suis in profectionibus constantissime servavit, ex rustici cujusdam

ver-

verbis multum se confirmatum esse asserebat. Nam quo primum die cum socio venerat ad Batuecos, hospes publico sumptu cœnam, ut apud illam gentem, satis lautam instruxit: ex qua Patres cum præter olera, binaque ova nihil degustassent, seque in posterum modico, et paupere cibo usuros esse affirmarent: Si hæc ita sint, ait hospes, ego vobis sumptum omnem suppeditabo, neque ullam populus faciet impensam: et omnino præclarum est, ac laudabile, divini satores verbi victu frugi esse contentos. Hæc hospes ille, qui datam fidem exsolvit, et promissam a tribulibus impendii compensationem recusavit.

Dum Albercam, quæ regionis ejus est caput, sacris functionibus exercebant, magna ibi erat imbrium inopia. Hanc ut depellerent calamitatem, incolas hortati sunt Patres, ut cœlum precibus, se vero flagellis tunderent, aliisque affligerent pœnis, si vellent a Deo misericordiam extorquere. Indicta igitur est publica supplicatio, in qua multi vario suppliciorum genere se ipsi torquebant, ut Deum ad clementiam provocarent. Cum e templo procederent, spes nulla pluviæ sereno cœlo affulgebat: sed repente nubibus obductus fuit æther, fusisque precibus contrito corpore et corde, paulo post fusi quoque sunt imbres, qui per triduum aridam terræ faciem abunde irrigarunnt. Tantam apud Deum vim habet humilis cum afflictione corporis conjuncta deprecatio!

Alias etiam per insequentes annos fecit Petrus excursiones, in quibus, cum brevi virtutem ejus, et eloquentiam fama vulgasset, frequentes ad eum veniebant populi, ut detersis pœnitentia culpis, ad meliorem frugem revocarentur. Elucebatque non raro singularis Dei providentia, qua peccatorum permovebat animos, et Petrum in susceptis pro se laboribus consolabatur. Adolescens quidam vitiorum cæno misere immersus, et conscientia delictorum stimulatus, ad S. Xaverium supplices fundebat preces, ut sibi opem ferret ad perrumpendos Diaboli laqueos, quibus erat implexus, et peccata sua legitima confessione expianda. Is, post auditam vesperi de supremo judicio gravissimam orationem, cum ad quiescendum discessisset, ad strati sui latus repente vidit S. Xaverium, et exadverso Christum Dominum, cujus e quinque pla-

plagis pendebant schedulæ, in quibus scelera sua erant scripta: simulque distincte hanc vocem audivit: *Convertere, et age pœnitentiam; nam Deo nihil omnino est difficile.* Mane ad Petrum properat incinctus catena ferrea, eique attonitus, et stupore correptus, primum visionem nocturnam, deinde peccata sua cum ingenti dolore, ac lacrymis aperit, novamque ordiri vitam statuit, quam ut firmius teneret, ad quandam Religiosorum familiam confugit.

Quo tempore Methymnæ Philosophiam explicabat, variis etiam pro Christo functus est legationibus. In earum quadam, ut in oppidum perveniret, in quo postridie celebres habendæ erant nundinæ, duas et triginta leucas sine ulla somni, aut quietis intercapedine confecit, quo plures ex vicinia populi, adventu ejus per nundinatores evulgato, ad audiendum illum confluerent. Illa ipsa nocte in oppidum ingressus, repente cœpit incolas ad pœnitentiam excitare, hortarique vehementer, ne præterlabi sinerent oblatam placandi Numinis occasionem. Postera die miles quidam ad Petri pedes cum procubuisset: Sine dubio vos, inquit, huc loci bonus Dei Angelus opportunissime adduxit. Nam ego certam elapsæ noctis horam jam designaveram, in qua conjugem meam propter adulterium occiderem. Sed vestris sententiis, quæ meum animum intime pervaserunt, agnitam consilii mei temeritatem sum execratus, et acceptam condonare injuriam statui. His dictis, confessionem vitæ totius instituit: et Petrus, collaudata Dei misericordia, suscepti molestiam itineris vel hac una præda sufficientissime duxit sibi esse repensam.

Alibi dum obvios quosque per oppidi vias ad audiendum Dei verbum invitat, in globum hominum incidit, qui nuptiale convivium celebraturi, in atrium cujusdam domus convenerant. Et hi quidem Petrum in templum sequi, dilata tantisper cœna, minime detrectarunt. Sed Sponsi Pater, cui nuptiarum lætitia ex eorum discessu funestanda videbatur, ostii limen occupat, indeque efferre pedem nemini permittit. Petro igitur in concionem abeunte, convivæ postmodum mensis accumbunt: sed infelix Sponsi Pater, qui eos melioribus epulis prohibuerat, suas ipse gustare vix potuit. Sumpta enim prima buccella, totus obriguit, et subita correptus est morte: cujus

fa-

fama cum in omnem circa regionem protinus emanasset, populi luculento illo divinæ ultionis exemplo commoti, ad auscultandum Petrum turmatim accurrerunt: et ibi major extitit fructus, ubi eum Satanas contenderat imminuere.

His animarum lucris per æstatem intentus, imminente jam Studiorum instauratione, domum revertebatur, ut in demandatis Scholæ exercitiis suam strenue operam collocaret. Et quanquam major erat in dies sua in illud evangelizandi munus propensio, eidemque se totum dedere vehementer optabat; divinæ tamen subditus voluntati, literariis occupationibus sedulo incubuit, donec illius vota singulari quadam ratione Deus explevit. Vallisoletum, ubi Petrus Sacram Scripturam interpretabatur, ad audiendam Theologiam per id tempus venerat Augustinus ille Cardaverazius, cujus vitæ innocentiam, et morum sanctitatem supra descripsimus. Is, postquam Deo rem valde commendaverat, ad promovendam ejusdem gloriam, cujus erat studiosissimus, alienum a conditione sua non duxit Romam scribere, ut Petrus sacris, quas appellant, missionibus destinaretur, ad quas et a Deo vocabatur, et quibus digne obeundis erat aptissimus. Et oportet, has juvenis literas gravissimo rationum pondere fuisse suffultas. Nam Præpositus Generalis sine mora Provinciali præcepit, ut Petrum Calatayudium per urbes, et regiones ad prædicandum mitteret, eumque ab omni alio munere absolveret, quod posset ejusmodi missiones impedire. Petrus hoc accepto nuntio lætissimus, maximas Deo egit gratias, eique denuo sese devovit ad hominum salutem omni animi et corporis contentione procurandam, et augendam sanctissimi sui Nominis gloriam.

Deus autem, qui Petrum ad Apostolicum munus elegerat, iis eum donis ornaverat, quibus eidem par esset adimplendo. Ex his quædam complexus est paucis eruditissimus Feijous, qui cum Petrum Oveti concionantem audisset, de illo sic deinde scribebat: „ Eas cœlitus accepit dotes, quæ huic „ aptissimæ sunt adeo difficili ministerio. Vultum gravem, et „ placidum, qui solo aspectu venerationem sibi conciliat, et „ amorem: vocem perspicuam, sonoram, et tersam, quæ in„ tra naturalem contenta tonum, amplissimum complet audi„ torium: pronuntiationem apertam, exacteque terminatam,

„ quæ

„ quæ nullum non apicem in astantium aures immittit : stilum „ simpliciter nobilem, quo vel cultissimus quisque capitur, neque „ a rudioribus non intelligitur: solidum intellectum, qui recta „ contendit in verum, solidioraque reperit argumenta, ut ve- „ rum recta penetret ad auditores .... Neminem unquam nec „ suavius, nec efficacius Dei verbum proferentem audivi. „ Erat insuper procero corpore, et gracili; sed recto, laborisque patientissimo: quod eum ad aliquas sui muneris partes melius explendas mirifice juvit: ut cum per compita, et vias urbium discurrens, gravissimis hac, illac tonabat sententiis, quibus tanquam spiculis civium animos percellebat: vel cum in destinatum concioni locum virorum, ac mulierum longissimum agmen ducens, omnes in convenienti sibi sede, ne quid perturbatum, aut indecorum esset, miro ordine, miraque dexteritate collocabat. Facies denique subpallida, et macilenta; quæ verbis ejus non parum addebat ponderis, cum præsertim notum esset, maciem illam ex jejunio, et oratione, ex vigiliis, aliisque asperitatibus, et assiduis laboribus provenire.

Sed animi sui dotes multo quam corporis fuere præstantiores. Etenim memoriam adeptus est tenacissimam, ut vel in ultima senectute commemoraret exacte locorum ac temporum adjuncta omnia, fideliterque redderet eorum nomina, et cognomina, quibuscum egerat aliquando. Hæc illi magno fuit adjumento ad gravissima expedienda negotia, sicut etiam ad multa illa opera edenda, quæ inter itinerum difficultates, et immensam aliarum occupationum molem elaboravit. Mentem etiam habuit perspicacissimam, quam ille ab novitatum studio cohibitam, earum imbuit rerum notitia, quæ ad pertrahendos in Deum homines maxime faciunt. Theologiam, quam vocant expositivam, moralem, et mysticam, eloquentiam quoque sacram ita coluit, in eisque assidua contentione ita profecit, ut iis admirationi fuerit, qui eum agnoverunt. Atque ad eas præsertim facultates referri possunt docta illa volumina, quæ tanto cum animarum fructu in lucem edidit, et alia, quæ inedita reliquit. Præfervidum, et actuosum ejus ingenium multum ei contulit ad res arduas aggrediendas, quas favente Deo, mirantibusque hominibus confecit.

His animi et corporis dotibus alia etiam accessere dona

sin-

singularia. Talis erat eximia illa auctoritas, quam sine ullo fastu, aut offensione ulla exercebat promiscue erga omnes, qui sibi aliquod in ministerio suo ferre possent auxilium. Coalescebat autem illa tum ex impigro ejus ad agendum animo, tum etiam ex demissionis, et urbanitatis grata quadam temperatura, quæ cum eorum, quos alloquebatur, gratiam sibi comparasset, ad promovendum divinum opus majorem in modum inserviebat. Jam illa vis permovendi animos, cum e superiori loco diceret, variosque pro varietate argumenti affectus excitaret, plane inimitabilis, peneque divina videbatur. Nunc acriter in scelera invectus et vitia, tanto auditores terrore concutiebat, ipsi ut parietes templi nutare viderentur: nunc miseratus peccatorum vicem, ita Dei clementiam exaltabat, ut omnibus spem veniæ faceret indubitatam. Sed cum arrepta Crucifixi imagine, venerat ad perorandum, tum enimvero se ipse multis partibus excedebat, neque ullus erat animo adeo duro, ac pervicaci, quem illius verba non frangerent. Præterea, ut ex narrationis serie apparebit, non raro ea fecit, ac dixit, quæ multi sine superna ope, divinoque instinctu aut fieri, aut agnosci non posse fatebantur.

Sed nihil erat ad persuadendum efficacius, quam ipsius Petri vita, moresque sanctissimi, quos in longo suarum peregrinationum cursu per annos quadraginta tenuit, et usu quotidiano perfecit. In assiduis per Hispaniæ regiones itineribus optimus virtutum ejus odor undique diffundebatur, plurimosque ad eum videndum, audiendum, et consulendum pertrahebat. In quibus pernoctabat oppidis, illud ante omnia curabat diligentissime, ut postridie bene mane Sacrificium offerre posset, quod faciebat cum magna religione, et animi jucunditate. Iter ingressus, recitabat statim itinerarium, Litanias, aliasque preces, ad implorandam opem Mariæ Virginis, Angelorumque custodum, et aliorum Cœlitum, quos in suarum elegerat expeditionum Patronos. His peractis, horam minimum dabat meditationi, quam summa cum attentione, ac reverentia peragebat. Deinde cum socio per aliquod spatium ea conferebat, quæ in destinato ad concionandum loco agenda sibi essent: rursusque ad preces, et psalmos convertebatur, ut spiritum foveret, ac devotionem. Appropinquante jam meridie,

con-

conscientiam discutiebat, et Lauretanæ Virginis laudes iterabat. Eundem fere modum in itinere tenebat pomeridiano. Cum autem in diversoria pervenisset, deprompto, quem portabat secum, scribendi apparatu, quidquid sibi supererat temporis, dabat scriptioni. Atque his brevibus, sed optime collocatis momentis plerosque debemus libros, quos Petrus multo doctrinæ succo refertos cum multa sapientissimorum hominum admiratione vulgavit.

In mutua, frequentique civium contentione, quis eorum Petrum esset excepturus, ipse, quantum poterat, alicujus Sacerdotis domum præferebat: eaque suorum votorum erat summa, ut conclave aliquod obtineret, in quo procul a strepitu orationi vacare posset, et studiis. Continuo rogabat omnes suppliciter, ut omissis urbanis salutationibus, ad se non nisi de negotio salutis acturi convenirent: cui quidem pertractando, neminem seu pauperem, seu divitem die noctuque liberum ad se accessum non habiturum. Feminas vero, cujuscunque conditionis essent, auscultabat in templo: et quæ domi erant, non nisi absente Petro, in illius cubiculum ingrediebantur. Cibus ejus intritæ carnis modico ferculo, decoctisque constabat herbis, quibus interdum aliquid ex arborum fructibus superaddebat: nec patiebatur sibi quidquam inferri, quod lautitiam redoleret. Quod si nonnunquam id cavere non poterat, ut cum Præsulum, aut Procerum mensis accumbere cogebatur, suum nihilominus tenebat parsimoniæ modum, excusatione usus stomachi debilioris. Et cum in his optimatum domibus impensiorem videbat curam, qua ei omnes inservire studebant, solitus erat dicere: *Blandiora hæc Deus cito durioribus compensabit*. Idque omnino ita fieri affirmabat, ut in proxima expeditione, vel in itinere, vel in hospitiis brevi ipse lueret, quidquid alibi habuerat commodi, vel honoris.

Somno non largius indulgebat, quam cibo. Secunda post medium noctis hora plerumque surgebat ad orandum. Non raro tamen, ob fortuitum aliquem casum ante horam illam requisitus, extra lectum innixus genibus reperiebatur. Id tum maxime fiebat, cum Deus illum, ad probandam ejus constantiam, et humilitatem inter hominum plausus stabiliendam,

magnis per intervalla quædam exercebat derelictionibus. In his Petrus adeo gravi mœstitia premebatur, densioresque tenebræ sic ejus mentem obnubilabant, nihil ut Deo gratum, hominibusque proficuum hactenus egisse existimaret, seque a recto bene operandi tramite transversum agi pertimesceret. Sed cum ad eas redigebatur angustias, primum exemplo Christi prolixius orabat, deinde ad Confessarium sub auroram recurrebat, ut eidem animum aperiret, et consilium ab eo peteret ad sustinendum: factaque confessione, atque oblato Sacrificio, nubila diffugiebant omnia, ipseque ad multiplices officii sui labores impigro animo, ac dilatato corde revertebatur.

Hæc erat Petri vitæ ratio: cum aliis vero hunc fere agendi modum observabat. Cum prope jam aberat ab eo populo, ad quem in spiritu erudiendum mittebatur, desiliens e mula, vel asello, quem sæpe in itineribus adhibuit, flexis humi genibus, hymnum *Veni Creator* cum socio pronuntiabat, aliasque addebat preces pro felici suæ profectionis eventu. Inde silentio procedens usque ad urbem, ad quam sub vesperum, quoad ejus fieri posset, accedebat, in ipso ingressu benedictionem incolis cum elevata Crucifixi imagine impertiebat. Hic eum nonnulli cives expectabant, quos de suo in eam urbem adventu præmonuerat. Crucifixum ei portandum dabat, qui nobilem in Clero tenebat locum, aut etiam Episcopo, dum is (quod sæpe contigit) ingredienti Petro occurrisset. Ipse vero cum socio et aliis, quos in auxilium advocabat, sacro quodam ardore succensus, per mediam penetrabat urbem, elataque et arguta voce varias iterabat sententias, quæ ad feriendos peccatorum animos, eorumque veternum excutiendum erant opportunissimæ. Ad insolitum illud, ac plerisque non opinatum præconium tota civitas commovebatur, tantique fiebant animorum motus, ut non semel aliqui, ad Petri pedes procumbentes, sua cœperint peccata publice confiteri. Cum ad plateam aliquam devenisset, parumper subsistens, brevem habebat exhortationem, quam finiebat ferventi contritionis actu. Inde progressus in templum, super illa verba Jonæ: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*, tam gravi, et efficaci dictionis genere disserebat, ut conterriti auditores vix egredi auderent, absoluta jam concione, donec jus-

jussisset Petrus: qui dispositis ad viarum capita luminibus, nequid inordinatum esset, vel incommodum, omnes salutaribus instructos monitis dimittebat in domos suas.

Statim operam dabat strenuam, ut finitimi populi per Curiones urbanos ad audiendos Dei Nuntios invitarentur. Divulgatoque Petri adventu in aliquam urbem; qui tres, quatuorve distabant leucas, neque pauci ex remotioribus locis ad eam properabant urbem, ut tanti viri doctrina fruerentur. Propterea, cum vix ulla ædes sacra tantam caperet auditorum frequentiam; sæpe enim in primariis urbibus viginti, vel triginta millia hominum, nonnunquam plures ad audiendum Petrum convenere; is plerumque in plateis, aut in campis dicere cogebatur. Atque ut apte omnia, et ordinate fierent; postquam adventus sui finem, et quanta inde sperare bona possent, exposuerat; conversus ad magistratum Ecclesiasticum, et Civilem, per Jesum, ejusque Matrem humiliter et instanter. obtestabatur, ut se Patronos ejus operis constituerent, quod in maximum animorum, totiusque reip. commodum cessurum esset. Idem ab illustrioribus petebat civibus; et quotquot aliquo pietatis studio tenerentut, orabat similiter, ut Angelorum pacis æmulati solertiam, alios ad concionem solicitarent, sic a Deo suorum veniam peccatorum facilius impetraturi. His precibus nemo non flectebatur, et nobilissimi quique illa certatim obibant munera, quæ Petrus designasset. Alii enim ad excipiendos, dimittendosque advenas accurrebant, quibus etiam, dum opus esset, receptum intra domos suas humanissime dabant: alii sumpta in manus arundine, ductores, præfectos, ac designatores agebant, ut rectus ubique ordo tam in publicis supplicationibus, quam in concionibus servaretur: alii alia multa præstabant, nullique parcebant operæ, ut omnes uberiorem fructum ex Petri laboribus reportarent.

Ante quartum, quintumve diem non solitus erat in templum ad audiendas confessiones prodire, ut interim Dei timor per inculcatas fidei veritates altius in auditorum cordibus infigeretur. Per eos dies, convocatis in conclave aliquod Confessariis, privatam ad illos habebat orationem de recta, et expedita ratione confessiones audiendi, quæ utpote ab exper-

to profecta Magistro, plurimi ab omnibus habebatur. Deinde universum populum copiosa, solidaque doctrina instruebat circa modum generalis confessionis rite instituendæ. Ab hac instructione, quam ipse peccatorum everriculum appellabat, præcipuum industriæ suæ fructum pendere censebat, eamque proinde in urbibus iterabat, ut quamplurimos ad perseverantem vitæ emendationem adduceret. Erat enim ad conscientias salubriter agitandas magno studio, et artificio elaborata: per illamque Petrus id plerumque obtinebat (quod et de cæteris ejus instructionibus dictum esto) ut unumquemque delictorum spinæ sic pungerent, ut ad eas per confessionem evellendas properaret. Hac arte ultra centena hominum millia ad confessionem generalem induxit.

Ardens ejus studium pro divini Nominis honore tuendo vehementer illum incitabat, ut perjuria, et imprecationes compesceret. Itaque postquam hoc vitium accerrima declamatione reprehenderat, auditores hortabatur, ut quoniam toties urbis suæ vias, et aera contumeliosis in Deum, et homines verbis contaminaverant, sanctioribus aliquando vocibus repurgarent. Isthæc præfatus, viros pone se venire jubebat (feminas Petri socius alia ductabat via) et imaginem præferens Crucifixi, per varias regiones urbis alta voce clamabat: *Vivat Jesus: pereant maledicta*: et his Petri vocibus reliqui omnes succinebant. Nonnunquam subsistens imperabat, ut omnes in genua procumbentes, osculum terræ figerent; maledici, ut oris sui petulantiam expiarent; innocentes vero, ut veniam maledicis obtinerent. Post hæc regressus in templum, cunctis agebat gratias, quod plaudente cœlo, et tartaro valde infremente, Sanctissimum Dei Nomen, ab obtrectatorum linguis proscissum, ipsi præclaro religionis documento honorare studuissent. Præterea patres familias fidem obligare suam cogebat, nullum in ipsorum domibus juramentum, nullam imprecationem, siquando audiretur, sine supplicio relicturos. Deinde conversus ad pueros, quos in eodem, ac patenti omnibus loco constituerat, injungebat eis, ut sublatis in cœlum manibus, de parentum ipsorum culpis veniam a Deo postularent. Tum pueri, præeunte Petro, plenissimam pietatis deprecationem pro genitoribus fundebant suis, quæ non modo lacrymarum im-

brem

brem, sed morum etiam afferebat emendationem. Denique iisdem pueris imperabat, ut quoties aliquem nefanda verba promentem audirent, continuo inclamarent: *Vivat Jesus: osculare terram*. Et pueri, quippe quos vanus ad homines respectus continere non solet, adeo imperterrite imperata faciebant, ut mirabiles inde consecuti sint effectus.

Adversus inimicitias, mutuaque odia non solo verborum pondere, sed quodam etiam opportuno rerum apparatu declamabat. Post solitam instructionem, in qua omnes argumenti partes distincte ac sapienter enucleabat, gravi et eloquenti oratione complectebatur quidquid christiana pectora ad deponendum odium debet impellere. Sub orationis finem augustum altaris Sacramentum ad conspectum populi sub conopeo magna cærimonia exponebatur: et Petrus ferventi prece rogabat Dominum, ut exstinctis inimicitiis, sublatisque simultatibus, pacis et concordiæ spiritum in omnium animos vellet infundere. Et cum totius populi crimina in se ipse conjiceret, deposito amiculo lineo, pœnitentis assumebat habitum, suspenso e collo fune, et spinis capite circumcincto. Eo indutus cultu, reductoque in tabernaculum Sacramento, crucem cum pendentis Christi imagine desumebat: aspersa cruore vulnera populo demonstrabat: et cum potestate vere Apostolica præcipiebat omnibus, ut viri viros, feminæ pariter feminas in sinceri amoris signum invicem amplecterentur. Id nemo cunctabatur efficere: quin imo deinde per vias, perque domos plurimi cursitabant, ut illatæ injuriæ veniam peterent, vel acceptam condonarent: sicque restinctis odiis, in veterem redibant gratiam, et amicitiam.

Sed quoniam in magno populo magna etiam in quibusdam esse solet morum perversitas; Petrus ad eorum animos expugnandos, qui vel concionibus adesse nolebant, vel iis frequentatis, nondum ex fæce vitiorum emerserant; aliam adhibebat industriam, quam, mutuato e re militari nomine, vocabat irruptionem: eamque in hunc fere modum instruebat. Indicta in certam diem publica supplicatione, postquam cives vespere convenerant in templum, multi et Ecclesiastici, et Religiosi viri, quos Petrus invitaverat, intra duos longissimi agminis ordines per intervalla dispositi, verbis ac sen-

ten-

tentiis opportunissimis civium animos indesinenter ad pœnitentiam provocabant. Hoc modo per urbem incedebant, ut ii quoque, quos desidia domi continuisset, salutis monita exciperent vel inviti. Evenitque nonnunquam, ut qui ex itinere in cauponam diverterant viatores, salutaribus permoti consiliis, quæ fortuito a prætereuntibus audierunt Concionatoribus, vitæ suæ rationes in melius commutaverint. Bini, vel terni ex præcipuis Oratoribus in plateis totidem, aut in templo, brevem aliquam, ac vehementem habebant orationem ad circumfusam multitudinem. Et cum in locum, unde prodierant, revertissent, iterato contritionis actu, dimittebantur. Sed egrediente populo, sacri Præcones in ipso templi atrio, et in vicinia non cessabant Dei timorem, et peccati odium abeuntibus inspirare. Hæc omnia nocturno peracta tempore, quanquam viæ accensis lampadibus illustrabantur, sacrum quemdam horrorem incutiebant, qui vel durissimis flectendis animis vim habere maximam agnoscebatur. Multos enim ab ea die tantus admissorum dolor occupabat, ut se noctu flagellis cæderent per vias urbis, aliaque ederent pœnitentiæ signa, quæ ad excitandam, et augendam in aliis compunctionem valebant plurimum.

Præter publicas ad populum orationes, multas privatim habebat ad Sacerdotes præsertim, et Virgines Deo sacras, quibus commentationes S. Ignatii sæpissime proposuit ad meditandum. Quocunque pedem inferret, nullam non tentabat viam, ut exterminatis morum corruptelis, omnia per justitiæ leges ad nitorem pristinum revocarentur. Sodalitates ad fovendam pietatem erigebat: carceribus inclusos, ægrotos, moribundos invisebat, solabatur, adjuvabat: lites, inimicitias, conjugum dissidia componebat. Nihil denique, quod ad honorem Dei, et animorum spectaret salutem, relinquebat intactum. Et dum in urbe una tot, tantaque moliebatur, in aliis simul per literas, per responsa ad frequentes de rebus gravissimis consultationes multa alia curabat, expediebatque negotia, in quibus et privatum quorumdam, et publicum urbium, ac diœcesum spiritale commodum vertebatur. Patebunt hæc manifestius ex iis, quæ modo de nonnullis Petri expeditionibus singillatim dicam. Sed antequam narrationem istam aggrediar, il-

lud dolenter præmonere debeo, commentarios illos, qui de Petri rebus gestis confecti fuerant diligenter, ut post illius mortem evulgarentur, in Sociorum ab Hispania expulsione, et in Parmensi itinere periisse. Unde multa ignoremus necesse est, quæ ad præclaram Petri laudem efficerent, et virtutum ejus præstantiam exhiberent. His interim alia sufficiemus ab incorruptis accepta testibus, qui Petrum aut in suis laboribus adjuvabant, aut eum alibi cognoverunt.

Annus erat a partu Virginis 1727, cum Petrus, relicto Scholæ magisterio, et emissa jam quatuor votorum professione, ad Apostolicum ministerium fuit designatus. Initio nonnullas regni Legionensis, et Castellæ veteris urbes, et oppida peragravit, ut ex iis in vicinos pagos cœlestis doctrinæ lumen effunderetur. Vix primam adorsus fuerat excursionem ad oppidum Paredes de Nava, cum febri correptus fuit in itinere. Sed adveniente postmodum socio, quem Becerrilli expectabat, diutius contineri non potuit: et cum inchoatum arripuisset iter, febris illum dimisit, antequam Paredes adveniret, ubi sine mora cœpit incolas ad emendationem vitæ adhortari. Post dies aliquot cum in suggestum, redeunte febre, conscendere non posset, socium jussit eo die ad populum verba facere. Is erat juvenis, qui recenter ab Scholis dimissus, nullum habuerat otium ad ea commentanda, quæ pro concione diceret: itaque multis institit, ne imparato sibi onus illud imponeretur. Sed Petrus serio præcepit, ut jussa perficeret: et cum adhuc ex ingenti metu reluctantem videret: Ne timeas, addidit; neque enim verba tibi deerunt opportuna. Illudque tibi confirmo: eam te mercedem obedientiæ tuæ consecuturum, ut nunquam deinceps metuas inter dicendum. Paruit ille tandem, et per horam adeo expedite dixit, ut multis post annis, in quibus Oratorem egit, et verum expertus est Petri promissum, rem ipse cum admiratione commemoraret. Sed multo miratus fuit vehementius, cum Petrum coram se genuflexum vidit, enixeque deprecantem, ut se sineret jejunium agere in proximo SS. Simonis, et Judæ pervigilio. Obstupuit initio socius ea talis viri prece, atque animi demissione; sed cum se recepisset, noluit infirmi votis annuere. Tum Petrus: Libenter, ait, obediam tibi; nunc enim

cer-

certus sum, me Dei voluntatem explere. Parem obedientiæ submissionem cæteris deinde sociis exhibuit, quorum arbitrio Petrum subjecerant Superiores in his, quæ ad ejus valetudinem spectarent, ne pro suo austeritatis studio corpus ultra modum affligeret.

Postquam Paredianos diligenter instruxerat, eisque ad conceptum fervorem retinendum Scholam Marianam constituerat, Taurum nobilem urbem excolendam suscepit. Eo profectus, tantisper substitit Villægarsiæ, dum designata dies aderat, in quam Episcopus Senticensis, cui Taurus subest, eodem se conventurum scripserat, ut advenientem Petrum exciperet. Sed Petrus, mutata sententia, ante condictam diem repente viam arripuit, et admonenti socio de iis, quæ sibi cum Antistite convenerant, sic ait: Quæ proponis, verum quidem habent; sed ego nimium incommode valeo, ac nisi hodie iter ingrediar, frustranda erit nostra profectio. Taurum igitur eodem die pervenit, et omnes ministerii sui partes cum ingenti civium fructu, et Episcopi consolatione adimplevit. Sed inde Villamgarsiam regressus, statim in gravissimum incidit morbum, ob quem ad extrema redactus, extremis etiam muniendus fuit Sacramentis. Id cum non semel Petro contigerit, ut expeditionem aliquam defectus viribus aggrederetur, in eaque peragenda convalesceret, socii ejus minime dubitabant, superiori perfusum lumine in his eum casibus operari.

Propterea, dum pedibus posset insistere, nulla eum corporis incommoda retardabant, ne novos pro Deo labores assumeret. Cum primum febris illum reliquit, ad Palentini Collegii Rectorem his verbis scripsit Villagarsia: *Nudius tertius extremam unctionem recepi, et crastina die, juvante Deo, hinc proficiscar, ut legatione mea in urbe ista perfungar*. Tam prompte ab exuperante spiritus fortitudine exanimi pene corpori vires accesserant. Palentiam quo dixerat die profectus, magnam ibi morum conformationem induxit, ejusque virtutum fama post longum annorum cursum recenti adhuc memoria celebrabatur. Hic primum adjunctus illi fuit Joannes Carbajosa, quem Superiores assiduum Petri cooperatorem designarunt, in hoc etiam Augustini Cardaverazii secuti consilium, qui suam rogatus sententiam, nihil aut Deo

gra-

gratius, aut Petro commodius fore respondit, quam si ei socius daretur Carbajosa. Nec facile par hominum invenisses, qui tam uniformi spiritu, et consentientibus animis ad promovendam Dei gloriam conspirarent. Hunc Petrus et fidissimum comitem, et strenuum adjutorem habuit, donec immensis fractum laboribus, in quibus vitam ponere optabat, alio Præsides, ut saluti ejus consulerent, post annos septemdecim avocarunt.

Hoc fultus auxilio, quo nihil ad ejus vasta consilia erat accommodatius, Petrus in Gallæciam pertransiit. Hic annum commoratus, multas ejus regni partes sua prædicatione illustravit. Nam præter Compostellam, et Corunniam, Tydem etiam, et Vigum, et Noyam, et Betanzios adiisse constat, in quarum singulis granum Evangelicum magno cum fœnore seminavit. Betanziis in exigua urbe tanta fuit advenarum frequentia, ut in publica pœnali supplicatione, quæ post celebratum ad aras generale convivium habita fuit, triginta sex millia hominum censerentur. Huic ordinandæ supplicationi adesse voluit Comes Itrensis, qui in Gallæcia pro Rege summam habuit imperii. Idem quoque, ut Petri conatus felicius provenirent, multum et exemplo suo, et egregia contulit largitate. Domi suæ quotidie prandium apparari jussit pro cibandis pauperibus exteris, quorum numerus interdum attigit ad trecentos. Indeque fiebat, ut quem frangebat Petrus cœlestis doctrinæ panem, diutius illi, atque avidius degustarent. Cæteri cives liberaliter etiam advenas pro sua quisque facultate excipiebant. Nec defuit singularis quædam divinæ bonitatis significatio, quæ meritum hospitalitatis comprobavit. Mulier quædam minime locuples nunc duodecim, nunc etiam quatuordecim, aliquando pauciores recepit hospites. His initio duos panes apposuit, qui uncias non excedebant quinquaginta, additis quotidie caulibus, et nonnihil obsonii. Post dies quinque, in quibus eam exhibuit beneficentiam, consumpto penitus obsonio, panes illi duo, quibus ipsa etiam cum marito, et filia vescebatur, non fuerunt absumpti. In illa peregre venientium multitudine tres feminæ, in eodem degentes pago, cui nomen Oix inditum, audiendi divini verbi præclarum exhibuerunt studium. Earum singulæ lactentem habebant filium:

et ex communi consilio ita inter se partitæ sunt curas infantium, ut cum eis una quotidie maneret domi, aliæ duæ per vices ad conciones adirent.

Haud minorem habuit Compostellæ, et in portu Brigantino frequentiam auditorum. Ibi ad commendandam, et recipiendam Petri doctrinam plurimum valuit exemplum, et solicitudo Illustrissimi Archiepiscopi Josephi Jermi, qui concionibus constanter interfuit, et ad eas multos amplissimæ diœcesis Parochos convocavit. Inter alia pietatis opera, quæ ibidem excitanda curavit, utilissimum Matronarum cœtum instituit, quæ feminis in Hospitali domo ægrotantibus cibum quotidie ministrabant, et inter exercendam misericordiam, caducam mortalium omnium conditionem edocebantur. Cum deinde ad Brigantinum portum accessit, in ipso urbis ingressu feminam, quæ a patria, et a marito suo diffugerat, in Deum miro modo convertit. Aderat hæc, dum Petrus solutos quorumdam mores, nullius indicato nomine, coarguebat: et inter alios, vel fortuito, vel Deo movente linguam, uxorem reprehendit, quæ a conjuge ante annos quinque discesserat. Totidem omnino erant anni, cum femina illa suum reliquerat virum, ut ipsa postmodum confirmavit. Unde his intime perculsa verbis, anteactæ vitæ noxas eluere, et ad officium redire constituit. Illustris ejusdem urbis Senatus multum Petro honorem, multam exhibuit venerationem. Ab eo Senatores cuncti documenta quædam audire voluerunt, quæ ipse id genus viris tradere consueverat, ut eam in administranda justitia solicitudinem adhiberent, quæ a caritate, cæterisque virtutibus minime descisceret. Atque ita ipsius verbis ad caritatem sunt excitati, ut paulo post, inspectante plaudenteque populo, reis in custodia detentis copiosum cibum publice detulerint, et impertiverint. Pueri quoque his valde incitati, quæ Petrus de cultu Mariæ Virginis frequenter inculcabat, Congregationem erexerunt, ut Rosarii preces per urbem composito agmine decantarent. Et cum multi deinde viri pueros æmularentur, viæ passim B. V. laudibus personabant. Eum denique fervorem spiritus tota civitas, audito Petro, concepit, ut post multos ab ejus discessu dies, et rigidæ flagellationes audirentur, et alia plectendi corporis exercerentur instrumenta.

Ex

Ex Gallæcia pedem retulit in Navarram, ibique in patria videlicet sua nonnihil eorum cœpit jam experiri, quæ ministerium gloriæ Dei consequantur necesse est. Nonnulli divinarum rerum parum experti, quam tenebat Petrus annuntiandi Evangelii rationem, tanquam novam, et obnoxiam incommodis improbabant. Horum præjudicatis opinionibus imbutus Episcopus Pompelonensis Melchior Angelus Gutierrius, vix inducebat animum, ut Petrum in suam urbem admitteret. Sed cum esset vir insigni pietate, ac prudentia, literas ad Petrum misit, quibus ea complectebatur, quæ contra ejus agendi morem audierat. His ille tam sincere, tantaque erga Præsulem reverentia respondit, et quæ objiciebantur, ita disjecit, ut Episcopus sine mora plenam ei fecerit adventandi potestatem, eaque præstandi omnia, quæ alibi efficere consuevisset. Hac habita facultate, postquam Stellæ cives ad meliorem vitæ formam erudierat, inde Pompelonem iter instituit. In hoc itinere, velut strenam copiosæ colligendæ frugis, Deus illi hominem adduxit, qui sanctitatis ejus fama permotus, magno apud eum confitendi flagrabat desiderio. Sed quoniam alienigena erat, peregrinique sermonis, quem Petrus ignorabat; rogatus est, velletne interpretem adhibere nobilem quendam adolescentem, qui linguam ejus noverat, et Petrum eo die mira prorsus Dei providentia comitabatur. Annuente illo, confessionem suam, a pueritia repetens, largis fletibus magnisque gemitibus, qui vocem ei passim intercludebant, tandem absolvit. Et quanquam inde incredibilem animi traxerat consolationem, tamen ex ingenti spiritus contritione sic ejus debilitatum est corpus, ut Petrus eum in lecto collocari jusserit, cibosque afferri, quibus nimium exhaustum viribus refocillaret.

Eodem die, cum jam advesperasceret, Pompelonem venit, statimque cœpit civibus indicere pœnitentiam. Modicum intra portam urbis cum processisset, ad pedes ejus accidit homo quidam, quem scelerum dolor, et Petri verba confixerant. Eum obiter pro tempore consolatus, porro perrexit, faces subjiciens omnibus ad pœnitendum. Cum ad Episcopale palatium accessit, obviam ei venit Episcopus, qui accepta, quam ferebat Petrus, imagine Crucifixi, cum cæteris processit ad templum Societatis. Hic Petrus sermonem habuit, cunctosque pau-

cis

cis admonuit, quid eis per insequentes dies agendum esset, si Dei vellent iram avertere, ejusque misericordiam promereri. Episcopus, qui attente observabat omnia, ita captus est zelo, et eloquentia Concionatoris, ut aures ei præbere nunquam desierit. Circuibant quotidie pueri vias urbis post meridiem, sacrisque cantiunculis admonebant cives, ut ad concionis locum accederent: et cum præteribant ante Præsulis ædes, ipse pueris adjungebatur, et cum eis pariter cantando veniebat in templum, ibique prope suggestum perseverabat, donec concio dimitteretur. Ad Pastoris exemplum grex quoque solicite ad salutaria pascua currebat. Nec soli veniebant cives, sed accolæ insuper ex centum et undecim oppidis, quæ in undenis circa eam urbem vallibus sita sunt: in quorum aliquo tantum audiendi Petri exarsit studium, ut fere omnes ad eum venerint præter Sacerdotem quendam, et Judicem, qui ad custodiam oppidi remanserunt.

Auditorum multitudini ubertas etiam fructus respondit. Magna ubique propter offensas Deo illatas contritio, magnæque pro his vindicandis voluntariæ castigationes: multæ jam contestatæ lites vel diremptæ partium consensu, vel omnino rescissæ. Unde vir quidam disertus affirmabat, si Petrus dicendo pergeret, nullum ibi Causidicis relinquendum esse locum suæ facultatis exercendæ. Multæ insuper, quæ dissutæ fuerant amicitiæ, denuo conflatæ, et multorum extincta sunt odia. In quo præclarum inter cæteros præbuit exemplum vir genere, et opibus, et munere spectatissimus, qui propter denegatam sibi aream ad ampliorem domus, quam erexerat, substructionem, veteres cum alio valde inferiore gerebat inimicitias. Sed postquam Petrum de venia inimicis danda disserentem audivit, omnem deponere simultatem firmissime constituit. Itaque postridie templum ingressus, in quod sciebat adiisse adversarium, gladio cum baculo et galero seorsum positis, per templi medium decussatis brachiis incedit, atque hominem conspicatus, ad illius pedes deprecabundus procubuit. Generosum hoc facinus nobilissimi, et egregii militis (tertium ab imperatore gradum tenebat in exercitu) ut omnibus gratissimam attulit admirationem, sic etiam incitamento fuit maximo ad injurias remittendas.

Sed

Sed civium animos multo permovit vehementius insigne aliud humilitatis exemplum, quod postmodum in Antistite suspexerunt. Solitus erat Petrus populum in discessu suo vehementer hortari, ut in tradita sibi doctrina fideliter permaneret. Atque inter alia, quæ opportune in argumentum illud afferebat, illum pertractabat locum Apostoli: *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos*: Dæmones scilicet, et infidos innuens amicos, qui suggestionibus, pravisque consiliis nihil non essent tentaturi, ut eos a sanctioris vitæ proposito dimoverent. Hæc igitur cum dixisset, ad deosculandos Sacerdotum pedes descendit. Et cum omnia gemitibus, et fletibus personabant, Episcopus in suggestum repente conscendens, veniam ab universo populo demississime postulavit, quod ipse, qui Pastoris gerebat nomen, hactenus præpostera vitæ suæ ratione rapacem egisset lupum. Vix potuit linguam in alia verba solvere præ lacrymis, et singultibus: frustraque dixisset plura, cum incredibilem in omnibus commotionem, et effusissimos planctus excitasset. Denique Pompelone, ad cujus aditum Petrus nonnullam habuerat oppositionem, Deus illum singulari quodam dono illustravit, quod Apostolicis viris interdum concessisse compertum est. Ad audiendum eum multi advenerunt Vascones, qui vulgarem Castellæ linguam penitus ignorabant. Hi tamen in aperiendis Sacerdoti peccatis suis eundem tenuerunt ordinem, easdemque regulas observarunt, quas Petrus pro facienda generali confessione tradiderat. Id Parochus de multis suæ curæ commissis, id Doctor Theologus Carmelitanus de aliis cum stupore affirmarunt. Sed Petrus, nequid suæ detraheret humilitati, hoc, ut alia bene multa, custodibus tribuebat Angelis, qui rusticos illos, ne redirent vacui, docebant interius, quod ex ignoto Concionatoris sermone non caperent.

Alias etiam Navarræ urbes cum ingenti civium fructu percurrit, ut Sangossam, Pontem Reginæ, Tudelam, et Tafallam. Hæc Ninivem referebat, cum plurimi noctu pro templorum foribus graves a se ipsi repetebant pœnas, Deique misericordiam implorabant. Interdiu vero cœlestis Hierosolymæ exhibebat speciem, cum in eam ex quinquaginta tribus oppidis ingrediebantur agmina virorum, ac mulierum, quæ Dei, ejus-

que

que Matris laudes gratissimo concentu celebrabant. Ad eaque pœnitentiæ, ac pietatis iterata exercitia multæ subsecutæ sunt morum commutationes, quarum una singularis fuit inter cæteras. Aderat quidam in concione, in qua de ignoscendis inimicis agebat Petrus: et quamvis opportuno sederet in loco, nullam tamen dicentis audiebat vocem. Aliam ex alia mutavit sedem, nuspiamque percipiebat Oratorem, donec in eum locum venit, ubi sedebat alius, quem ipse jam pridem ob acceptas ab eo injurias implacabili odio prosequebatur. Hic Petri verba omnia cum distincte jam caperet, non potuit ea novitate plurimum non permoveri: Deique agnoscens digitum, qui sibi aures et alibi clauserat, et hic aperuerat, ubi aderat inimicus, noluit ipse interiorem animi auditum diutius occludere; sed ibidem, cum primum opportunitas affuit, stricte complexus est hominem, et acceptas ab eo injurias ex animo remisit.

Cum Petri nomen, et prædicationis ejus fructum latius in dies fama celebraret, multis jam in locis expetebatur, ut in eis quoque suam exerceret industriam. Episcopus Calagurritanus valde ab illo contendit, ut quam agri portionem Dominus sibi demandaverat, suis vellet sudoribus irrigare. Accurrit statim Petrus, magnamque illius diœcesis partem, quæ Rivogiam, Alavam, et Cantabriam comprehendit, solicito studio, nec felici minus successu peragravit. Vianam primum instruxit, in eaque, ut animos ad excipiendam culturam optime paratos invenit, sic etiam ingentem messem collegit. Deinde Lucronium petiit, ubi tum aderat Episcopus, qui Petri orationes omnes excepit, quas habuit ille in platea, quæ ante Rotundam, ut vocant, ædem protenditur. Vir quidam nobilis, cum audisset, Petrum ad continendos pueros, et ad concionem, vel supplicationem ordinandam, primores urbis solitum esse adhibere; firmissime asseveraverat, nullis se precibus ad id muneris fore inducendum. Hunc primo die rogavit Petrus, ut vesperi cum arundine in certum quendam locum adesset, et qui ad concionem ab ea parte advenirent, opportuniore modo disponeret. Ad hæc ille sine ulla tergiversatione respondit: Quidquid jusseris, efficiam. Inde digrediens, et suam ipse responsionem admiratus, ad amicos properat, quos in eandem sententiam traxerat, ut ipsi quoque Petro suam

ope-

operam denegarent. Et: vobis auctor sum, inquit, ne velitis cum hocce viro contendere, cujus per os Deus ipse loquitur: certissime enim victi discedetis, ut mihi contigit, qui ad eum, resistendi certus, cum essem ingressus, non potui simplicissima illius prece non exorari. Omnes igitur incunctanter Petri jussa fecerunt, multumque illorum solicitudo juvit et exemplum, ut cuncta feliciorem haberent exitum.

Initio nonnulli de populo aures accommodare Petro repugnabant. Is enim sermones suos in ipsis Paschalibus festis inchoaverat. Unde ajebant aliqui, post longam Quadragesimæ inediam, in qua non paucos audierant Oratores sacros, parum opportunum esse aliorum adventum, qui per illos festivissimos dies novos sibi fletus indicerent. Sed ad compescendas horum querelas vim habuit maximam cum prudentissimorum civium exemplum, tum frequentissimus vicinorum accursus, tum etiam singularis casus, qui per eos dies evenit. Percurrebat de more vias urbis Joannes Carbajosa, ut quamplurimos ad concionem adduceret, et inter alios feminam invitavit, quæ indignabunda his ei verbis respondit: Satius mehercule faceres, si mihi numos ad panem emendum erogares. Cave, inquit Joannes, ne responsum istud graviter luas. Eadem nocte feminam paralysis invasit, quæ linguam ejus occupavit, et mortua est. Eo funesto casu, et multorum ex vicinia confluentium exemplis tantus accessit ardor omnibus ad audiendos Dei Ministros, ut Petrus suam illam ad Lucronienses expeditionem inter celebriores, et maxime fructuosas annumeraverit. Sub concionum finem auditorum numerus erat quadraginta millium, e quibus in ultima die triginta tria millia sanctissimam Eucharistiam perceperunt. Multa male parta suis restituta sunt dominis: multorum sublatæ discordiæ: et inter alias ad fovendam pietatem exercitationes erecta ibi fuit Schola Mariana, cujus alumnis Petrus prudentissimas imposuit leges ad vitam christiane instituendam.

Inde Victoriam profectus est, et in ipso urbis aditu ex abrupto in hæc verba prorupit: Hic adest homo, qui septemdecim abhinc annis horrendum cum bestia crimen admisit, neque adhuc recte fassus est illud. Plerique id temere dictum existimarunt: secus vero rusticus quidam, qui proxima in taber-

berna vinaria sedebat ad bibendum. Is enim abominandi sceleris reus, ad Petri vocem extimuit, et sese inde proripiens, fugam in patriam suam arripuit. Sed cum infixum animo spiculum ferre non posset, in illa ipsa nocte ad Curionem suum venit, eique rite peccatum illud, quod Petrus in ejus conscientia legerat, cum cæteris aperuit. Intra urbem tantum ulciscendi peccata viguit studium, ut ciliciorum artifex vigintiquinque libras ærei fili per eos dies distraxerit. Pari deinde successu laboravit Petrus apud Bilbaenses, qui ut aliquam grati animi ederent significationem, in arenariis, ubi habitæ sunt conciones, crucem ferream super arborem erexerunt cum incisa inscriptione, quæ Petri meritum posteros edoceret.

Hactenus intra Castellanæ Provinciæ fines suam Petrus industriam continuerat. Deinceps multorum Antistitum precibus exoratus, fere omnes Hispaniæ regiones peragravit, in quibus ut ipse Dei causam solicite promovit, sic eum vicissim Deus et copioso laborum proventu, et prodigiis illustravit non paucis. Primum ad Bastitanos perrexit, ubi Murciam, Carthaginem, Lorcam, Tijolam, et Caravacam solitis ministerii sui exercitiis ad observantiorem divinarum legum custodiam induxit. Murciæ Episcopus, ut paganis pauperibus faciliorem in urbem accessum redderet, sua aperuit horrea: et Sacerdos, qui præerat eleemosynis, testatus est, panes quodam die divinitus fuisse multiplicatos. Sic Deus gratam habere significavit et Episcopi misericordiam (is erat Ill. D. Thomas Josephus de Montibus) et eorum solicitudinem, qui ad excipiendam Petri doctrinam accurrebant. Tantaque fuit inibi et pauperum, et divitum frequentia, ut Episcopus pro Indulgentiis obtinendis, quæ a Summis Pontificibus concessæ fuerant, multis exterorum permiserit, ut sacra communione suis in oppidis reficerentur: et tamen in urbe quadraginta circiter millia ad altaris mensam accesserunt. Hic Petrus lumen illud ostendit, quod sibi Deus ad discernendos spiritus concesserat. Nam feminam, quæ magnam ibi sanctitatis opinionem collegerat, et simulandi artem callebat apprime, ipse pestiferis Michaelis Molinosii erroribus infectam esse, in primo statim alloquio cognovit. Opus itaque fuit Confessarium ejus aperte monere, amboque tunc et Petri consiliis, et Episcopi admonitionibus resipuerunt.

Sed

Sed cum denuo ad veterem stultitiam revertissent, in eos, tanquam Molinosii sectatores, sacri fidei Judices animadverterunt.

Illud vero longe mirabilius, quod nos ab iis novimus, qui Murciæ, dum res contigit, morabantur. Petrus nocte quadam vehementissimum sensit impulsum, ut relicto in quo jam quiescebat lecto, extra domum prodiret. Hanc ille mentem, velut prorsus ineptam et importunam, non semel rejecit. Sed recurrente illa vividius, ut sibi ab strato suo violenter expelli videretur, surrexit tandem: obtentaque Superioris venia, per urbem incedens, variis in locis sententias aliquot intenta voce protulit, quæ peccatoribus ad pœnitentiam adducendis natæ erant. His divino instinctui satis jam fecisse ratus, regressus est domum. Postera die mulier ad eum venit, quæ nocte illa vigili ad fenestram adstabat oculo, ut amasium ad se venientem exciperet. Sed Petrum eadem hora exadversum clamantem audivit, et ab illius ore tam opportuna verba, ad meditatum detestandum scelus, prodiisse affirmabat, ut ipsa confecta lacrymis sese intro receperit, et amasium rejicere constituerit. Venit is postmodum, et mulieri suis reluctanti precibus, necem stricto pugione comminatur. Tum illa, brevem ad deliberandum precata moram, hominem in cubile jussit discedere. Ipsaque interim ferventissimis Deum oravit precibus, ut in tanto discrimine præsentem sibi opem afferret. Et cum nullatenus a lenone urgeretur, facile credidit, alto illum, atque a Deo immisso sopore fuisse submersum. Illucescente jam die, vocat eum, ut in domum abeat: sed nullam reddentem vocem, manu contingit, et quam attigit partem, inter ejus digitos resoluta est in cinerem. Hic summo horrore correpta, foras erumpit, clamat, vociferatur: accurrunt multi, et inter eos Parochus, qui cadaver illud, vel potius acervum cinerum, involutum sindone ventis tradidit dispergendum. Funestissima hujus mors hominis multis initium fuit vitæ melioris, et præsertim feminæ, quam ipse deperibat: quæ deinceps vitam egit tum aliarum virtutum, tum maxime pœnitentiæ exemplis valde commendabilem. Atque utinam tragœdia ista Murciæ tantum fuisset exhibita! Scio equidem, Valentiæ rem huic adeo similem contigisse, ut

multis videri possit ipsissima. Sed quæ Murciæ acta hic ego retuli, ex illius narratione didici, qui cinefactum infelicis viri cadaver suis ipse oculis vidit.

Alia etiam alibi, prædicante Petro, acciderunt, quibus et sanctitatis ejus fama, et laboris sui fructus crescebat in dies. Dum Lorcam ingrediebatur, ante domum cujusdam civis ea obiter dixit, quibus seriem illius vitæ, et quos egerat in pellicatu annos, distincte definivit. Et id genus alia tam sæpe auditus est enuntiare, ut apud multos opinio invaluerit, Petrum arcana cordium inspicere. In eadem urbe vir quidam opibus, et religione conspicuus Præfecto pastorum jussit gregum suorum curam ita moderari, ut pastores ad conciones adessent alternis. Reposuit ille, id fieri omnino non posse, quoniam per eos dies fœturæ tempus inceperat. Sed cum oves fœtus omnes ederent mortuos, conscientia facti perterritus, modum tandem invenit jussa exequendi: et exinde vivos agnos enixæ sunt pecudes. Tantum est in pietate vel ad temporalia promovenda lucra subsidium!

Carthagine multæ feminæ in plateam, in qua Petrus concionabatur, propterea venire non audebant, quod velamina serica non haberent, quibus possent in frequentissimo illo consessu decenter apparere. Id cum rescisset Petrus, nobiliores feminas, ipsamque adeo Prætoris conjugem contra spem omnium induxit, ut vulgaribus indutæ amiculis in concionem prodirent: quo sane laudabili matronarum exemplo cæteris ereptus est rubor, et auditorum numerus crevit insigniter. Postquam cives ad christianæ vitæ leges informaverat, egregium aliud aggressus est opus, quod Apostolicum ejus zelum maxime commendavit. In regiis triremibus multi erant scelerati homines, qui remis addicti, suorum dabant pœnas scelerum. Hos ille miseratus, omni ope adjuvandos suscepit: eosque bene instructos, et ad pœnitentiam admissorum, laborumque patientiam excitatos, postremo ad confessionem, et communionem sacram admisit. Mauros etiam, et Turcas, qui bello capti, in eodem portu detinebantur, singulari complexus est caritate. Nihilque prætermisit, ut eis suæ sectæ principia quam sint stolida, convenientissimis ipsorum captui rationibus demonstraret. Neque nullus operæ suæ constitit fructus:

tus: nam ex illorum numero quatuordecim ad Christi caulam per Baptismum adduxit.

Quoniam ad nobilium, maximeque Sacerdotum exempla totius populi mores componuntur, multam dabat operam, ut utrumque illum cœtum singulari studio perficeret tum privatis adhortationibus, tum propositis per dies octo, vel decem supernarum rerum meditationibus, tum etiam Sodalitiis erectis, quibus nobiliores cives in primis adscriberentur. Inter alias id genus institutiones, quas ad confirmandos in studio pietatis animos erigendas curavit, multas Sanctissimi Cordis Jesu Congregationes instituit. Ut pium hoc opus urgeret, stimulos ei addidit Bernardus Hoyus, integerrimæ vitæ juvenis, qui decennii spatio, quod in Societate vixit, longioris ævi merita cumulavit: multisque donis cœlestibus insignitus, ad propagandum in Hispania cultum divini Cordis, singulariter a Deo fuit electus. (Quod hic, et alibi in hoc opere toto dicitur de cultu SS. Cordis Jesu, intelligitur juxta decreta Pontificia, et S. Congregationis Rituum.) Illustris Lorcitana civitas prima fuit, quæ Petri votum in hac stabilienda Congregatione cum ipsius ingenti gaudio secundavit. Eam propterea in scriptis suis collaudat, ut etiam propter perseverantem pœnitentiæ spiritum, quem frequenti asperitatum usu post suum etiam discessum demonstravit. Et quoniam aliqui eas corporis macerationes, ad quas Petrus, multorum imitatus Sanctorum exempla, populos hortabatur, obliquis aspiciebant oculis, Deus portento quodam illud mortificandæ carnis studium comprobavit. Cereorum vis magna, qui diu arserant in supplicatione illa pœnali, quam Petrus post generalem communionem celebrabat, cum ad trutinam pro solvendo decremento revocaretur, ingenti omnium admiratione inventa est, ne unciam quidem decrevisse.

Verum hæ, aliæque significationes supernæ, quibus Deus servi sui labores acceptos sibi esse ostendebat, satis non fuerunt, ut ei parcerent obtrectatorum linguæ. Hoc enim divinæ solemne est providentiæ, ut laudabilia justorum opera adversis probari velit, ac repurgari, quo magis elucescant. Id Petrus et alibi sæpe, et in Murciæ regno expertus est frequentissime. Quocunque pedem ferret, novæ superandæ erant

dif-

difficultates, ut ministerii sui functionibus aditum aperiret. Etenim malitiosi quidam homines et quæ agebat, alienis coloribus deformabant, et quæ nunquam egerat, eidem ad creandam invidiam affingebant. Multique rumoribus hisce conterriti; cum inter alia divulgatum esset, Petrum cadavera effodere; renuebant illum intra mœnia sua recipere. In ipsa urbe Murcia vir quidam religiosus, cui Petrus aditum in domum quandam fecerat intercludi, multa procaciter effutivit, ut eum, ejusque ministerium infamaret. Sed is tandem, ut infra dicam, resipuit. Petrus autem in his, aliisque oblocutionibus perferendis firmissimum pectus exhibuit: fretusque Deo, cui suam quotidie vitam, honoremque devovebat, nullum reprehendendi vitii finem fecit, et veritatis, quantumvis odium sibi pareret, inculcandæ. Nec vacua fructu fuit ejus fiducia: nam Superiores, cum in ea diligenter inquirerent, quæ temere jactabantur, tandem illius zelum et laudibus commendarunt, et patrocinio sustinuerunt. Aliundeque rumores illi sparsi, qui Petri præcesserant adventum, ad virtutis, ac doctrinæ suæ radios ita disjiciebantur, ut qui fidem eis adjunxerat, intime doleret postmodum, quod fraudes Diaboli, cui hæc tribuenda erant, tam pronis auribus excepisset.

Multum etiam ad Petri commendationem efficiebant Antistitum iteratæ preces, quibus cogebatur ab una in alteram provinciam commigrare. Itaque postquam Murciæ regnum percurrerat, ad Granatense pertransiit, et in Portu magno, quem Almeriam hodie vocant, honorifice fuit exceptus anno 1734. In hac urbe, ad quam jam fama notus, et expectatus advenit, civium animos verbis suis et moribus ita sibi conciliavit, ut qui lites moverant, diuturnasque fovebant dissensiones, ad illius arbitrium reliquerint dirimendas: sicque multis pax reddita familiis, quæ inveteratis contenderant altercationibus. Perversam imprecandi consuetudinem per diœcesim illam, quam Episcopi rogatu lustravit, acerrimis compescuit declamationibus, et puerorum adhibito auxilio, qui Dei laudes coram maledicis ingeminabant, ut eos ad pudorem, et pœnitentiam adducerent. Ad confirmandos vero populos in Dei cultu, et morum sanctitate, utilissima excogitavit adjumenta, quorum fructus in annos plurimos permaneret. Almeriæ Sodalitatem il-

illam erexit, quam appellant Scholam Christi, quæ magno religionis exemplo primævum institutionis suæ fervorem post annos amplius vicenos retinebat. Sed illud multo præstantius, quod in commune reipublicæ commodum stabiliendum obtinuit, ut Bætici Sacerdotes duo e Societate Jesu quotannis per diœcesim excurrerent, sacrisque ministeriis populos ad christianæ vitæ præcepta reformarent. Huic operi perficiundo egregiam opem contulit D. Xaramillus, inter Canonicos Almerienses Decanus, annuis reditibus designatis, qui necessarios sumptus suppeditarent.

Sed hujusmodi expeditiones (ut ea, quæ inter se affinia sunt, licet longo disjuncta tempore, narratione conjungam) quas Socii Bætici cum ingenti diœcesis illius fructu multis annis susceperant, deinde interruptæ sunt aliquandiu, frustra enitentibus Sociis, ne ab eo explendo munere prohiberentur. Ferebat id ægerrime Josepha Almansa, insigni virtute femina, et Almeriensis Decani neptis, quæ Petri consiliis, a quo per literas dirigebatur, ad perfectioris vitæ culmen sedulo contendebat: atque ut ipsa multum in Dei dilectione processerat, sic etiam dolebat maxime, quæ in ejus gloriam cederent, fuisse impedita. Dolorem inde conceptum cum Petro procul degenti significasset, is mense Augusto anni 1755 hoc illi responsum dedit: *Deum miro quodam, et insolito modo effecturum, ut Almeriensis missio, quod tantopere optabat, ante anni spatium instauraretur.* Nec secus quidem evenit. Nam occasione terræmotus magni, qui anno illo Kalendis Novembribus Hispaniam, et alia regna horribili fragore concussit, Patribus Societatis liber aditus patuit ad diœcesim illam, ut antea fecerant, Evangelicis excursionibus obeundam. Itaque ineunte no 1756, Almeriam missi sunt Franciscus Ferrusius, et Ludovicus Valdivia, qui mense Januario in ea urbe missionis suæ munera peregerunt.

Hinc vero novus Josephæ Almansæ timor, novaque Petri prædictio, ut illi timorem omnem eriperet. Inter cæteros, qui Patrum illorum opera corruptos vitæ mores emendarunt, femina fuit, quam vir quidam eximiæ notæ cum gravi civium offensione perdite amabat. Is ea de causa insano furore percitus, qui feminam ab infami consuetudine revocaverat, vio-

lati

lati sigilli reum appellavit. Inde subvereri cœpit Josepha Almansa, ne Satanæ dolis eo res tandem erumperet, ut optima missionis annuæ institutio funditus everteretur. Sed Petrus, quem certiorem omnium fecerat, in hunc modum illi rescripsit: *Bono esset animo. Causam illorum Patrum Deum in se suscepturum, neque propterea institutam a Patruo suo missionem fore abolendam. Virum, qui turbas excitaverat, inflicta salutari pœna, in se reversurum. Ipsam denique, ut persuasum sibi erat, id solatii habituram, ut iterum cum eodem Missionario de rebus animi sui ageret Almeriæ.* Hæc omnia prorsus ut prædixerat, acciderunt. Vir enim ille, ob aliud nescio quod facinus, acriter ab aula regia fuit objurgatus: quod illum ad saniorem mentem, et honestiorem vitam traduxit. Et Missionarius Almeriam denuo rediit, rogante Senatu Ecclesiastico, qui eundem ab imputato sibi crimine sententia sua, dum vacua erat Sedes, declaraverat immunem.

Per eos etiam dies Almeriam venit Religiosus ille, quem diximus, in Petrum multis debacchatum esse Murciæ. Hic ab uno scelere ad majora prolapsus, tandem effractis claustris, fugam arripuit, ac Londinum trajicere meditabatur. Sed Almeriam ingressus, subito nervorum torpore correptus (quod insigni Dei misericordiæ tribuendum, quis dubitet?) gradum sistere coactus est ante januam Josephæ Almansæ, quæ pro sua erga omnes caritate, hominem ignotum sibi, sed opis indigentem, intra domum recipi, atque opportunis jussit remediis sublevari. Recuperatis jam viribus, fortuito in librum incidit, cui tutulus: *Catechismus practicus* a P. Petro de Calatayud; cui adjunctum erat aliud ejusdem opusculum inscriptum: *Examen pro generali confessione*. Fallendi causa temporis hos libros cœpit evolvere: brevi tamen ex eorum lectione ita commotus est animo, ut suos ipse mores, et arreptum fugæ consilium vehementer detestaretur. Cum audisset, duos ibi esse Societatis Patres, auxilium ab eis petiit, iisdemque sequestribus, intra paucos dies ad castra, quæ deseruerat, libens, et facti pœnitens rediit. Tanta vero defectionis suæ pœnitudine tenebatur, ut asseveranter iteraret: si opus esset, vel in principe urbis templo palam se delicta sua e suggestu divulgaturum. Eamque animi commutationem acceptam ferebat meritis, et orationibus Patris Calatayudii, quem olim ipse nimis inverecunde proscidisset.

Jam, ut eo, unde digressi sumus, iterum revertamur, dum Petrus Almeriæ manebat, perditum hominem ad meliorem frugem admirabili modo perduxit. Quo die pœnitentium agmina per urbem more suo ducebat, quendam in aditu viæ conspicatus, qui pallio obvolutus, et operto capite omnia curiose observabat, prope illum accessit, ac leviter sua canna percussum, his allocutus est verbis: *Ingredere tu quoque in hoc agmen, et sequere Christum, ejusque Matrem Sanctissimam; quoniam tot jam abierunt anni* (certumque annorum numerum designavit) *in quibus annuæ communionis præceptum non observasti*. His verbis tanquam tonitru de cœlo tactus homo ille, non modo cæteris adjunctus fuit subito, sed quorumdam adstantium murmura elata voce compescuit, palamque professus est, verissima esse, quæ Petrus, divino utique afflatus spiritu, sibi objiciebat. Proinde ad eum accedere statuit, ut peccatorum pondus, quod statim ab illa objurgatione gravissimum sensit, ad illius pedes deponeret. Dum hæc volvit animo, Petrus, absoluta supplicatione, illum ad se vocat, et ad pœnitentiæ tribunal adducit. Hic a prima ætate usque ad illum diem, sic in ejus vitam inquirit, quasi eam ante oculos descriptam haberet: et felix ille pœnitens, postquam virus evomuit, quod tandiu sub pectore celaverat, lætissimus in domum suam discessit. Post aliquot dies ad Petrum rediens, subortum sibi timorem indicavit, ne in postrema vitæ hora multis irretiretur dubiis circa peccata commissa, neque legitime per confessionem expiata. Cui Petrus his conceptis verbis respondit: *Eam in Domino spem defixam habeas, opus tibi non fore, cum ad extrema deveneris, lutulenta superioris vitæ acta revolvere. Veniet tunc in hanc urbem Sacerdos ordinis mei, qui tibi morienti aderit, solutisque dubiis, animum sedabit tuum*. Hac lætus denuntiatione, vitam instituit ad christianæ professionis leges exactam. Atque ut extaret aliqua suæ conversionis memoria, tabulam pictam, in qua SS. Jesu, et Mariæ Corda fecerat exhiberi, eo loco suspendit, ubi Petrus illum ad sequenda Christi, ac Matris ejus vestigia, tanquam errantem ovem, virga sua et voce compulerat. Post annos fere viginti duos ad eum graviter ægrotantem vocatus fuit Ludovicus Valdivia, qui per id tempus Apostolicis ministeriis in ea urbe incumbebat.

bat. Hunc ad se ingredientem coram multis, qui aderant, his verbis excepit ægrotus: *Tu es profecto ille, quem P. Petrus Calatayudius, ante annos amplius viginti, morituro mihi adfuturum esse, prædixit.* Deinde, remotis arbitris, narravit illi omnia, quæ jam exposuimus. Eidem animi æstum aperuit, qui facile Valdiviæ dictis resedit. Factaque confessione, atque omnibus sacrorum præsidiis roboratus, inter ferventes virtutum actus vitam in Valdiviæ manibus placide clausit.

Postquam Petrus in Granatensi regno Virgos, Alboxios, Velez-Rubios, aliosque populos ad emendationem morum, et pietatis cultum omni studio incitaverat, iter ad Valentinos instituit. Et quanquam multa, quæ apud illos gessit, injuria temporum ignoramus; illud certe constat, laboris sui fructum collegisse ibi maximum, et præclaram sanctitatis opinionem inter gravissimos etiam viros obtinuisse. Admodum RR. PP. Dominicani, qui Academiam Orcelensem summa cum prudentiæ, ac sapientiæ laude tenent, illum *dignum S. Ignatii filium, atque alterum Xaverium redivivum* appellarunt. Valentiæ, et Almansæ, et Alonæ, aliisque in locis admirabiles animorum mutationes divini verbi virtus effecit. Quantum vero Cœlitibus placerent, qui ad audiendum illud properabant, ex eo patuit, quod per id tempus cuidam divinitus ostensi sunt Angeli, qui vias solicite expediebant, per quas varii supplicantium ordines in urbem ex propinquis oppidis ingrediebantur. Ad honorandam Deiparam, cujus cultum Petrus ubique promovere studebat, suos hortabatur auditores, ut quoties horologii sonitum audirent, alii contenta voce dicerent *Ave Maria*, aliique responderent *sine labe concepta*. Hanc acceptissimam divinæ Matri salutationem Valentini populi sic arripuerunt, ut ea non solum ipsorum domus et urbes, sed campi etiam et saltus frequentissime personarent: fiebatque aliquando, ut Virgineum hoc elogium ab uno in alterum prædium per ora ruricolarum ad duas continenter leucas propagaretur.

Apud Alonenses, qui eum avidissimis animis et auribus exceperunt, multos commoratus fuit dies: in eisque indefesse adlaboravit tum civibus universim instruendis, tum Clero, et Religiosis viris ac feminis privatis adhortationibus ad perfectionem excitandis, tum variis constituendis rebus, quibus con-

ce-

ceptus ad pietatem ardor in posterum aleretur. Ecclesiasticus Senatus, et urbanus, quorum illi Præsul, huic Prætor quotidie præcedebant, perseveranter ad conciones accessit. Eorumque exemplum ita reliqui secuti sunt cives, ut in urbe illa plena negotiis non modo privatæ domus, sed mercatorum etiam, aliorumque opificum officinæ vespertinis horis occluderentur, ut omnes dicentem Petrum audirent. Dicebat autem e pergula, unde prospectus erat in plateam spatiosissimam, in quam plerumque decem, nonnunquam duodecim mille auditores conveniebant. In his ab iterata supernarum veritatum auscultatione magnus animi fervor exarsit, qui protinus in saluberrimos pœnitentiæ fructus erupit. Multi enim per eos dies in prædicta platea sub crepusculum noctis congregabantur, indeque composito agmine duorum, aut trium millium, ad vias urbis progressi, vario tormentorum genere se ipsi affligebant: quorum exemplis incitati alii cives, intra sua tecta gemere, et plangere, atque etiam acerbis se verberibus cædere, a prætereuntibus audiebantur. Ipsi adeo sacri, civilesque Magistratus aliquando pœnitentium ordines visi sunt claudere, spinis præcincti capita, et funibus e collo demissis. Lugubre hoc spectaculum lætissimum aliud excepit. Nam quo die sacrosanctæ dispertitæ sunt epulæ quatuordecim millia tum e civibus, tum etiam ex accolis, qui conciones frequentaverant, ad altaris mensam magna cum religione accesserunt. Tota denique civitas faciem mutasse lætabatur: et ut beneficii memor esset accepti, prope eum locum, unde Patres ad populum verba fecerant, pulcherrimam B. Virginis imaginem collocavit: cujus ad latera effigiem hinc Petri Calatayudii, inde Joannis Carbajosæ constituit, ut quorum monitis melior effecta fuerat, eorumdem aspectu ad perseverantiam excitaretur.

Triennium in percurrendis Murciæ, Granatæ, ac Valentiæ regnis impenderat, cum inde ad provinciam suam regressus, in ea exceptus fuit tanquam fidelis Dei servus, ad promovendam ejus gloriam singulariter designatus. Hic tamen cessare diu sibi non licuit. Post dies non ita multos ad Astures profectus est, ad quos ut mitteretur, multa prece obtinuerat Episcopus Ovetensis Illustrissimus D. Joannes Avellus. Et quanquam eo *valde expectatus advenit, omnium tamen vicit expecta-*

*tationem*, ut ait Cl. Feijous in epistola familiari, in qua fructus illius expeditionis, ut testis oculatus commemorans, hæc inter alia subjungit: „Quam diu Oveti vias pœnitentium lacrymis, et sanguine respersas vidimus! sanguine, inquam, „unius sexus, et lacrymis utriusque! Non pauci erant menses, cum Oveto Petrus abierat, et adhuc Oveti prædicabat; „quoniam permanebat in auditorum cordibus imago vocum illius....Idemque observare licuit in cæteris per hunc Principatum populis, ad quos ille profectus est. „Ex iis Gegionem, Graum, Tinæum, Praviam, et Potes adiisse constat cum ingenti sui corporis defatigatione inter asperos illorum montium anfractus. Sed eodem tempore mirabiliter ipsius animum recreabat pietas earum gentium, quæ per iniqua, cœnosaque itinera in locum, ubi sedem ipse fixerat, supplicantium ritu, laudesque Mariæ Virgini per fastigia montium, et vallium concava concinentes, magno conveniebant numero, magnosque fructus ab auditis ejus sermonibus referebant. Præterea Clerum, in certa quædam oppida, jubente Præsule, convocatum, ad sanctitatem status sui propriam sacris meditationibus ex disciplina S. Ignatii promovendum curavit: quod eo successu perfecit, ut plerique sanctioris vitæ normam, quam Petrus in adhortationibus proponebat, transcribendam sibi peterent, ne ab ea quidquam deinceps discordarent. Denique intra spatium quatuordecim mensium, quibus versatus est inter Astures, Congregationes Sanctissimi Cordis Jesu duas supra centum instituit, ut virtutum semina, quæ in eorum sparserat animis, ab illo totius sanctitatis fonte irrigata, in fructus quotidie surgerent uberiores.

Pari zelo, et labore circuivit deinde Burgensem Archidiœcesim, quæ montanos Sanctanderi tractus eo tempore complectebatur. Hic etiam, postquam populum in doctrina Christi erudierat, Curiones populi, cæterosque militiæ Clericali adscriptos in studio perfectionis erudiendos suscepit. Voluit enim Archiepiscopus D. Emmanuel Samaniegus, missisque per diœcesim literis jussit, quotquot erant ex ordine Sacerdotali, paucis exceptis, qui binas, vel ternas interim Curias administrarent, partim Burgos, partim Beloradum, et alio convenire, ut spiritualibus sub Petri magisterio vacarent exercitiis. In metro-

tro-

tropoli eorum numerus, qui ad exercitationes illas adfuerunt, quadringentos excessit et quinquaginta. Præibatque omnibus Præsul tanta assiduitate, ut nullo unquam die ne per quadrantem quidem horæ adesse prætermiserit. Et quanquam aliqui reluctantes venerant ob sparsas, adnitente Diabolo, contra exercitia illa calumnias; cognito deinde et istorum fructu, et Petri spiritu, cum ab omni avaritiæ labe, quam ei quidam asperserant, alienissimo, tum in explendis illius muneris partibus sine auditorum molestia diligentissimo; mutatam ipsorum mentem hís verbis, cum a Petro discederent, significabant: *Parum libenti animo in secessum istum concessimus; sed modo in ædes nostras, quod brevior quam pro votis fuerit, multo ægrius recedimus.*

Sex circiter annos intra Castellanæ Provinciæ fines Petrus per id tempus sese continuit, in quibus alias cum incredibili fructu fecit expeditiones, ut constat ex annuis illius Provinciæ literis, quæ tamen locorum nomina, ad quæ profectus est, reticent. Sed aliunde compertum est, eo tèmpore adiisse Zamoram, Sepulvedam, et Salmanticam, rursusque in Gallæciam usque ad Lusitaniæ fines penetrasse. Hac autem occasione novum illi campum Deus aperuit, in quo posset omnes industriæ suæ vires exerere. Accurrebant ad Gallæciæ oppida, quæ Petrus adierat, e Lusitaniæ regno non pauci, in quibus erant viri aliquot nobiles, qui vim verborum ejus experti, rogarunt eum impense, ut in proximam Bracharæ diœcesim ingressus, popularibus suis opem aliquam ferret, cujus maxime indigentes esse affirmabant. Cum enim Sedes illa per duodenos vacasset annos, magnam inde ajebant irrepsisse in plebem morum licentiam, rerumque divinarum ignorationem: Cleri quoque splendorem fuisse obscuratum, et in claustris sacrarum Virginum collapsam esse disciplinam.

Cum audisset hæc Petrus, qui semper ad egentiorum auxilium promptiore animo ferebatur, de ratione Bracharensibus subveniendi cœpit statim recogitare. Commodum ad regendam illam Ecclesiam venerat Serenissimus Josephus Portugalliæ Princeps, Fidelissimi Regis Joannis V. frater, cui Petrus suum per diœcesim illam prædicandi desiderium, datis ad eum literis, humiliter exposuit. Has literas religiosissimus Princeps tanquam

e cœ-

e cœlo missas accepit, Deoque maximas egit gratias, quod ad se virum illum dirigeret, cujus Apostolicum zelum jam tum audierat celebrari, cum is Bæticam percurreret superiorem: ejusque proinde opera fore sperabat, ut vinea suæ curæ commissa in veterem splendorem, et ubertatem, revulsis vepribus, revocaretur. Deinde cum aliis de accepto nuntio colloquens, præclare secum agi affirmavit, cui Deus auspicatissimum Pastoralis officii dabat initium, missis ad se tam strenuis operariis. Veniant igitur, dixit, ac necubi gravate excipiantur, sed ubique liberum ad instruendos populos habeant accessum, meis ego sumptibus illorum victui providebo. Quam quidem beneficentiam non solum Petro, ejusque socio Carbajosæ liberaliter exhibuit, sed aliis etiam, qui eis adjuncti sunt postmodum, quorum aliqui usque ad Præsulis obitum in excolenda illa diœcesi perseverarunt.

Habita veniendi Bracharam potestate, Petrus eo sine mora contendit. Serenissimus Archiepiscopus magnis illum honoris, et lætitiæ significationibus excepit, et ad curandos ovium suarum morbos amplissimis instruxit facultatibus. Et Petrus in ea urbe diu commoratus, ministerii sui opus in oculis vigilantissimi Pastoris ita perfecit, ut is incessanter Deum laudaret, sæpeque lacrymas funderet jucundissimas ob perspectam universæ civitatis mutationem. Cives enim, cum brevi divinam viri eloquentiam, et ardentissimum eis benefaciendi studium agnovissent, ad illum libenter atque avide properabant: et inter audiendum, frequentes adeo gemitus, et ingentes edebant fletus, ut non semel orationem abrumpere necesse fuerit Oratori. Nec vero suspiriis tantum, et effusis lacrymis conceptus animi dolor prodebatur. Multi diversi ordinis cives per noctem supplicantium more incedentes, flagellis cædebant corpora, aliisque piaculis cœlestem iram deprecabantur. In Cœnobiis quoque multæ id genus supplicationes sunt institutæ, adhibitique rigores, qui consuetum affligendi corporis modum excedebant. Novus ubique animi fervor, novæque apparebant rectius vivendi deliberationes. Pellices ejectæ non paucæ: compositæ lites implicatissimæ: internecina multorum odia mutuis amicitiæ significationibus exstincta: quæ furto, vel fraude, vel iniquis pactionibus ablata fuerant, suis quæque dominis reddita.

dita. Cessarunt cædes, proditiones, et ebrietates: contumeliosa in Deum verba, imprecationes, perjuria, et obscœna carmina eliminata. Omnia demum adeo diversa erant prioribus, ut tantam morum conversionem nec Antistes commendare satis, neque ipsi cives satis admirari possent.

Fuerunt etiam singulares aliqui casus, qui Petro multam apud Bracharenses venerationem conciliarunt. Inter alios unum seligam, ex quo et immensa Dei bonitas, et vis verborum Petri possit agnosci. Civis quidam conſceleratus, quem et alia deturpaverant vitia, et implacabile odium adversus propinquos suos incenderat, cum Petrum aliquoties audisset, tantum divini Numinis metum, et flagitiosæ vitæ suæ horrorem concepit, ut in concordiam et consuetudinem cum suis, in gratiam et amicitiam cum Deo, facta confessione, redierit. Magnam inde animi pacem assecutus, decrevit omnibus adesse concionibus, ut se Deo pro acceptis beneficiis gratum ostenderet, et in suscepto melioris vitæ proposito firmaretur. Quadam die, dum Petrum de infinito Dei erga homines amore disserentem audit, conversus ad eum, qui sibi assidebat, mira dulcedine delibutus, hæc ait: *Ferreus sit, oportet, quem hæc hujus viri verba non flectant.* Conticuit, his dictis: sed paulo post conceptum ex Petri verbis incendium iterum in hunc modum expressit: *Nescio quis ardor intimus viscera mea depascitur, ac me tacite absumit. Ut video, hic ego morior. Atque utinam verum fiat! Sane cor meum præ dolore offensi Numinis omnino tabescit, et spem habeo firmissimam, salvum me fore, si nunc mori mihi contingat.* Protulit hæc postrema verba voce jam fracta, nimiumque immutata facie, ut proxime acturus animam videretur. Accurrunt aliqui, et inter brachia semivivum excipiunt. Dum deportatur in domum suam, oculos aperit, eosque in imagine Mariæ Virginis, quæ in conspectu erat, attente defigit: nec plura jam locutus, tranquille in eodem loco exspiravit. Inviderunt multi felicem hujus hominis mortem, quæ copiosam laudandi Deum materiem Bracharensibus subministravit.

Ultra vicenos dies posuerat Petrus in excolendis civibus universis, cum ad privatos quosdam cœtus suam curam convertit. Clerum, et Virgines Deo dicatas, multos item nobi-

les,

les, ac religiosos viros commentationibus S. Ignatii tum ipse per se, tum etiam per socios exercuit. Nulli demum pepercit operæ, ut omnes civium ordines in suis quemque officiis instrueret, ad eaque perfecte adimplenda excitaret. Quod cum videret augustus ille Pontifex, magis in dies singulos gratulabatur sibi de adventu Petri, cujus virtutem, sapientiam, et indefessum laborandi studium passim apud suos magnifice collaudabat. Nec verbis solum, sed factis etiam ostendit quanti eum faceret, abruptis gravissimis quibuscunque negotiis, ne unquam aut concioni deesset, aut spiritualibus exercitiis. Voluit insuper Petrum, ejusque socios in excipiendis confessionibus adjuvare: videruntque cives, nescio majorine admiratione, quam gaudio, Excelsum Principem audiendis, instruendisque rudibus et pauperibus multas quotidie horas in humili sella perseverantem. Sed illud multorum lacrymas movit, quod postmodum humanissimus Præsul effecit. Postquam Petrus in publica detentos custodia, diligenti præmissa instructione, cum Deo per confessionem piacularem conciliaverat, certum designabat diem, in quo divinam omnes perciperent Eucharistiam. In eum diem civium primores hortabatur, ut una vinctos illos inviserent, et largiori reficerent cibo, sicque alios ad ea caritatis opera provocarent, quæ Christus tanquam sibi præstita repensurum esse promisit. Id Bracharæ celebriori peractum est pompa. Præcedebant quingenti minimum Ecclesiastici, in quibus erant Canonici, et Curiones multi, qui ad exercitia S. Ignatii convenerant. Hos pone sequebatur Serenissimus Archiepiscopus, qui alienum a Celsitudine sua non duxit sportam refertam panibus in carcerem manu sua portare: quo nihil ad aliorum exemplum aut illustrius esse potuit, aut efficientius. Jam, qui animo ad pietatem erat adeo propenso, cum proposuisset ei Petrus erectionem Sodalitatis in honorem SS. Cordis Jesu, non modo probavit, laudavitque consilium, sed primus in eam voluit adscribi, primusque deinde fuit in his adimplendis, quæ Sodalibus ad cultum divini Cordis erant injuncta.

Quæ Bracharæ facta fuerat rerum in meliorem partem conversio, magnum Petri desiderium in aliis regni urbibus excitavit, eumque nonnulli Præsules, ut ad se veniret, solicitarunt.

Sed

Sed Bracharensis Antistes nullis aliorum precibus exorari potuit, ut virum ab se dimitteret, quem a Deo in salutem sui gregis singulari providentia concessum sibi fuisse agnoscebat. Misit ergo illum, ut idem in diœcesi faceret, quod fecerat in metropoli, abeuntemque amplioribus, quam antea dederat, facultatibus cumulavit. Monuit etiam Vicarios, ut in locum, ubi Petrus consisteret, subjectos sibi populos convocarent: curarentque diligenter, ne uspiam Sacerdotum deesset copia, qui confessiones exciperent pœnitentium: ac denique rerum omnium, quæ in missionibus contigissent, accuratam sibi mitterent narrationem. Præcipua quadam solicitudine Clerum hortatus est universum, ut ad eas urbes incunctanter accederent, ad quas singuli vocarentur, sacris commentationibus exercendi.

His Hierarchæ adhortationibus cum strenua Petri sedulitas accessisset, magnus undique auditorum numerus confluebat, quem cum nullus templorum ambitus caperet, conciones habendæ plerumque fuerunt sub dio. Longum esset expeditiones sacras, earumque fructus, exercitia item spiritualia, Cœnobiorum reformationes, institutiones Congregationum, aliaque præclara opera, quæ Petrus per triennii spatium in ea diœcesi confecit, singula percensere. Hæc omnia diligenter perscripta erant in narrationibus, quas Archipresbyteri jussu Præsulis confecerunt, quarum aliquæ typis editæ passim per Lusitaniam, et alibi cum admiratione legebantur. Enimvero animarum fames, quæ Petro, ut ajebat ipse, viscera devorabat, vires debili suffecit corpori, ut vastissimum campum magnis laboribus proscinderet, sudoribus irrigaret, ac demum eradicatis zizaniorum germinibus, ad lætissimam compelleret ubertatem. Nec potuit eum ab incepto deterrere aut solis ardor, aut frequentium imbrium molestia, vel difficultas itinerum, quæ sæpe nive contecta erant, ut constat ex annuis Lusitaniæ literis, in quibus multa de his Petri excursionibus cum ejusdem insigni laude referuntur. Et quanquam Archiepiscopus diligenter providendum jusserat, ne quid ei unquam deesset, in quibusdam tamen oppidis ob incolarum egestatem magna rerum omnium penuria laboravit. Verum hæc, aliaque incommoda facile toleranda, imo etiam appetenda sibi videban-

bantur, cum et labori fructus optime responderet, et majora suis incommodis animarum essent emolumenta. Illi enim populi quo diutius cœleste pabulum esurierant, eo nunc excipiebant avidius, promptioresque inde animos desumebant ad ingrediendas recti, et honesti vias, in quas Petrus illos immittere conabatur. Is propterea erga Lusitanam gentem mirifice fuit affectus: et postquam ab ea discesserat, cum montes illos respiceret, qui Gallæciam separant a Lusitania, in hæc verba coram amico suo prorupit: *Illa ego juga, vel sola nixus arundine, libentissime superarem, si liceret iterum ad Lusitanos reverti: vix enim credi potest, quam uberes ibi fructus divini verbi semen protulerit.*

Inter innumeros, quos ad meliorem frugem ibi reduxit, nobilem feminam ab ipsis pene inferis mirabili modo revocavit. Hæc diu vitam egerat cum innocentiæ, ac sanctimoniæ laude non exigua: Petrusque ipse inter alios, quos ipsa de rebus animi sui consuluit, illius probaverat spiritum. Deinde vero, cum scelus nescio quod admisisset, bellum ei Diabolus adeo infestum indixit, ut in extremam devenerit desperationem, tandemque hausto veneno mortem sibi consciscere deliberaverit. Tribus inde leucis aberat tum Petrus, qui miserandum matronæ casum, et insanissimum inferendæ sibi necis consilium divinitus edoctus fuisse creditur. Cum ad aras summo mane operaretur, post elevationem Hostiæ, ita reliquum sacrificium præter morem acceleravit, ut Joannes Carbajosa gravi aliquo incommodo oppressum eum fuisse pertimuerit. Quod eo magis sibi persuasit, cum Petrum, deposito sacrificali ornatu, sine mora discedentem e templo videt. Itaque solicite ad eum accurrens: Satin' salvus es? inquit. Salvus, ait ille. Ut quid ergo properas, gratiis Deo non persolutis? Quoniam aliud quippiam urget, omninoque opus est properato. His dictis, festinus et absorto similis viam pedes arripit. Interea mulier illa, obstructis foribus, aconitum in penetrali miscebat domo, certa jam infelicem vitam cum infeliciore morte commutare. Mortiferum haustura poculum, illud trepidante manu tenebat, ac secum ipsa præ naturali horrore luctabatur, cum repente Petrus ingreditur. Ad inopinatum ejus conspectum stupefacta mulier exclamat: *Ah Pater!*

*huc*

*huc sane aliquis advexit te Angelus, ut meam ab inferni faucibus animam liberares*. Subito mentem aliam induta, veneni calicem projicit, seque ad Petri pedes prosternens, conscientiæ suæ vulnera, quæ nimius ante pudor occuluerat, eidem palam ostendit. Et Petrus, postquam illi convenientem adhibuit medicinam, ad susceptæ missionis locum mature regreditur. Quo pacto senas illo mane leucas confecerit, cui debilior valetudo ne unam quidem pedibus facere permittebat, penitus ignoramus. Reliqua vero comperta nobis sunt ex testimonio Joannis Carbajosæ, cui deinde totius rei seriem exposuit eadem mulier, quæ cautior in posterum, et constantior in Dei servitio permansit.

Sed illud fortasse quispiam non minus admiratione dignum existimet, Petrum sub illo cœlo, quod saluti suæ adversum experiebatur, tantum laborum pondus tam longo tempore sustinuisse. Socium ejus Carbajosam, firmiore licet corpore præditum, et item alium, qui eis subsidio venerat, cum jam viribus defecti essent, Superiores ad leviora ferenda onera destinarunt. Et veriti, ne Petrus omnino succumberet, si diutius in his locis tanta contentione laboraret, illum in suam Provinciam revocarunt, obtenta prius venia Serenissimi Archiepiscopi. Ab hoc impetrari vix potuit, ut Petrum abire sineret, facta ei prius revertendi fide, cum primum, recuperatis viribus, per Moderatores licuisset. Hac habita facultate, anno 1747 secessit in Collegium Monfortiense, ubi labore tantisper intermisso, ad pristinam valetudinem, quæ tenuis semper erat, brevi restitutus est tempore.

Vix dum in Gallæciam regressus fuerat ex Lusitania, cum illum ad se vocavit Illm̃us D. Joannes Baptista Ferrerius, ut Lucensibus, quibus ipse præerat, doctrinæ suæ pabulum impertiret. Adfuit statim Petrus, qui præclaros in ea urbe fructus, et in vicinis eidem pagis collegit. Idem deinde fecit ad Aquas calidas (Auriam alii vocant) unde Lucum reversus est, ut adesset Episcopo Ferrerio, qui gravi oppressus infirmitate, illum apud se habere voluit, donec animam Deo reddidit. In diuturno sui morbi decursu perspexit vir prudentissimus quanta esset Petri virtus, et sapientia, eamque sæpe cum admiratione commendavit. Petrus etiam, cui Præsul

omnes animi sinus non semel aperuit, nobilissimam ejus indolem, et egregias suspexit dotes, quas deinde meritis ornavit laudibus, habita in illius obitu oratione funebri, in qua Joannem Ferrerium absolutum perfecti Præsulis exemplar exhibuit; eumque, inter alia, verum sapientiæ antistitem, hominem Deo plenum, et veritatis oraculum appellavit.

Luco venit Vallisoletum, ubi vertente jam æstate anni 1748 sacram missionem inchoavit. Ex Academiæ menianis, quæ in spatiosam S. Mariæ plateam despiciunt, populum ad audiendam Dei vocem accivit, ad eamque impigre sequendam excitavit. In illa sapientiæ domo ( ut ajebat Illustrissimus Loazes, Academiæ tum Rector, deinde Episcopus Palentinus ) quandam veluti arcem exstruxit, ex qua vitium tanta contentione oppugnavit, quanta decet Apostolicum ministerium, et auditoribus classicum cecinit, ut arma capesserent pœnitentiæ. Nullum reipublicæ statum prætermisit, nullam conditionem hominum, cum tam multi in eam urbem conveniant, quin omnes officii commoneret. Mirabanturque viri etiam doctissimi solidum, et universale Petri magisterium, quo varias ac dissimiles auditorum classes erudiens, omnes pro ratione sui captus et muneris verbis quam aptissimis alloquebatur. Præcipuam meruit laudem oratio, quam habuit ad Judices, cæterosque illius Curiæ ministros, qui jubente Præside convocati sunt in templum S. Ignatii, ut Petrum de recta justitiæ administratione dicentem audirent. Non defuit unus, aut alter, qui Petri doctrinam vel rigidam, vel a recepto jam usu abhorrentem existimavit. Sed plerisque ita placuit, ut urgente Præside typis edenda fuerit, quo possent ministri regii viam nosse tutissimam, quam in jure dicundo sequerentur. Alumnos etiam Collegii majoris S. Crucis gravissima exhortatione privatim admonuit ( quod et Salmanticæ pariter fecerat ) quid eos in arrepto vitæ cursu tenere, quid item vitare oporteret. Matronas ad invisendum ægrotantes in Nosocomio feminas, eisque ministrandum epulas ita permovit, ut constanter in eo pietatis opere perseveraverint. Ejus denique labor fructuosissimus in ea urbe fuit, multisque gravissimorum virorum laudibus commendatus.

Ut fidem solveret, quam Archiepiscopo Bracharensi obliga-

ligaverat, ad eum hoc ipso anno redire constituit. Jamque iter ceperat, cum valetudinis incommodis solito gravius oppressus, Asturicæ coactus est sistere. Hic decumbentem Episcopus, aliique rogabant cives, ut relicta Lusitania, cujus cœlum insalubre sibi esse jam senserat, conatus suos in alia Hispaniæ regna converteret. Sed hoc ille, nec datæ fidei, nec suis convenire votis respondit. Mens quippe erat, postquam Bracharæ diœcesim omnem percurrisset, Conimbricam, et Ulyssiponem, aliasque adire urbes, in quibus et se expeti sciebat, et uberrimos sperabat fructus ex Lusitanorum docilitate, quam in prima ad eos profectione perspexerat. Itaque, cum meliuscule habuit, iter in eam provinciam instituit, quam *intra Durium et Minium* vocant: ibique ad Villam regiam Serenissimum reperit Archiepiscopum, qui diœcesim eo tempore obibat. Hic Petrum, summo exceptum gaudio, tandiu suis in ædibus manere jussit, dum perfectius ex recenti morbo, et magnis itinerum molestiis reficeretur. Multa interim cum eo contulit de ratione lustrandæ diœceseos, multaque de consilio ejus constituit, quæ ad optimum Ecclesiæ suæ regimen spectabant. Post dies aliquot instanter rogavit Petrus, ut in pagos, et oppida suo functurus munere mitteretur. Sed Præsul noluit ei, quippe nondum viribus confirmato, tantum onus imponere. Permisit tamen, ut illius provinciæ Clerum, quem Villam regiam advocavit, spiritalibus instrueret exercitiis. Quæ, cum major esset Clericorum numerus, quam ut simul omnes convenire possent, semel et iterum proponenda fuerunt; proindeque vicenos in utilissimo opere dies insumpsit.

His peractis, longius permissus est progredi, et rigente jam bruma, in oppido Provesende initium suæ dedit prædicationi, quæ in solemniis Apostoli Thomæ inchoata, felicissimum sub ejusdem auspiciis progressum habuit, et finem. Confitentium numerus adeo incomparabilis, ut Sacerdotes facile sexaginta, qui quotidie pro sacro tribunali sedebant, expediendis omnibus ægre sufficerent: magna pecuniæ vis ad eos revoluta, quibus per injuriam ablata fuerat: anteactæ vitæ scelera voluntariis, publicisque suppliciis a multis expiata. Quidam tamen repertus est illic, qui ab impuræ vitæ sordi-

dibus non nisi portento quodam fuit avertendus. Pergebat is per offusas noctis tenebras in meretricis domum, cum illum molossus ingens invasit, qui dejectum ad terram, vesteque ferociter apprehensum, hac illac raptare cœpit, et miserabiliter divexare. Divinam in tanto discrimine precatus opem, promptiorem quam pro meritis sensit. Illico dimisit eum canis, qui tamen ad ipsius latus, tanquam prædæ imminens, minaci rictu permansit. Eodem tempore proxime adstantem vidit Petrum Calatayudium, qui depravatos ejus mores coarguens, extremum illi supplicium, nisi resiperet, minabatur. Promisit ille novam ordiri vitam: et Petrus, abacta prius bestia, quæ propere aufugit, ipse quoque subito abscessit. Tum vehementer pavidus, maleque mulcatus homo ille in domum suam rediit: et post lucis exortum venit ad Confessarium, cui primum horribiles illius noctis casus, deinde sua cum lacrymis retexit crimina, hinc Dei misericordiam, inde merita extollens Petri, per quem Deus illum ab imminenti eripuerat exitio.

Relicto Provesende, Murzam in provincia Transmontana profectus est, ut in ea quoque sementem spargeret Evangelicam. Sed antequam iter illud absolveret, ischiade pertentari cœpit adeo pertinaci, ut omnem medicæ artis industriam, quæ Præsulis jussu sedulo fuit adhibita, prorsus eluserit. Tertium jam mensem ab exercitio sui muneris ob eam cessaverat invaletudinem, cum decrevit regionem illam deserere, in qua pro votis laborare non posset. Archiepiscopus, quamvis id ferret ægerrime, potiorem salutis ejus rationem habendam esse ratus, ei tandem abire permisit. Secum tamen retinuit Josephum Zuecum, qui Petrum in secunda illa expeditione Lusitana comitabatur. Is novem ipsos annos, quibus Præsuli superfuit vita, strenuam in ea diœcesi operam cum adhibito sibi socio collocavit. Petrus vero in proximum Montis regii Collegium delatus, multos hic mansit dies, antequam afflictam reficeret valetudinem.

Sub extremum anni 1749, confirmatis aliquantum viribus, nonnullas Calagurritanæ diœcesis adivit urbes, in quas, jubente Præsule, amplius quatuor mille viri Ecclesiastici convenerunt, ut exercitia S. Ignatii sub Petri ductu peragerent.

Sanc-

Sanctificatis autem eo modo Pastoribus, mirum quantum inde commodum gregi provenerit universo. Hinc enim effectum est, ut et frequentius ad christianæ doctrinæ pascua compelleretur, et mentalis orationis usu introducto, saluberrimas hauriret aquas de fontibus Salvatoris. Ad augendum etiam illius Ecclesiæ splendorem, sublatis quæ pridem obrepserant abusionibus, haud modicum juvit Petri sententia, quam tum breviter adumbratam, deinde latius exposuit in dissertatione illa, quam edidit, *De conferendis Beneficiis Patrimonialibus*. Cujus doctrinam cum probasset Episcopus, brevi diœcesis illa doctis et idoneis aucta fuit sacrorum Ministris.

Non multo post in Aragoniam pertransiit, ubi eum ex Lusitania reducem nonnulli Præsules apud se habere vehementer optabant. Ac primum Cæsaraugustam veniens, ante omnia Clerum urbanum, magnamque diœcesani partem, qui ad eam urbem accessit, sacris meditationibus, et opportunis alloquiis induxit, ut abjectis secularibus curis, omnem in Dei servitium converteret solicitudinem. Multaque post sacrum illum secessum visa sunt in multis vitæ sanctioris exempla luculenta. Deinde cæteros cives contentiore dicendi genere ad pœnitendum sic excitavit, ut magna esset velut mare contritio populi: quod apparebat ex largissimis, quas fundebant lacrymis, et acerbis macerationibus corporis, quas diu pro luendis culpis usurparunt. Ostendit hic Petrus, quantum a confidenti animo abesset, insignis humilitatis edito documento. Quandam acriter reprehenderat consuetudinem, quæ apud juventutem non sine multorum offensione invaluerat: eique tandem, quippe nimium ab decoro abhorrenti, peccati mortalis notam inussit. Id usque adeo aliquibus displicuit, ut Petrum in circulis invidiose criminarentur. Ipse vero, ut omnibus satisfaceret, quæstionem illam Academiæ Theologis, et juris Pontificii peritis dirimendam proposuit, illud aperte professus: non alio, quam indagandæ veritatis studio se duci, suamque sententiam non gravate revocaturum, si ea Doctoribus minime probaretur. Sed illi, re consulta, atque explorata, Petri doctrinam suis confirmarunt suffragiis. Quod cum Petrus e suggestu simpliciter exposuisset, obtrectatorum siluerunt linguæ, quæ patientiam ejus, quamvis multum exercitam, aorum-

rumpere non potuerant. Ob hoc, aliaque virtutum exempla non minorem sanctitatis, quam sapientiæ opinionem obtinuit. Populus sedem illam, quam ad audiendas pœnitentium confessiones occupaverat, in frusta concidit, multique legerunt assulas, quas religiose sibi reservarunt. Nec solum apud populum, sed apud gravissimos quosque cives vir sanctus audiebat, qui nihil præter Deum, et animarum salutem anhelaret. Illustrissimus Archiepiscopus D. Franciscus Annoa non dubitavit Petrum cum Apostolo conferre ob ardentem illius zelum, et infatigabilem solicitudinem, qua verbi divini panem dispensabat *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis*. Tantamque venerationem erga illum exhibuit, ut non semel eodem poculo, quo Petrus utebatur, potum sibi jusserit ministrari. Jam discessuro certam misit pecuniæ summam, quam cum omnino recusasset, alia ei donavit munera, instanti prece addita, ne illa recipere gravaretur. Accepit hæc Petrus, sed inter eos, quos ministerii participes et adjutores habuit, sibi nihil assumens, omnia divisit.

Cæsaraugusta Turiasonem adiit, quo vocaverat eum Episcopus, ut de gravissimis rebus, quæ tum occurrebant, consilium ejus exquireret. Inde Terulium rediit, ubi animos ad recipienda salutis monita reperit paratissimos. In Clero post peracta spiritus exercitia, quæ in diversis per diœcesim locis tradita sunt, ne quis difficultatem itineris excusaret; ea morum integritas elucebat, ut populus vehementiori studio Petri culturam expeteret. Hanc Terulii cives per dies viginti quatuor magna cum aviditate, parique fructu exceperunt. Neque aliquem sano corpore in ea urbe fuisse constat, qui aures dicenti Petro non præstiterit: quin etiam ægroti aliquot, et impediti, cum sua non possent, aliorum opera deportati sunt in concionem. Multi etiam advenerunt ex circumjectis oppidis, in quorum aliquo pueri cum dejerantem hominem audivissent, eum subito circumsteterunt, et ad imprimendum terræ osculum, prout a Petro edocti fuerant, hortabantur. Sed ille incensus ira, pueros educto pugione insectatur. Hi fugam arripiunt, sed inter fugiendum, identidem clamant: *Vivat Jesus, et tu osculum fige terræ*. Dum furens homo acrius in-

se-

sequitur parvulos, sed optimos consiliatores, in lapidem offendit, et pronus concidens, pugione suo linguam sibi transfixit.

Alias Aragoniæ urbes, cum ubique expeteretur, libenter adiisset Petrus, nisi eum inde gravis momenti negotia revocassent. Burgensis Archiepiscopus D. Joannes Guillenius multis egerat, ut illum ad se adduceret, ejusque opera et consiliis inter lustrandam diœcesim uteretur: eumque tandem obtinuit per æstatem 1752. Sed paulo post, ægrotante Guillenio, Toletum profectus est ad instantes preces Archiepiscopi Pharsaliæ, qui diœcesim illam administrabat pro Ludovico Borbonio Principe, Cardinali, et Archiepiscopo Toletano. In ea urbe, in qua et majestas templi, et Cleri dignitas, et amplitudo civium est maxima, zelum suum ita Petrus explicuit, ut omnibus cumulate satisfecerit. Gravissimum illum Clerum per mentales dierum decem exercitationes, quæ in Asceterio Societatis habitæ sunt, ad omnem morum ornatum, et pietatis cultum excitavit. Magno interim cives flagrabant desiderio illius audiendi viri, cujus prædicationis fructum fœcundissimum ubique fuisse non ignorabant. Itaque cum publice dicere incepit, tanto studio et constantia fuit auditus, ut ad tertium, quartumve diem in plateam prodeundum fuerit e templo maximo, cujus spatiosi fines tot excipiendis auditoribus nimis erant angusti. Neque ulla per urbem visa fuit mercatorum, aut opificum taberna, quæ concionis tempore non esset occlusa. Sacer Canonicorum Senatus Decanum suum Excellentissimum D. Ludovicum de Corduba designaverat, ut quæcunque ad secundandam Petri missionem opportuna viderentur, ipse decerneret, peragendaque curaret. Is, cum videret, quantam in populo compunctionem, et pœnitentiæ studium Petri verba excitassent, æquissimum esse censuit, ut Clerus etiam ad communem omnium ædificationem aliquod piaculare specimen exhiberet. Indicta igitur publica supplicatione, quadringenti convenerunt viri Ecclesiastici, qui lugubri ac pœnali habitu procedentes, animi contritionem salutari quodam mœrore ostendebant ipsi, et eandem aspectantibus inspirabant. Medius illorum ibat Petrus, aptissimas ex intervallo sententias ingeminans super doloribus, quos in Christi

ne-

nece pertulit mœstissima illius Mater, cujus imaginem Canonici deportabant. Duas etiam in supplicationis decursu orationes habuit de cultu Mariæ Virginis: breves illas quidem, sed iis doctrinæ luminibus, tantoque pietatis succo respersas, ut eas summa cum admiratione, ac voluptate sapientissimi auditores exceperint.

Dum Petrus in ea urbe trahendis ad Deum hominibus indefesso incumbit studio, quam intime adhæreret ipse Deo, licuit Sacerdoti cuidam agnoscere. Is ad invisendum illum ingressus, cum nullum salutanti sibi responsum reddidisset, curiosius in ejus faciem fixit obtutum: viditque Petrum sereno quidem, et placido vultu; sed oculis quantum potis erat apertis, immoteque defixis in Crucifixi imagine, quæ ante ipsum pendebat in pariete. Ter illum, aut quater elata compellat voce: nulloque accepto responso, minime dubitavit, quin Petrus per excessum mentis ab externis abalienatus sensibus, in altissimam demersus esset contemplationem. Discessit itaque ab eo, ut divinis sine interpellatore frui posset amplexibus. Sed paulo post, mutata sententia, ad Petrum rediit, quem immotum eodem manentem situ jucundissime intuebatur. Ille tandem in se reversus, Sacerdotem, quem antea non senserat, tanquam recens advenientem excepit, cum eoque cœpit colloqui perhumaniter. Existimabat autem Sacerdos, Petri ecstasim non sine divino nutu innotuisse, ut illius constaret meritum, qui Dei gloriam tanto studio susceperat promovendam.

Copiosi Toletanæ missionis fructus, cum alibi multorum literis vulgarentur, Petrum licet invitum in Matritensem Curiam compulerunt. Voluit enim Ludovicus Cardinalis Borbonius, ut eam adeo præcipuam suæ diœcesis partem Petrus etiam excoleret, per quem sciebat mirabiles animorum conversiones Toleti contigisse. Cum primum Matritum venit, multi eum Proceres, et Ministri regii, aliique viri nobiles magnis honoris et benevolentiæ significationibus inviserunt. Quod cum videret Petri socius, cui notus erat ejus ab Aulæ strepitu aversus animus, illi per jocum dixit: Vide, quo te modo Matritum exceperit, qui tantopere Matritum venire repugnabas. Cui Petrus serio respondit: *Apage te cum istis*

*inep-*

*ineptiis: jam enim multi sunt anni, cum meum honorem omnem, et gloriam ad Jesu Christi pedes abjeci.* Paucis post adventum diebus Clerum ad spiritualia exercitia convocavit in Professorum domum, ad quam Episcopi aliqui, multi Capellani Regis, et Parochi, aliique complures Clerici Matritenses ad duo millia convenerunt. Horum plurimi quodam die publicum adiere carcerem, ut vinctos inviserent, et solarentur, ciboque reficerent abundantiore. Inter eundum, præclarum pietatis, et modestiæ exemplum circum undique affluenti populo reddiderunt: facto quippe agmine ordinatissimo, Rosarium B. V. recitabant, ollasque, saccos, aut corbes, quibus immissa erant cibaria, ipsi Episcopi, aliique honoratissimi Sacerdotes per vices deferebant. Peractis exercitiis, festum solemni ritu celebrarunt Sanctissimo Cordi Jesu, cujus inæstimabilem erga homines caritatem Petrus luculenta oratione demonstravit. Imminentibus jam infestæ caniculæ ardoribus, qui habendis concionibus parum erant opportuni, visum est eas usque ad autumnum differre. Interea Petrus Segoviam concessit, indeque ad Palatium S. Ildephonsi pertransiit, ut Regium Cardinalem Ludovicum salutaret, qui plurimas ei gratias egit pro laboribus, quos Toleti, et Matriti susceperat cum ingenti creditarum sibi ovium emolumento.

Ineunte autumno anni 1753 Matritum rediit, et in sacra æde Collegii Imperialis orationes habere cœpit magna cum auditorum frequentia, et utilitate. Cum jam inde a primis diebus multo doctrinæ, et auctoritatis pondere scenicos improbasset ludos, Rex Catholicus Ferdinandus VI voluit, jussit, dum Petrus Matriti concionaretur, theatrum conticescere. Deindeque Regio edicto multa sunt præscripta, quæ in exhibendis, spectandisque comœdiis tenenda erant, ut ea corrigerentur, quæ Petrus maxime reprehenderat. Biduum etiam per duas continenter horas accerrime declamavit contra impia Sophistarum hujus ævi dogmata, qui præpostera philosophandi ratione, et impotenti scribendi libidine nimiam opinandi, agendique licentiam lectoribus parum cautis instillare non cessant. Argumenti novitas, et opportunitas disertissimos quosque ad audiendum vehementius exacuit: meritoque suspexerunt

et nervosi vim Oratoris, qua improba Pseudophilosophorum placita confutavit, et conjunctam eruditioni sapientiam, qua docuit, rationis fideique principia aptissime inter ipsa convenire. His, aliisque consuetis orationibus, quæ per tricenos circiter dies habitæ fuerunt, Matritenses ad corrigenda vitæ superioris errata mirabiliter flexit: totque inde confessionum, et consultationum exorti sunt fluctus, ut Petrus ipse, licet id genus occupationibus callum jam obduxisset, Matriti tamen subvereri cœperit, ne suus dissiparetur spiritus, cum in tanta negotiorum mole vix ullum agendi cum Deo reliquum sibi esset spatium: quem ille timorem socio suo pari cum humilitate, atque animi dolore significavit.

Postquam orationes habuit ad populum, Magnatibus, et Nobilibus utriusque sexus exercitia S. Ignatii per dies undecim commentanda proposuit, additis quotidie utilissimis instructionibus, in quibus egit de officiis Equitum, et Aulicorum. Indeque fructus extitit cumulatissimus non singulorum modo, sed familiarum etiam, universæque reipublicæ. Præterea in Hospitio pauperum, et in domo corrigendis mulierculis destinata catecheses habuit, et exhortationes, quibus omnes ad expianda confessione peccata, et altaris percipienda mysteria comparavit. Alia denique omnibus, quotquot adesse voluerunt, spiritualia tradidit exercitia, e quibus ortum habuit nobilissima æque, atque utilissima Congregatio, sub titulo Matris Sanctissimæ Luminis erecta, quæ deinde a Patribus Toletanis sedulo exculta, plurimum juvit ad fovendum pietatis ardorem, quem Petrus excitaverat. Is autem dum publicis privatisque consiliis rem divinam ubique promovendam curabat, ab humanarum appetitione rerum animum exhibuit longe abhorrentem. Cogitabat supremi Senatus Gubernator de Sacerdotio quodam in Petri nepotem conferendo: jamque super ea re Consiliarios Regis fecerat admoneri. Sed quoniam ibi tum Petrus aderat, æquissimum visum est, ut ipse quoque apud eosdem aliquam adderet pro suo nepote commendationem. Id ille omnino recusavit efficere: solumque ad iteratas amicorum obtestationes, qui notam inurbanitatis objiciendam sibi esse asserebant, ægerrime tandem adduci potuit, ut Confessarium Regis alloqueretur, atque unum de Consiliariis sibi familiarissimum.

mum. Hunc oravit suppliciter, ut se apud cæteros excusaret, cum ipse non ideo Matritum adiisset, ut sua, suorumve lucra quæreret temporalia.

Cum ibi satis jam ministerio suo fecisset, Segoviam regressus est, ubi eum Illustrissimus Murillus expectabat, ut suæ diœcesis Clerum per æternorum meditationes ad perfectionis studium accenderet, deindeque in urbe prædicaret. Hic multa movit infernus hostis, ut divini verbi promulgationem vel penitus impediret, vel jam inceptam perturbaret. Sed Petrus, qui sæpe jam viderat, lætiorem ibi messem exsurgere, ubi major seminandi præcesserat difficultas, Dei fretus auxilio, porro pergendum duxit. Ad præstitutam diem in urbem processit, ac præferente Episcopo Christi signum in cruce trajecti, cives ad excipiendum æternæ vitæ pabulum, quod eis afferebat, adeo ferventer et apposite invitavit, ut ex iis nemo jam hiscere auderet, qui prius omnia tentaverant, ne Petrus intra sua mœnia concionaretur. Deinde cum in platea S. Pauli orationem haberet de præfinito peccatis numero, auditorum aliqui primum submisse gemere et lamentari, tum vocem tollere, postremo *dracones*, *et ursos*, *et incendium* inconditis clamoribus iterare. Hinc terror undique sparsus, qui plerosque in fugam dedit adeo præcipitem, ut alii alios prosternerent, et conculcarent. Nonnulli Sacerdotes, ut dissipatam concionem revocarent, ad viarum capita processerunt, ubi cives consternati substiterant, visorum exitum expectantes. Rogati, quid eos ad fugam compulisset? alii sævissimas vidisse feras ajebant, quæ stragem undique minabantur: alii, Dæmones aspexisse cum ardentibus tædis incedentes: alii denique, fragorem quendam insolitum persensisse, formidabilemque strepitum, tanquam curruum, et bestiarum magno cum impetu irruentium. Sed admoniti a Sacerdotibus, hæc omnia Diaboli esse terriculamenta, quibus eos ab audiendis Dei verbis avertere conabatur, facile reducti sunt in plateam, ubi Petrus, cum jam omnis tumultuatio resedisset, majori cum auditorum fructu orationem suam absolvit. Paucis post diebus, cum ibidem verba faceret, lux quædam visa est in stellæ modum splendens, quæ modice supra concionis locum suspensa, rapido pertransiit cursu, et subito evanuit. Alia insuper apparuerunt phænomena, quæ

si

si minus naturæ vires excesserint, ex loci certe ac temporis adjunctis id effecerunt, ut Oratoris verbis magnum pondus addiderint ad auditorum animos salutariter percellendos. Hinc et austerioris pœnitentiæ opera passim exercita, et insociabiles ante paces compositæ, et inique parta juste redhibita, et multa alia præclare sunt gesta, quæ novam rerum faciem induxerunt.

Hæc omnia cum in proximam S. Ildephonsi Villam multorum sermonibus perferrentur, ad aures etiam Reginæ Elisabethæ, quæ post obitum Philippi V Conjugis sedem ibi fixerat, pervenerunt. Continuo Segoviam misit, qui Petro suis verbis significaret, pergratum sibi facturum, si ad regiam illam sedem accederet, in eaque missionis suæ munere fungeretur: eumque deinde advenientem perhumaniter et reverenter excepit. Petri tamen adventus non omnibus perinde gratus fuit, ac Reginæ. Cum enim ab ea discessisset, nullus sibi locus concedebatur, qui habendis concionibus esset idoneus. Hoc ille ut amoveret obstaculum, tribus secum adductis Sacerdotibus, in domum cujusdam Aulici recta contendit, qui difficultatem illam vel fovebat ipse, vel certe, si serio vellet, facillime superaret. Ad colloquium admissus, ea sermonis gravitate, atque animi constantia illum fuit allocutus, ut homini hæreret aqua, et penitus exalbesceret. Exinde cessarunt oppositiones, et Petrus opportunum concioni locum invenit. In eo per dies plurimos ad detestanda commissa, novamque vitæ rationem instituendam ita suos induxit auditores, ut ipse tantam animorum commotionem nusquam se vidisse fateretur. Nobilissimi viri, qui conspicúa vel civilia, vel militaria munera obibant, gravia de se supplicia sumere visi sunt. Omni quippe deposito fastu, et vilioribus induti vestibus, velataque facie procedentes, rigidis sua corpora flagellis cruentabant, et genibus in templorum atriis subnixi, magnis gemitibus divinam implorabant misericordiam. Sed illud longe fuit maximum, quod sublatis vitiorum irritamentis, ingestum virtutum semen altas in auditorum cordibus egit radices, et copiosum in diuturna tempora reddidit fructum.

Ut felicius Petri cœpta procederent, pia Reginæ solicitudo plurimum juvit. Nam et Aulicos admonuit, jucundissimum si-

sibi fore, si omnes dicenti Petro aures præberent; et Hortorum operas tribus quotidie horis cessare jussit, ut concionibus interessent, nulla facta propterea pactæ mercedis imminutione. Ipsa etiam aliquoties Petrum advocabat, ut consilium ab eo peteret, ac de rebus animi sui conferret. Rogavit illum aliquando, ut sui coram Deo meminisset, quippe jam ad vitæ metam propinquabat. Cui Petrus: *Faciam*, inquit, *libenter. Et sane Hispaniarum Reginam maxime decet mortem cogitatione præcipere, et Regem Regum humiliter revereri.* Quæ Petri verba Reginæ animo ita insederunt, ut ea frequenter usurparet, quoties aliquod pietatis opus aggrediebatur. Præterea, cum audisset, aliqua sibi reddi, quæ injuste ablata fuerant, quidquid ad eam diem e Palatio sublatum furtive fuisset, liberaliter condonavit: quod etiam imitatus est Ludovicus Reginæ filius, idemque deinde Proceres effecerunt. Petro insuper profectionem jam adornanti auri summam misit non exiguam, quam ille nullis precibus adductus est ut acciperet. Neque inde in ullam, ut multi suspicabantur, Reginæ offensionem incurrit, quæ potius pro singulari sua prudentia integritatem viri collaudavit. Et cum resciisset postmodum, Petri neptem ab induendo religioso habitu facultatum angustiis retardari, eidem dotis donavit nomine, quæ patruus habere sibi noluerat. Denique Sacerdotem illum large munerata est, qui domi suæ Petrum exceperat, cum is oblatas e regia mensa dapes pari constantia recusasset. Quibus, aliisque rebus cum eximiæ probitatis præbuisset specimen, magnam sibi benevolentiam conciliavit et gratiam.

Abulam deinde veniens, cum ingenti veneratione civium, quorum multi ex omni ordine obviam ei processerunt, fuit exceptus: et ingressus hic felix exitum habuit multo feliciorem. Ad Petri voces tantus placandi Numinis exarsit ardor, ut non viri solum, sed pueri quoque flagris se publice cæderent, et mulieres intra domos graves sibi pœnas infligerent: magnus aversæ pecuniæ numerus ad eos rediit, quibus jure debebatur: multa dissidentium paria in mutuam concordiam revocata: multoque plures dissociati sunt, quorum amicitia sanctissimis Dei legibus repugnabat. Quo in genere illud peculiari dignum narratione memoratur. Feminam, quæ ad Petri pedes

des accessit, nulla is ratione potuit inducere, ut peccandi periculum amoveret, quod domi suæ fovebat sponte. Et quoniam aliud obtinere non potuit, quandam illi christianam veritatem proposuit, quam tacita cogitatione ruminaret. Hæc alte quidem infixa est ejus menti, ut aliquando nec cibum sumere, nec somnum conciliare potuerit; sed in retinenda suæ ruinæ occasione nihilo minus perseverabat. Post non multos dies Petrum videt ad se intempesta nocte ingredientem, qui objecta sibi Crucifixi imagine, quam ferebat, multis eam hortatur, ut quantocyus offendiculum e medio tollat, et ad pœnitentiæ Sacramentum accedat: si secus faxit, gravissimas ei minas intentat. His mulier conterrita, quidquid suadebatur, effecturam promisit: maneque consurgens, primum peccati sui fomitem expulit, deinde confecta lacrymis venit ad Confessarium, cui peccata sua, et mirabilem Petri in domum suam ingressum exposuit. Contendebatque ab eo magnis precibus, ut rem omnem, ne suo quidem dissimulato nomine, palam vulgaret, ut et Domini misericordiam, et Servi sui meritum omnes agnoscerent, ipsaque aliquam pro sceleribus suis Deo redderet satisfactionem.

Clerum Abulensem ad tenendam Ecclesiasticæ disciplinæ formam per divinarum rerum commentationes instituit. Aderat his Episcopus, qui Petri fervorem admiratus, quodam die ad Collegii Rectorem conversus: Hic homo, ait, totus constat spiritu. Cui Rector: Atqui hoc tibi confirmare possum, Petrum nostrum jam biduum laborare febri, neque aliud per hos gustasse dies, quam simplicem potionem chocolati, juris autem duplicem. Ad hæc Præsul vehementius obstupuit: multique alii prodigio simillimum reputabant, hominem ea corporis infirmitate, cibique parsimonia tantam in dicendo contentionem, et in agendo constantiam exhibere. In Cœnobiis etiam sacrarum Virginum pias meditationes exposuit, quæ in S. Mariæ de Gratia, ubi contra eas initio repugnatum fuerat, ut deinceps quotannis fierent, decretum est omnium calculis. In urbe Marianam aperuit Scholam, quam deinde singulari animorum commodo et viri, et feminæ frequentarunt. Ob hæc, et alia, quæ ad utilitatem civium maximam pertinebant, Senatus, Populusque Abulensis, in quo loco pro concione Petrus dixerat, sta-

tuam ære publico posuit B. Virgini de Columna, inscriptionemque in stylobata fecit incidi, quæ posteros de Petri erga rempublicam meritis admoneret.

Dum Abulæ morabatur, quidam illius Collegii Socius, cum Petrum per ambulacrum incedentem proxime sequeretur, hæc interim cum animo suo volvebat tacitus: Hic enimvero vir justus, et sanctus est: utinam aliquid de illius spiritu Deus mihi concesserit! Et quasi speraret voti sui compotem fore, si Petri vestigia premeret, cœpit de industria gressum ibidem figere, ubi suos ille ponebat pedes. Tum Petrus severo vultu ad eum repente conversus: *Quid agis? inquit. Nostrarum observantia legum ea demum est via, quam Deus a te calcari desiderat*. Hæsit ad hæc conterritus ille alter, nec prorsus aliquid ei subiit, quod in præsentia responderet: sed in præconcepta de sanctitate Petri opinione majorem inde in modum fuit confirmatus.

Arevalum, et Oropesam, quæ præcipua sunt Abulensis diœcesis oppida, sacris etiam ministeriis erudivit. Dum Arevali numerosum Clerum solitis S. Ignatii meditationibus exercebat, non defuit, qui multa procaciter contra sancta illa vomeret exercitia. Sed is non seras, nec sane leves persolvit maledicentiæ suæ pœnas. Paucos intra dies acuta correptus febri, neque ullis Sacramentorum præsidiis communitus, vitam nimium miserando modo finivit. Oropesæ, cum ad prædicandum, duobus stipatus Clericis, quodam die procederet, feminam in vestibulo suæ domus sedentem vidit, eique dixit: Nonne satius tibi foret aliorum exempla sequi, quos vides ad concionem properare? Cui mulier: Id ego, Pater, vehementer cupio, atque ut præstare possim, suppliciter a Deo peto. Sed pedibus debilitata, gressum facere omnino non valeo: ideoque vicinos rogavi meos, ut ad concionis locum in hac me sella portarent; qui tamen efficere non voluerunt, ne forte obterar in eo tot hominum concursu, et pejus habeam. Cum hæc audisset Petrus, sublatis in cœlum oculis, et nimium accensa facie, parumper substitit. Deinde ait feminæ: *Confide filia: vota tua Deus exaudiet*. His dictis, perrexit prorsum, et femina penitus expedita, confirmatisque pedibus, deinceps ad concionem quotidie venit, nullo jam aut hominum auxilio, aut alio indigens fulcro: in eodemque valetudinis statu

post

post menses aliquot perseverabat, ut ii cum juramento testati sunt, qui Petrum eo die comitabantur.

Anno 1756 jam exeunte, iter ad Bæticam instituit, ut morem gereret Eminentissimo Cardinali de Solis, qui pridem apud se Petrum habere desiderabat, ut is amplissimam diœcesim Hispalensem percurreret, et contractis ex diuturna sui Pastoris absentia languoribus mederetur. In ea peregrinatione comitem habuit Nicolaum Zubiaurum, qui Joanni Cenzano successerat, deincepsque Petrum in cæteris expeditionibus naviter juvit. Hispali venerabilem illum Clerum, cui præivit quotidie Cardinalis, ad officii munus instruxit mentalibus exercitiis, quibus et ad suæ perfectionis studium, et ad promovendam aliorum salutem vehementer fuit excitatus. Cum deinde in suggestum publice dicturus conscendit, multi inter alia pulcherrimum illum ordinem admirabantur, quo Petrus pene militari peritia immensam civium multitudinem distinctis pro cujusque classis conditione sedibus collocabat. In amplissimi consessus centro numerosos pauperum greges constituit, quibus Præsul et suæ liberalitatis impulsu, et Petri suassu largam quotidie stipem erogabat, ut promptiores ad audiendum Dei verbum accurrerent. Fuerunt tamen multis partibus mirabiliores intimi doloris sensus, et vehementes animorum motus, quibus auditores suos ad præterita deflenda errata, novosque induendos mores induxit. Unde aliqui earum rerum æquissimi æstimatores missionem Hispalensem cum fructuosioribus, quas Petrus in eam diem susceperat, merito comparandam esse affirmarunt.

Nonnulla etiam Hispali contigerunt, quæ ad augendam Oratori fidem haud modicum valuisse crediderim. Religiosus quidam ob ea, quæ de Petri orationibus ex aliorum sermone cognoverat, nihil admodum putabat esse, cur illæ magnopere commendarentur. Is quodam die cum Petrum audisset, tantum abfuit, ut a præhabita opinione discederet, ut firmior in eadem perstiterit ob unicam Petri periodum, quam censuit ille, in gravissimum illud auditorium minime convenire. Postridie senex ad eum venit, ut totius vitæ crimina fateretur, in quibus annos amplius quinquaginta miserrime volutabatur: et ultra modum obstupuit, cum mutationis suæ causam ad ea Concio-

cionatoris verba referentem audivit, quæ ipse tanquam nimis importuna damnaverat. Exinde Petrum revereri cœpit, Deumque per os ejus loqui, palam profitebatur. Patuit etiam per eos dies, qua ille in officina cuderet ea verba, quibus peccatorum animos ad promptam, et stabilem pœnitentiam adducebat. Dominus Franciscus a Busto, in equestri S. Jacobi ordine Sacerdos honoratissimus, Petri cubiculum ad condictam sibi horam ingressus, illum coram imagine Crucifixi submissis orantem genibus, et mente sic in Deum erecta reperit, ut nullum in eo motum, ac ne respirationem quidem deprehenderit. Compellavit eum sæpius; sed nullam mittentem vocem, tantum non mortuum credidit. Postquam multa tentavit frustra, ægre illum tandem excitavit: et Petrus ab excessu mentis sibi jam redditus, ad ea, quæ afferebantur, solita cum affabilitate respondit. Hoc autem, aliaque virtutum insignia tantam ei apud Hispalenses venerationem pepererunt, ut Pictorem in domum suggesto proximam immiserint, qui Petrum, dum verba faceret, ad vivum exprimeret in tabula, cujus deinde aspectu et memoriam optimi viri refricarent, et ad tenendam salutis viam, quam eis indicaverat, incitarentur.

Ex urbe in celebre Trianæ suburbium transiit, quod alteram non immerito urbem appellaveris. Hic præter illos, qui civium jure funguntur, ex ea gente multi etiam incolunt, quos aliis alibi nominibus, in Hispania Ægyptianos vocant. Genus hominum improbum, qui, cum rapto vivere assueti sint, et fraudulentia pleni; mores tamen ingenuos, et liberalem agendi modum, quo securius decipiant, jactare non desinunt. Hos Petrus et unctione divini Spiritus, et suorum vi verborum ita delinivit, ac flexit, ut gravissimas de se ipsi pœnas sumerent pro vindicandis injuriis, quas Deo intulerant, et hominibus. Fere omnes ad pœnitentiæ fontem conscientias abluerunt, divinisque pasti sunt dapibus eo contritionis, et pietatis sensu, totque permansuræ frugis indiciis, ut miraculo comparandum crederent quicunque perditos illius gentis noverant mores. Exultabat his Cardinalis animus, et qui Petrum initio per triennium tantum in vineam suam conduxerat, non ante quinquennium dimisit, serius etiam illum dimissurus, nisi hujus corruisset valetudo.

Eo tempore ad urbes, et celebriora diœcesis oppida frequentes et utilissimas fecit excursiones, quibus Clerum, et populum sic ad meliora traducere conatus est, ut constans et diuturna esset morum emendatio. Exercitiorum S. Ignatii præsidio multa correxit in Clero, multa item instituit, quæ ad restituendum vigorem disciplinæ vel necessaria prorsus erant, vel maxime opportuna. Nonnulli Clericalem habitum cum offensione populi non induebant. Alii, secularibus implicati negotiis, divina negligenter, aut etiam cum tædio pertractabant. Curiones aliqui non ea, qua par erat, sedulitate suarum ovium commodis invigilabant. Hæc omnia solicite quidem, sed prudenter adeo emendavit, ut apud eos nunquam offenderit, quos debuit de reformatione vitæ admonere. Accessit etiam auctoritas Præsulis, qui decretis suis adegit Parochos ad explicandam in diebus sacris doctrinam Christi, et Fideles ad reddendam coram Parocho institutionis suæ rationem, antequam Paschalia festa celebrarent. Ad fovendam vero pietatem, in quam propensos Bæticorum animos noverat Petrus, præter erectas multis in locis Congregationes, quibus sacratissimi Cordis Jesu, et Mariæ Virginis cultum promovit, in plerisque populis publicum orationis mentalis usum induxit, qui deinde Sacerdotum industria, et exemplis plurimum viguit.

Jam, si omnia velim exponere, quæ Petrus in Bætica laudabiliter gessit, jucunda quidem, sed prolixa nimis foret oratio. Quædam tantum attingam, e quibus aliorum poterit non levis fieri conjectura. Astæ Regiæ, quam vulgari sermone Xerezium vocant, familias duas nobiles, et strictis connubiorum vinculis conjunctissimas, inveterata per annos viginti quinque discordia ita disjunxerat, ut neque avus nepotes nosceret, neque filius inviseret genitores. Multi viri graves, ipsique Prælati suam non semel interposuerant auctoritatem, ut pacem inter dissidentes conciliarent, semper tamen incassum. Petrus in illius domum ingressus, qui præcipuus dissensionis auctor habebatur, ab eo primum abalienati a propinquis animi causas omnes exquirit: deinde illas exponit, quæ Christianum hominem ad condonandas injurias permovere debent. His pervicaciam illius viri, nimium antea sibi confidentis, penitus fregit, ipseque palam confessus est, nihil sibi esse, quod ad Pe-

tri

tri verba reponeret. Quod si aliquis, dixit, tam aperte mihi esset locutus, næ ego pridem ab hac mea mentis obstinatione discessissem. Illa ipsa dies diuturnis dissidiis finem attulit optatissimum, et utriusque familiæ capita, magna omnium civium lætitia et admiratione, depositis simultatibus, in mutuam redierunt animorum consensionem. Plurima id genus frequenter occurrerunt, quæ, ut in alia transeam, prætermitto.

Astigi civis quidam cognomento Morales, egregiam apud suos navavit operam in promovendis Petri consiliis, quem ipse ut virum sanctum venerabatur: eamque opinionem ex sequenti casu in suum animum altius induxit. Decreverat is omnes vitæ suæ labes Petro quodam die detegere, in easque diligenter inquirebat intra chorum templi, cum Petrus ad eum veniens, hæc in ejus aurem insusurravit: *Confessionem istam in alium diem rejice, quem ego tibi designavero.* Obstupuit homo vehementer, quoniam suum illud confitendi consilium cum nemine prorsus, ac ne cum ipso quidem Petro communicaverat. Sed multo miratus est vehementius, cum deinde ad Petri pedes accedens, ab illo de quibusdam admonebatur, quæ olim admiserat, et in longa, diligentique animi discussione sibi nunquam occurrerant. Hæc ille civis: qui hæc omnia ad Dei, ejusque Servi gloriam palam fieri desiderabat. Morone quoque, nobili Bæticæ municipio, multi testati sunt, cum Petrum consilii, confessionisve causa convenissent, abditas conscientiæ suæ latebras, et occulta peccata sibi retexisse. Postquam Huelbæ magno cum animorum fructu prædicaverat, ad eum in suburbanum, in quod per dies aliquot discedebat, venturum esse promisit Huelbensis quidam Ecclesiasticus, cui Petrus asseveranter dixit, ne iter illud susciperet, quod ei minime futurum erat expediens. His ille non deterritus, cum amicis suis ad invisendum Petrum advenit: jamque Villæ fines attigerat, cum repentina oppressus apoplexi, semivivus, et expers sensus in terram decidit. Affuit statim Petrus, qui miseratus hominis vicem, sic exclamavit: *Non temere illi ego dixeram, ne veniret.* Ægrotum in lecto collocari jussit, ipseque discessit in cubiculum. Inde post non brevem moram ad illum rediens, nihil esse dixit, quod in præsentia timendum ejus vitæ foret. Et vir quidem ille paulo post e lecto

sur-

surrexit, mensæque omnino sanus accubuit. Comiter admonuit eum Petrus, ut in posterum promptior esset ad obediendum: et ipse, vitam illi acceptam referens, qui letalem ictum et prævideraт, et suis, ut putabat, precibus continuerat; vesperi cum amicis in domum rediit incolumis, neque ullam post longum tempus tam periculosi morbi sensit offensionem.

Inde magno in honore erat apud Bæticos, qui venerationem suam non solum Petro, sed ejus etiam rebus nonnunquam exhibuerunt. Baculus, et galerus sublata illi fuerunt in urbe S. Mariæ, dum sedebat ad audiendas confessiones. Id ille joco tribuendum censuit; sed galerum sibi subrogatum, quippe suo valde pretiosiorem, ut primum domum rediit, cum alio viliore commutavit. Hinc pariter fiebat, ut illius verba et avidius exciperentur, et firmius in auditorum animis residerent. Quanquam apud illas gentes vix in more positum erat, ut finibus suis excederent ad auscultandos Præcones sacros, Petrum tamen ut audirent, multi etiam ex longinquo properabant. Huelbam in Eleplensi comitatu sex advenarum millia convenerunt, qui ab indigenis liberaliter excepti sunt, ut percipiendi divini verbi famem explerent. In iis fuerunt incolæ Vallisviridis mille ac ducenti, qui domi suæ paucis ante mensibus Petrum audierant: nunc autem ad regustandam ejus doctrinam iter aggressi sunt ad millia passuum octo et viginti. Longam adeo viam omnes coronati caput spinis, nudique pedes, et, quoniam esuriales recurrebant dies, plerique jejunii servantes legem confecerunt. In duos semper tributi ordines, divinas pergentes cantabant laudes, præcinente Sacerdote, qui erecta Cruce, ac pari cum cæteris pœnitentiæ cultu pium ducebat agmen. Huelbæ tribus commorati diebus, totidem concionibus interfuerunt, et elutis confessione maculis, sacraque percepta synaxi, ad Patriam eodem, quo venerant, ordine reverterunt.

Quo autem ardentius erat audiendi Petrum studium, eo quoque major in tenendis honestæ vitæ documentis, quæ ab ipso tradebantur, auditorum erat constantia: quod Petri non tantum verbis, sed morum ejus integritati, et præclaris virtutum exemplis, unde vim suam Oratoris Christiani voces accipiunt, potissimum tribuebatur. Socius quidam Bæticus, qui sa-

sacris ministeriis, postquam Petrus inde discesserat, multos in ea Provincia lustravit populos, passim in excursionibus suis reperisse ait, qui Petri consiliis ad bonam conversi frugem, in proposito melioris vitæ constanter perseverabant; atque inculcata sibi religionis principia, et insinuatas piorum operum exercitationes perinde retinebant, quasi recenter hortantem Petrum audissent. Multos item sibi asseruisse, ab suæ pravitate vitæ nonnisi Petri industria potuisse recedere. Cum enim alios sæpe Sacerdotes adiissent, ab eis semper ob debiliorem animi sui comparationem fuisse rejectos. Ad Petrum vero cum tandem, devicto metu, accessissent (talem quippe futurum esse timebant in conscientiæ foro, qualem vitia de superiore loco severe corripientem audiebant) tantam in eo suavitatem, ac tam efficacem persuadendi vim invenisse, ut alacres inde ad ingrediendum novæ vitæ cursum discesserint, quem deinceps magno et ipsorum gaudio, et aliorum exemplo firmissime tenuerunt.

Inter alias Petri per Bæticam expeditiones haud postremum obtinuit locum, si fructus ubertatem, et laboris magnitudinem inspicias, quam ad Ayamontanos, et viciniam suscepit. Ayamontium urbs est Bæticæ ad Anam flumen in Lusitaniæ confinio sita, in quam proinde perditissima utriusque fæx regni facile confluit, ut promeritas commissorum alibi pœnas effugiat. Hic tamen, ut ipse ajebat Petrus, *ubi abundavit delictum*, *superabundavit et gratia*. Cives, et alienigenæ vehementi adeo contritione commovebantur, ut aliquando eorum gemitus et clamores omnem dicentis contentionem excesserint. Unde Petrus mitioribus verbis utendum ratus, orationem suam ad clementiam, et benignitatem convertit. Sed hinc auditorum animi maxime visi sunt liquefieri; et viri quini, vel seni, in quibus erat dux militum, exanimes præ dolore corruerunt. Hanc animorum commotionem par etiam consecuta est morum emendatio. Inde in Oceani litus excurrit, ut Malacitanis, Aragoniensibus, Valentinis, aliisque aliarum gentium piscatoribus prædicaret, qui certis anni temporibus in piscosam illam oram frequentissimi conveniunt. Res erat plane ardua, nec vacua periculi. Per æstuarium enavigandum erat, caricibus, et juncis hinc inde septum, quibus difficillimus

mus reddebatur in terram descensus. Et, ut feliciter evasisset, non aliam in litore sperabat habitationem, præter vilia piscatorum tuguria, contra perfrigidam anni tempestatem male admodum tuta. Tamen in eorum quodam exceptus, multos hic mansit dies magnis quidem incommodis, nam et lectus ejus per noctem pluviam penitus maduit; sed magna etiam animi voluptate, quoniam inter piscatores illos ita rete suum misit, ut copiosam et ipse fecerit animarum piscationem. Ayamontium deinde rediens manifestum incurrit vitæ discrimen. Exorta quippe procella, cymba ad Anæ ostium, ubi tumidiores surgebant fluctus, fractis jam remis, amissoque gubernaculo, proxime fuit absorvenda. Remigum unus in mare desiliens, abreptum undis gubernaculum apprehendit, suoque restituit loco: tandemque omnes singulari Dei beneficio, quod Petri tribuebatur meritis et precationibus, in portum venerunt incolumes.

His autem, similibusque laboribus sensim concidebat illius salus, supervenienteque febri, quæ per semestre integrum nunquam remisit, in consilium vocati Medici, non aliam levandæ valetudinis viam, præter cœli mutationem, invenerunt. Ad eum nuntium Eminentissimus Cardinalis in lacrymas ubertim effusus, instanter rogavit Petrum, ut quoniam illum, quod maxime cuperet, diutius retinere non poterat, non sineret incunctanter ad se venire, quotiescunque de imminenti sibi mortis periculo certior efficeretur. Id Petrus, cui biennium supervixit Cardinalis, præstare non potuit. Nunc peractis ei maximis gratiis pro eximia liberalitate, qua sibi, suoque socio, quæ opus erant, subministraverat, ut expeditiores ad Evangelii promulgationem per diœcesim illam excurrerent, inde in Provinciam suam discessit ineunte anno 1762.

Fines vix attigerat Castellæ veteris, cum melius sibi esse sensit, et Vallisoletum veniens, quæ illi sedes designata erat, dum peregrinandi non esset opportunitas, paucos intra menses pristinæ fuit redditus valetudini. Hic eum invisit nobilis Asturicæ juvenis, Josephus Nietus, cujus Matri repentinus pavor mentem ita turbaverat, ut jam inde ab annis septem nec Sacramenta percipere, nec divinis auderet assistere. Perspecta erat Petro illius Matronæ pietas, cujus etiam animum

mum intime noverat. Propterea, cum miserandam ejus sortem audisset, hæc juveni mandata dedit ad Matrem: *Peccatrici* (sic enim eam appellabat) *meis verbis dices, ut templum adeat, ad confessionem, et communionem sacram accedat, e purgatorio carcere animas liberet, nec dubitet se tandem salvam fore, quidquid Diabolus contra obnitatur*. Hæc omnia filius, cum primum in domum rediit, Matri suæ totidem verbis expressit: quibus illa ab diuturno animi veterno visa fuit excitari. Et cum eadem ipsi per intervalla quædam ingererentur, post octavum diem vocatam servam secum venire jubet in templum: ibi Sacrum auscultat, deinde ad Confessarium accedit, postremo divinæ mensæ reverenter accumbit. Cœlesti sumpta buccella, velum ab ejus oculis fuisse reductum, novamque rerum omnium faciem objectam sibi esse affirmabat. Deinceps, nulla alia adhibita medicina, perfectum rationis usum retinuit, et in antiquo pietatis studio per annos amplius viginti, quibus duxit spiritum, indefessa perseveravit. Eamque gratiam a Deo per obsecrationes, et merita famuli sui Petri non dubitabat obtinuisse.

Is sufficienter refectus viribus, ad intermissos ministerii sui labores reversus est mense Majo. In primis Villamorium profectus, est, quod in regione Benaventi situm, Episcopo subjacet Ovetensi. Tenebat eo tempore sedem illam Illustriss. D. Augustinus Gonzalius Pisadorus, qui jam usque a puero singulari veneratione, parique amore Petrum prosequebatur, quem habuerat Methymnæ ad humaniora, et Philosophica studia Præceptorem. Nunc multis apud eum institit, ut incipiens a Vicariatu Villamoriensi, diœcesim suam iterum instrueret ad salutem. Villamorium, ubi mille fere et quingenti numerantur incolæ, ad audiendum Petrum quatuor, aut quinque mille, Pastoris incitati literis, nonnulli etiam cœlitus immisso metu accurrerunt. Quidam enim agricolæ, ut concionibus non interessent, urgentem agrorum cultum excusarunt initio. Hi, dum solitis incumbunt laboribus, insolitam experti sunt corporis lassitudinem; a qua per nocturnam relevati quietem, ad opus postridie suum impigre revertuntur. Sed brevi usque adeo fessi sunt laborando, ut domum præmature repetere coacti fuerint. Cum omnes insuetum illum languorem mirarenren-

rentur, non defuit inter eos, qui a Deo injectum sibi esse diceret ob importunam colendi agri solicitudinem, quæ illos ab utiliore animi cultura retardabat. His prudentis viri dictis conterriti, tertiam in agros tentare profectionem ausi non sunt, promptioresque deinde fuerunt ad auscultandam Patrum doctrinam. Hic Petrus, quod et alibi fecerat, publicum orandi mente exercitium instituit, convocatis in templum civibus (aut mane, aut vesperi, pro diversa cujusque populi conditione) quibus Sacerdos meditandi capita proponebat ex libro, quæ deinde taciti commentarentur; in eoque semihora nec invite, nec sine magno profectu ponebatur.

Antequam iter ad Astures aggrederetur, Villanfrancam in Bergidis coactus est proficisci, magnis Cleri, et Senatus illius oppidi precibus exoratus: fuitque juvandis animis, et corporibus adventus ejus opportunissimus. Regionem illam vexabat eo tempore dira fames, quæ usque ad alicujus internecionem sæviisse dicitur: multique pauperes, misero squalore oppressi, et horribili confecti macie, ægre lurida trahebant corpora. Commotus eo spectaculo Petri animus, calamitatem illam omni ope sublevandam curavit. Marchionem Villæfranchæ Dominum, datis ad eum literis induxit, ut subditorum succurreret indigentiæ. Nobilium etiam, ac divitum, et totius Cleri pietatem excitavit, ut egenorum inopiæ, pro sua quisque facultate, largius solito subvenirent. Collecta est pecuniæ summa non levis, quæ alendis in ea annonæ difficultate pauperibus abunde suffecit. Ad suscipienda quoque salutaria consilia paratiores inter adversa redditi auditorum animi, desideratam mutationem morum ad Petri verba exhibuerunt: cujus zelum et caritatem cum omnes suspicerent, non alio eum, quam viri sancti nomine compellabant.

Inde secundam ad Ovetenses profectionem instituit, quam, ingravescentibus suæ valetudinis incommodis, summa cum difficultate confecit. Vix poterat gressum facere, cum ad urbem accessit, in eamque ingressus est, brachiis sui comitis sustentatus. Obviam ei propere venit Episcopus, qui ad carissimi Magistri pedes inobservatus procubuit. Ad insperatam illam observantiæ significationem Petrus ei graviter dixit: *Accipe, Illustrissime Domine, hanc Christi imaginem, et sequere me*. Hæc di-

dicens, in alium repente mutatus est virum, et nulla jam usus fultura, libere quoquoversus discurrens, faces omnibus ad pœnitendum subjiciebat. Cum ad plateam venisset, in quam immensa populi multitudo concurrerat, ex podio adventus sui finem exposuit, tantamque paucis verbis in auditoribus compunctionem excivit, ut plane illa nocte constiterit, quid valeat homo Spiritus S. donis instructus. Sub finem conversus ad Præsulem, qui prope aderat, Crucifixum ei tradidit, dicens: *Huc ades, Domine, et benedic populo tuo.* Episcopus, quanquam imparatus accesserat, ad ea Petri verba novo ardore succensus, ferventissimam fecit adhortationem, cui multam ejus lacrymæ vim addiderunt, et benedictionem suis ovibus impertivit. Huic initio cætera fuerunt consentanea, et sacram illam missionem mirabiles pœnitentiæ, ac justitiæ fructus sunt consecuti. Quos cum videret R. P. Magister Feijous inter amplexus et lacrymas his Petrum affatus est verbis: „ Hoc enimvero est, Pater mi, strenuum Evangelii ministrum agere, „ qui non suam, sed Dei gloriam inquirit. Mihi vero quid „ fiet post tot vitæ, ac studiorum annos, qui haud scio, quam „ demum in partem sint accipiendi? „ Et præclaram hanc de Petro, de se autem demissam opinionem non semel ille Vir sapiens, et pius similibus expressit verbis.

Diabolus vero, ut Petri cœptis obsisteret, hic etiam turbas conatus est excitare. Quo die de pœnis agebat damnatorum, ab una viarum quatuor, quæ in plateam ducunt, immanis quidam et horridus canis erupit, qui supra mulierum capita insiliens, et terrorem undique spargens, ad mediam usque concionem penetravit. Inde turbari omnes, et clamoribus cœlum implere. Tum Petrus, vocem intendens, exclamavit: *In Dei nomine, cujus ob honorem verba ego vobis facio, sileat omnis lingua, et det gloriam Deo.* Ad imperium istud tumultus omnis conquievit, et monstrum illud non amplius apparuit, nec ab eis quidem fuit visum, qui ad quatuor viarum capita pro meliore concionis ordine agebant excubias. Alio item die, postquam dicere inceperat, nubes etiam stillare cœperunt. Trepidantibus civibus, locumque mutare gestientibus: *Quiescite*, dixit Petrus, *et mecum salutationem Angelicam, ut pluvia desinat, pronuntiate.* Appensam ex more ha-

habebat ad suggesti latus imaginem Mariæ V. de Columna, quam ab eo tempore, cum augustissimum ejus templum inviserat Cæsaraugustæ, in Patronam elegerat suarum expeditionum. Facta igitur coram ipsa brevi illa deprecatione, statim cessavit pluvia. Sed ea denuo ingruente, cum concio dimittebatur, iterum potentissimum Reginæ cœli patrocinium imploravit, ut eis siccum cœlum concederet, qui peregre venerant, quorum alii duodecim, alii sexdecim confecturi erant millia, ut in ædes reverterentur. Ad iteratas preces sudum continuo rediit: illique advenæ, Rosarium B. V. in eadem platea inchoantes, iter in domos suas læti suscipiunt. Post quatuor horas nimium concretæ nubes densissimum demiserunt imbrem, qui totam tenuit noctem. Inclarescebat his Petri nomen apud eam gentem, quæ ubique doctrinam ejus, moresque suspexit. Cum iter ageret per diœcesim, cujus præcipua lustravit oppida, obvios habuit aliquot viros, qui eum, quippe de facie non bene notum, taciti prætrierunt. Occurrentem deinde socium rogarunt, essetne P. Calatayudius, qui proxime præcedebat? Affirmante illo, omnes conversa in eum facie, nixi genibus, et complicatis supra pectus manibus, tanquam vir sanctus esset, perinde venerati sunt.

E salebrosis Asturum montibus Vallisoletum rediit supra modum debilitatus. Hic tamen ab anno hujus seculi sexagesimo tertio sanctificandis per exercitia sacra civibus utriusque sexus egregie sub finem jejunii maximi adlaboravit. Aderat vespertinis horis Illustriss. Episcopus D. Isidorus Cosius, qui quodam die Patribus, ad januam eum deducentibus, Petri dicendi vim hoc lepido verborum lusu significavit: *Ego quidem existimo, Paulum non aliter prædicasse, quam Petrum*. Nec minorem laudem femina quædam nobilis facto suo Petri verbis attribuit. Habebat hæc nescio quam dilectissimam mundi muliebris supellectilem, quam magno sibi pretio comparaverat. Sed cum audisset Petrum, de superfluo, vanoque mulierum ornatu disserentem, tantum sui, suæque concinnitatis odium concepit, ut domum rediens, pretiosum illud ornamentum flammis dederit comburendum. Quanta vero reipublicæ utilitas e sacro illo secessu consurgeret, testes erant et cives ipsi, et numerosa Sacerdotum cohors ad S. Ignatii

tii commorantium, quorum quotidiana assiduitas vix erat satis colligendis pœnitentiæ fructibus, qui ad eam Petri culturam exoriebantur.

Quanquam per id tempus non adeo frequentes faceret excursiones, quasdam tamen intra diœcesim Vallisoletanam, nonnullas etiam extra illam suscepit. Occasione litis contentiosissimæ, quæ de communibus pascuis Secam inter, et Navam insurrexerat, eo missus est, ut exulceratos veteri dissidio animos, ad exequendam pacifice sententiam Judicum, quæ lata jam fuerat, compararet. Timebant multi vehementer, ne aliqui pugnaciter obsisterent, et luctuosas moverent rixas. Sed his occurrit malis prudentia Petri, et auctoritas, quæ magna illi erat apud illos populos ab eo etiam tempore, quo Philosophiam Methymnæ docuit. Et apud Navenses quidem præcipuam inierat gratiam, quibus et insignem dederat operarium D. Franciscum Nunnium, et alterius popularis sui Ven. Antonii de Bermejo spiritum approbaverat, cum adhuc de virtutum ejus sinceritate a non paucis dubitaretur. Nunc ergo omnes publicis privatisque adhortationibus ad mutuam concordiam, debitamque decretis Judicum submissionem adduxit: unde omnia tranquille peracta sunt, nec deinceps inter incolas utriusque oppidi dissensiones ullæ fuerunt, aut jurgia. Ruedam etiam paulo ante venerat, ubi copiosæ metendæ messi nonnullos adhibuit Socios, præter duos, qui hoc tempore assidue illum comitabantur. Adiit deinde Asturicam, Forum Egurrorum, et Ampudiam: ac denique anno sexagesimo sexto Harum, Flaviobrigam, et ad S. Crucem de Campezo profectus est. Dum Flaviobrigæ Clerum in spiritualibus exercebat, ipse quoque multis, variisque modis fuit exercitus: et cum Societatis rerum status in pejus quotidie rueret, solum vertere coactus est, Vallisoletumque rediit, ubi eum major laborum moles expectabat, ut aptissimum vitæ suæ adderet colophonem.

Octavum jam et septuagesimum ætatis agebat annum; vigiliis, et meditationibus, et studiis, et assiduis itineribus, immensisque laboribus attritus; nec non multorum obtrectationibus insectatus, et acerbis sui corporis doloribus afflictus; cum Catholici Regis jussu omnes, qui de Societate erant, acti

sunt

sunt in exilium. Summo mane ad eum ingressus est Emmanuel Ibarzabal, qui paucos ante annos adjunctus ei fuerat in socium cum Zubiauro, illumque admonuit, milite cinctum esse Collegium. Petrus ad eum nuntium nihil expavit, sed illico hymnum *Te Deum laudamus* inchoavit, quem simul cum socio ad finem usque perduxit. Venit deinde cum cæteris ad auscultandum exilii sui decretum, et factam a Prætore manendi in Hispania potestatem ob ætatem ejus provectam, et notissima valetudinis incommoda, minime admisit; sed respondit intrepide, animam prius relicturum, quam fratres suos desereret. Vallisoleto digrediens, baculum secum eduxit, et imaginem Crucifixi: illum quidem, extenuato sustentando corpori, quod pelle tantum et ossibus constare videbatur; istam vero, ut animos sibi, suisque adderet Sociis, ad labores et ignominias constanter et alacriter perferendas. Cœpitque statim hortari omnes, ut præclaram patiendi occasionem, exhibendique constantiam inter adversa læti susciperent, et intenderent in Christum oculos, qui proposito sibi gaudio, sustinuit confusionem. Eæque fuerunt præcipuæ muneris sui partes, dum vitam in exilio duxit, ut exulum animos in tantis ærumnis confirmaret. Multos etiam per Hispaniæ urbes consolari debuit, qui ad eam commoti calamitatem, turmatim accurrebant, flexisque genibus, et effusis lacrymis benedictionem ab ipso postulabant. Sed cum in ejus verbis et vultu lætitiam suspicerent singularem, jam aliter et ipsi affecti, faustissimis eum acclamationibus excipiebant. Hac animi alacritate, sed pari corporis defatigatione Sanctanderum venit, ubi sex et viginti dies mansit in angusto illo Societatis Collegio, cujus et ambulacra, et puerorum Scholæ, et solarium ipsum, constipatis humi culcitis, occupanda fuerunt, ut cubandi locus esset tercentis sexaginta quinque Sociis, qui eo compulsi fuerant.

Conscensis deinde navibus, nec laxius habitare licuit, et graviora subeunda fuerunt pericula. Reflantibus enim a terra vi magna ventis, Ferrolium, quo cursus erat, nonnisi post undenos ventum est dies, in quibus sævior Cantabrici oceani concitatio vectoribus, et nautis naufragii non semel incussit metum. Petrus in illo discrimine bono esse animo jubebat omnes, et fiduciam in eo, qui mari et ventis imperat, collo-

ca-

care: placuitque Deo cunctos in destinatum portum incolumes tandem adducere. Inde vero usque ad oram Etruriæ ultimam secundi aspirarunt venti, et pacatiora plerumque fuerunt maria: tamen alia passim occurrebant incommoda, quæ novos quotidie animos ad sustinendum exigerent. Petro Navarchus obtigit Bilbaensis cognomine Zubiria, vir probus, si quisquam alius, qui Sociis cum cæteris, tum Petro maxime, quem eximie reverebatur, sedulo studuit, quantum se penes esset, gratificari. Sed is exiguam regebat navem, quæ proinde opportunior erat molestissimæ jactationi. Eadem omnium totius classis erat tardissima, sæpeque trahenda fuit religato ad prætoriam fune, ne longius ab cæteris disjuncta, prædonum latrociniis maneret exposita. Inde autem manifestum frangendi subiit periculum, quod, nisi recisa propere rudente, non effugisset: quanquam Præfectus classis imminentis adeo discriminis liberationem fertur Petri meritis assignasse. Huic inter omnes navigationis molestias, quæ multæ fuerunt et graves, nihil acerbius accidit, quam quod ad offerendam cœlestem Hostiam, vel certe sumendam (quod ei perraro licuit) in parvo illo, quo vehebatur, myoparone non esset opportunitas. Cujus doloris vim is tantum assequi possit, cui nota sit exquisita illa solicitudo, quam suis in itineribus, et morbis adhibebat, ut divinum quotidie aut Sacrificium perageret, aut reciperet Sacramentum.

Centumcellis jam prope aberant, omnesque de proximo laborum fine invicem gratulabantur, cum egressus ex illo portu Hispaniensis Proconsul, navium Præfectis denuntiavit, Pontifici summo deliberatum esse intra suos fines exules non admittere: itaque redirent in Corsicam, nova ibi mandata Regis expectaturi. Non parum ea novitate commoti sunt aliqui, quorum mœrorem, ut levaret Petrus, multa opportune dixit, quibus afflictos animos ad constantiam et alacritatem erexit. Decima nona Junii e portu S. Stephani egressi, unde brevissimus est trajectus in Corsicam, inter disseminatas in eo freto insulas ultro citroque discurrentes, undecim hæserunt dies, donec superato tandem Corsico promontorio, trigesima die mensis Nebiensem intrarunt sinum, qui nomen obtinuit ab exciso Nebio prope oppidum S. Florentii. Ecdem

dem jam præcesserant Toletani Patres, et Bætici, qui cognito Petri adventu, gavisi sunt valde, cum vix credere auderent, tot annis et laboribus attrito potuisse vires sufficere, ut trajiceret in Italiam. Statim ad illius navem multi accurrerunt, quos humanissimus senex, suo quemque compellans nomine, benignissime amplectebatur: et incredibili exultabat gaudio, tot visis Sociis, qui eum, dum percurrebat Hispaniam, et liberaliter exceperant, et in suis egregie adjuverant ministeriis. Par item videndi, alloquendique Petri studium emicabat in ducibus, et classiariis, cæterisque nauticis, quorum alii aliis commemorabant, quæ præclare apud ipsos gesserat, dum sacris missionibus incumbebat. Petrus, ne quam officii partem quamvis difficilem prætermitteret, impositus cymbæ ad alias itare naves; eos, qui se inviserant, resalutare; omnesque dulcissimis verbis in ea temporum amaritie consolari. Et qui suam intra navem ægre in pedes consisteret, ad exequenda modo caritatis officia perdifficiles navium scalas adeo impigre conscendebat, ut juvenilem in eo ardorem crederes revixisse. Fuit hoc illi fere perpetuum, ut cum agenda esset Dei causa, vel proximi, corporis infirmitatem animi virtute superaret.

Calvium inde profectus est medio Julio, et in terram expositus cum Sociis facile septingentis, qui omnes in eo derelicti sunt litore, ut ubicunque demum possent, sibi quærerent domicilium. Sedebat in acta Petrus, multo de se minus, quam de fratribus suis solicitus, cum admonitus est, ut in Cœbium concederet Franciscanorum Patrum Observantium, qui prope litus habitant extra urbem. Decem admodum illam occupabant sedem, quam et ipsi non raro mutare coacti fuerant, invadentibus Cœnobium Corsis, qui contra Genuenses, legitimos ipsorum Dominos, ante annos triginta septem insurrexerant. Magna proinde rerum inopia premebantur, cum sæpius experti fuissent belli civilis incommoda. Sed pietate, ac misericordia divites, sua tecta ( quod poterant ) liberaliter exulibus obtulerunt, ut in eis ab injuriis cœli, quotquot possent, protegerentur. In pavimento templi, extracta inde sacra pyxide, ducenæ culcitæ sunt extentæ, in quibus Socii totidem recubuerunt, in eisque Petrus, quem deinde illi Religiosi Pa-

tres,

tres, ut mitiore in strato quiesceret, intra unam ex suis cellulis receperunt.

Non diu licuit ad S. Francisci consistere. Post quintum diem omnes intra modicæ, ac miserrimæ urbis angustias includendi fuerunt, ut rebellium incursibus, qui tumultuari jam incipiebant, minus essent expositi. Galli milites, qui præsidium illud tenebant, advenientibus Genua copiis, inde in Hispanorum navibus discesserunt. Corsi vero, quoniam induciarum tempus exierat, novo irruentes impetu, omnes ab insula in urbem aditus obsederunt. Franciscanorum Cœnobium occuparunt, et tormento bellico, quod opportuno in loco erexerant, portus ingressum nimis difficilem reddiderunt. Intra urbem, cujus pomerium horæ quadrante circumieris, nova tot colonorum accessione, maximæ erant domiciliorum angustiæ, unde aliqui ad cavernas coacti sunt, et tuguria: magna etiam annonæ inopia, aquæ vero summa. Calvii enim, quippe in altissimæ rupis vertice constituti, nullus est puteus, fons itidem nullus. Cisterna tantum erat aquæ pluvialis, quæ militibus, et quibusdam indigenis certa cum mensura dispertiebatur: reliquis prodeundum erat ad fontem, qui sine magno discrimine, quod alibi descripsimus, adiri non poterat. Hinc Petri solicitudo, ferventesque ad Deum preces, nequid mali contingeret variis Sociorum manipulis, qui aquam pro suis quique domibus allaturi, procedebant ad fontem. Cum primum tirones exibant, quorum in domo manebat Petrus, ut eos in tanto laborum cumulo verbis et exemplis ad constantiam et virtutem omnem incenderet, statim ipse recurrebat ad orationem. Revertentibus veniebat obviam, scire quam primum gestiens, num salvi redirent cuncti. Deinde singulos alloquebatur, studioseque interrogabat, quid eis adversi, quid fausti evenisset? Postremoque Deo agebat gratias amplissimas, quod omnes inter volitantes militum glandes servasset immunes. Quibus illi ad iterandum hoc difficile quidem, sed præcipuæ caritatis officium promptiores efficiebantur.

Parem animi solicitudinem in cæteris suorum, externorumque periculis exhibebat. Quoties aliqua domus missilibus impeteretur, vel incendiarius aliquis globus crepuisset in aere, subito illius viscera commovebantur, seduloque perquirebat,

num-

numquis occissus esset, aut læsus. Ac de Sociis quidem, quæ Dei fuit indulgentia, nullus in eo belli tumultu concidit, nullus vel tenui perstrictus est vulnere: quod Petro prædicandæ clementiæ divinæ magnum fuit argumentum. Sed cum audiret, vel propugnatores erumpere, vel irruere adversarios, et aliquos utrorumlibet cecidisse, incredibili dolore conficiebatur. Misericordem hujus viri animum, qui cum eo non degerit, is non ex facili fuerit assecutus. Aliorum labores dolebat ut suos, nullo habito discrimine personarum: quod si re quempiam sublevare non posset, votis certe ac prece non deerat. In suorum vero fratrum æruminis, præter exhibitum miserationis affectum, lacrymas etiam effudit, quibus et illorum dolebat vicem, et suam prodebat modestiam singularem. Dum stetit obsidio, ordinarius Sociorum victus oryza fuit, sale tantum et aqua condita, aut legumina verminosa cum porcinæ mucidæ frustulo, panisque nauticus, quem descendentes e navi, partim beneficio ducum, partim soluto pretio obtinuerant. Et cum ad toleratas jam diu corporis et animi molestias novum hoc corrupti cibi incommodum accessisset, fere omnes arripuit diarrhœa, quæ nonnullos medentum ope destitutos exstinxit. Petrus in ea communi calamitate communi etiam uti victu desiderabat. Sed cum neque buccellatum frangere, neque illum cibum, debiliore jam stomacho, posset concoquere, alium si minus exquisitum, magis certe innoxium ab imperantibus jussus est sumere. Inde vero non semel ad fletum compulsus est, cum eadem ac cæteri lege vivere cuperet, neque ullum in se meritum dispiceret, ut mitius haberetur, quam alii.

Soluta demum obsidione, constitutaque rerum nostrarum disciplina, religionis ac literarum studium fervere cœpit, quantum in ea licuit temporum difficultate. In tirocinii domo, quam incolebat Petrus, præter legitimas spiritus exercitationes, aliæ non paucæ novendiales, vel triduanæ fiebant preces, quibus dies multi sanctissime impendebantur. Ad hæc omnia inter primos accurrebat Petrus, submissisque perstabat genibus, donec a Superiore sedere juberetur. Eum tamen sæpe serioque affirmantem audisses, magno se rubore suffundi, dum in tironibus accensum hinc pietatis studium, innocuam inde læ-

ti-

titiam in tanta rerum paupertate considerabat. Nec vero illi modicum ad eam animi alacritatem ex Petri sermonibus, et operibus incitabantur. Cum multi eum audire cuperent, alias etiam adivit domos, ut paræneses haberet ad Socios. In eis hortabatur omnes, ut abjecta proprii commodi solicitudine, ad portandam impositam crucem animos, et corpora confirmarent: sæpeque obortis lacrymis asserebat, nullum eos a Deo majus adhuc beneficium accepisse, quam exilium illud, tot tantisque laboribus, et ærumnis exaggeratum. Id eum diuturna docuerat experientia, solertem salvandorum hominum curam ab oppugnationibus, et laboribus immunem esse non posse. Simul vero didicerat animum in adversis rebus, quamvis illæ ultra modum excrescerent, non despondere.

Tam multi eum consilii et solatii causa conveniebant, non ex iis modo, qui erant Calvii, sed ex Bæticis quoque, qui Argaiolæ, et in suburbio Calviensi morabantur, ut a Superiore suo quæsierit, satiusne foret, tantam ad se venientium frequentiam excludere, diutiusque vacare meditationi, et scriptioni? Cui Rector: consultius equidem te facturum existimo, si neminem rejeceris advenientium, sed omnibus accessum dederis, et, quam a te expectant, consolationem ingesseris. Nil contra ea obstitit Petrus, perrexitque fratres suos perhumaniter excipere, et consolari. Ea tamen de causa literario, vel spirituali studio nihil adeo detraxit, ut octavo mense postquam venerat Calvium, in illa perturbatione rei publicæ, et egestate domesticæ, volumen jam confecisset quadringentis spissum paginis, in quo præclara de christianis officiis digesserat documenta. In his vero, quæ ad spiritum attinebant, præter varia illa exercitia, quæ domi suæ omnibus communia esse diximus, non pauca erant, quæ ipse privatim exequebatur, quorum etiam conscium volebat esse Superiorem. Ad eum quodam die cum accessisset, aliqua se habere dixit, quæ remotis arbitris cum ipso cuperet communicare. In vacuum digressi cubiculum, singuli singulos lectulos occuparunt; hæc enim sedilia erant Calvii. Tum Petrus vitæ suæ rationem reddere, orandi agendique modum exponere, omnes conscientiæ sinus expandere, postremoque rogare, ut sibi, quid in posterum sequi, quidve deberet fugere, simpliciter ediceretur.

Rector, qui dum puer esset, magno jam plausu concionantem Petrum audierat, lacrymas tenere non potuit, cum virum tam sublimi spiritu, et cana senectute venerabilem, quasi novitius esset, perinde consilium exposcentem audiret. Atque idem cum iis solitus erat efficere, quos habuerat missionum socios, ut in rebus animi sui aliorum potius, quamvis juniores essent, prudentiæ inniteretur, quam suæ.

Galli, quorum in ditionem ex conventis cum Genuensi Republ. venerat Corsica, præsidia illa maritima, quæ paulo ante reliquerant, majori numero post decimum mensem iterum occuparunt. Inde novi belli formido, major annonæ caritas, habitationum angustiæ maximæ, aliaque incommoda, quæ Petri animum ad aliorum miserationem passim exercebant. Ipse cum contubernalibus suis in aliam migrare domum coactus est, in qua dubium, noctune, an interdiu gravioribus molestiis impeteretur. Per diem quippe milites ante illam domum tympanis, et lituis, aliisque bellicis instrumentis obstrepebant: quod homini commentandi, scribendique studiosissimo perincommodum necesse est accidisse. Præterea fumus in Petri cubiculum per fenestram, et rimosas pavimenti tabulas penetrabat, quoties femina Corsa, quæ subter ipsum habitabat, foculum extruebat. Hæc filium habebat parvulum, et ægrotum, quem ut sopiret vagientem, cantillando ducebat noctes, quiescentique Petro æque importuni erant feminæ lalli, ac pueruli planctus. Eum tamen et labores matris, et filii dolores sæpe dolentem audisses; de molestiis vero, quæ inde sibi obveniebant, nullum unquam verbum. Multo illi fuit acerbius, cum dispersos uno die vidit nonaginta fere Socios, qui sub eodem manebant tecto, quorum aliqui ad vestibula, et stabula confugerunt. In his erant Theologiæ auditores, et Magistri, qui omnes in arctissimum, accessuque difficilem locum conveniebant, ut quaternas quotidie scholas haberent: indeque post cœnam (nam idem cœnaculum erat, et gymnasium) in varias discedebant domos, ut nocturnam caperent quietem. Ad eum locum, superatis non sine periculo male fidis scalis, Petrus quodam die venit, collaudataque omnium in ea dispersione concordia, juvenes ad perseverandum in studii contentione, cunctosque ad laborum patientiam est adhortatus. Vix finem

nem dicendi faciam, si percensere omnia velim, quæ Calvii universis Sociis ad exercendam constantiam, Petro vero ad misericordiam exhibendam occurrerunt.

Post menses demum quatuordecim Christianissimi Regis jussu Calvium non inviti relinquunt, et Gallicis imponuntur navibus, in Liguriæ litora transvehendi. Dato solvendi signo, RR. PP. Capuccini, qui montem prope Calvium incolunt, unde longus est in mare prospectus, ad templi atrium facto ordine processerunt: et eorum quidam, sacris indutus vestibus, cum acceptà ex altari Hierotheca profecturis jam Sociis benedixit. Hi, cum præmoniti essent, in genua venerabundi prociderunt: et Petrus, qui singularem inde consolationem accepit, in illorum Patrum effusus est laudes, qui reliqua benevolentiæ signa tam egregia pietate cumulassent. Calvio digressi sunt decimo tertio Kal. Octobris, multisque in mari, et in Genuensi litore laboribus defatigati, Segestam in orientali Genuæ plaga post mensem denique appulerunt. Hic alii in alias domos sunt distributi: Petro cum comitibus suis nosocomii pars illa obtigit, in qua publicum extructum erat theatrum, in eoque prope scenam ipsam constitutus illi fuit lectulus ad quiescendum. Inde, cum postridie salutandi ergo adessent multi, cuidam ex illis jocari sic placuit: Quid, putas, dicent Hispani, cum audierint, P. Petrum Calatayudium, qui tam acriter actiones comicas est insectatus, tandem in theatro solidam duxisse noctem? Hæc audiens, contraxit humeros, oculos cum manibus in cœlum sustulit, demissoque capite divinam reveritus est providentiam, quæ in humanis rebus varie quidem, sed sanctissime ludit: deindeque ad inceptum sermonem placide rediit.

Quoniam Segesta in Æmiliam nec cisiis vehi poterat, quæ iter illud non patitur, neque item equo sine vitæ periculo manifesto; ut lectica defferretur, decretum est. Multis ille precibus, et lacrymis institit, ut eodem quo cæteri jure censeretur, sed Præsidum jussis debuit tandem acquiescere. Cum deinde præcipites montium anfractus, vallesque aut rapidis torrentibus, aut cœnosis paludibus impeditas aspexit, non cessabat Deum, et Angelos deprecari, ut fratribus suis in frequenti adeo, atque imminenti pereundi discrimine subvenirent. Neque

que irritas illius fuisse preces existimaverim, quandoquidem ex Sociis, qui magno simul incedebant numero, plerique equitandi non valde gnari, omnesque jumentis male instructis impositi, in eo quatridui itinere difficillimo nullus, ut timendum erat, interiit. Petrus Burgotari, quod primum est Parmensis Ducatus oppidum, propter effusos imbres substitit tribus diebus, in quibus quantum virium ex cessatione corpori accessit, tantumdem molestiarum humilis ejus animus ob exhibitum sibi honorem accepit. Lecticarii enim, quos humanitate sua et mansuetudine, optimisque consiliis mire sibi devinxerat; cum observassent per viam assiduum ejus orandi studium, et accensos quos mittebat in cœlum affectus, aliaque passim edita virtutum exempla; Burgotarum ingressi, hominem sanctum sese importasse divulgarunt. Hinc ad Petri hospitium et Prætor, et alii venerunt viri, qui verbis ejus, et venerabili aspectu capti, cum novo congressum iterandi desiderio discedebant. Multæ etiam feminæ parvulos suos adduxerunt, ut eis bene precaretur: quod ille cum imagine Crucifixi reverenter, modesteque faciebat, addens etiam eorum matribus opportuna consilia. Atque ut sibi nihil, omnia illius gentis pietati attribueret, gaudere se ajebat, quod in his partibus tantum erga Sacerdotum benedictiones vigeret studium. Sed in eo populo de sanctitate Petri usque adeo invaluit opinio, ut micas panis, qui eidem apponebatur, diætarius dissimulanter colligeret, in plurimos, qui solicite illas petebant, dispertiendas. Religiosæ quædam Virgines alium petierunt panem, quo animus alitur ad justitiam. Nec Petrus, cui concessam a Vicario facultatem exhibuerunt, earum votis annuere detrectavit. Itaque orationem habuit ad cunctas, deindeque singulis ad propositas de spiritu quæstiones respondit. Pari honore, ac veneratione cum alibi, tum maxime Regii fuit exceptus. Hic Episcopi Vicarius longas cum eo consultationes habuit, ejusque sanctitatem, et sapientiam ita suspexit, ut plenam audiendi confessiones, et concionandi potestatem illi fecerit, quam ibidem in Parthenone quodam rogatus exercuit: ac deinceps idem Vicarius de gravissimis rebus sæpe illum per literas consuluit.

Relicto Regio, tandem in ditionem Pontificiam advenit,

in cujus finibus non longe ab arce Urbana vicus est, quem incolæ Panzanum vocant. Ibi mansit cum aliis quatuor supra centum Sociis, qui omnes in Palatio habitarunt Excellentissimi Comitis Malvasiæ, Senatoris Bononiensis. Magna ibi inopia erat initio tum aliarum rerum omnium, tum maxime illarum, quæ tuendo ab ingruente hieme corpori, et sternendo lectulo requiruntur. Horum pleraque in itinere detenta fuerant, nec nisi tertio post mense remissa sunt. Petrus, cum multos noctu vel humi, vel in scamnis cubantes, interdiuque male tectos videret, intime dolebat, et nihil non egit, ut quæ Superiores utenda sibi concesserant (erantque admodum pauca) divideret inter fratres. Cum deinde advenerunt impedimenta, novam dolendi occasionem, et exhibendæ constantiæ peridoneam habuit opportunitatem. Omnia enim scripta, quæ arculis, et bulgis inclusa fuerant, penitus sunt intercepta: et Petrus, cui permissum in Hispania fuerat exportare secum quæcunque mandasset chartis, multorum annorum lucubrationes uno die vidit amissas. Vicena erant volumina, in quibus tractatus multi, variæque literæ continebantur, vel ad commune reipub. Christianæ bonum, vel ad privatam eorum instructionem attinentes, quorum spiritum per epistolas dirigebat. Non pauca ille tentavit, ut ea recuperaret, quæ magno sibi labore, longisque vigiliis steterant. Sed cum tandem nihil proficeret, divinæ voluntati ita se subdidit, ut cum alio de amissis opusculis agens, cuncta se Deo jam immolasse confirmaverit. Cujus sacrificii quantum sit pretium, literatorum hominum esto judicium, eorumque præsertim, quos divinæ gloriæ, et animarum zelus adurit.

Exeunte jam Septembri anni 1769 cum Theologiæ studiosis, cæterisque Sociis Panzano Bononiam venit, ubi post annos non multos, sed multa post virtutum exempla mortales relicturus erat exuvias. Inter assiduas, ac multiplices Apostolici muneris occupationes, atque adeo in maxima postremi hujus temporis perturbatione eundem in rebus animi sui tenorem vitæ observarat, quem posset in domestica tranquillitate retinere. Nunquam ei deerat tempus longæ meditationi, cæterisque adimplendis religiosi hominis exercitiis. Assuetus enim modico trium, quatuorve horarum somno, maturius e cubili surgebat,

nac-

nactusque antelucani silentii opportunitatem, devotioni suæ laxabat habenas, donec stata veniret hora celebrandi Sacrificii. Ex hoc tantum illi accedebat roboris, et solatii, proptereaque tantam ad illud peragendum solertiam adhibuit, ut in longissimo suarum peregrinationum discursu, quocunque noctu diverteret, solicite statim ageret de loco et tempore, in quo posset divinis operari postridie: idemque tenuit in variis itineribus exilii, præterquam in mari. Bononiæ lætitiis incessit omnibus, cum vidit erectas domi aliquot aras, in quarum una Christus Dominus jugiter residebat, quem ipse frequenti adoratione venerabatur. Voluisset etiam suum ante lucem surgendi morem retinere, ut coram Deo et spiritu, et corpore quam primum prosterneretur. Sed Moderatores, debiliori suæ in dies valetudini consulentes, fervorem ejus ita temperarunt, ut lumen quidem citius illi, quam cæteris, inferri permiserint, surgendi tamen horam longe protraxerint. Sedens itaque super stratum, orationi vacabat, dum præstitutum ab eo desiliendi tempus accederet. Postremis vero annis, cum ne id quidem satis esset, ut ab rigida hiemis intemperie non læderetur, suumque nihilominus sacrificandi studium vellet explere; obtento Roma rescripto, intra sui muros cubiculi privatum Oratorium Præsides erexerunt, in quo suis votis minore cum incommodo satisfaceret. Hanc ille gratiam inter maximas censuit, eaque sic usus est, ut nullo unquam die rem divinam facere prætermiserit, antequam ultimo morbo corriperetur. Quotidie item animum homologesi repurgabat: si quando autem id ante sacrum efficere non potuisset, post illud certe faciebat, ne hujus careret fructu Sacramenti.

Quod ubique constanter secutus erat, ut in Collegia post sacras expeditiones, tanquam ex acie ad hiberna, regressus, communibus religiosæ vitæ exercitiis inter primos adesset, idem Bononiæ præstitit, dum sibi per Præpositos licuit. Eratque magno omnibus incitamento illum octogenario majorem intueri senem, singulas domesticæ disciplinæ functiones tanta constantia, pietateque obeuntem, quanta posset tiro exactissimus. Qui vitam assidue concionando duxerat, ad eas, quæ domi fiebant, adhortationes sic accedebat avide, ut siquæ propter tardiorem auditum minus bene perciperet, ea deinde sibi peteret iterari:

ri:

ri: quod si hujusmodi exhortationibus ob graviorem invaletudinem interesse non posset, enixe rogabat quendam, ut intento ipse adesset animo, omnia sibi deinde fideliter redditurus. Tantam, ut ex aliorum verbis proficeret, adhibebat industriam! Hinc etiam in cœnationem cum cæteris descendere vehementer optabat, ut consueta inter prandendum lectione animum quoque reficeret. Lautiusque sine dubio animo indulgebat suo, quam corpori. Sive enim in communi omnium mensa (quod illi propter loci difficultatem minus sæpe, quam vellet, permittebatur) sive in conclavi cibum sumeret, tenuis semper, ut alias innuimus, et vulgaris erat illius victus. Multoties apud Rectorem suum institit, ut servare jejunia sineretur, et quæ ab Ecclesia præcipiuntur, et quæ majorum pietas in mores induxerat Societatis. Et in extremo vitæ suæ tempore, cum attigerat quartum et octogesimum ætatis annum, literas ad provinciæ Præfectum dedit, quibus rogabat, ut liceret sibi tribus per hebdomadam diebus ita jejunium agere, ut panis tantum ofellas caperet, quod sine ullo valetudinis detrimento perficiendum a se fore sperabat. Id cum obtinere non posset, rursusque instare pergeret, ut saltem ab esu carnium abstinere permitteretur; illi tandem responsum est, ut vesci ovis posset interdum, eo tamen modo conditis, quo laicus vellet, qui eidem ministrabat. Is placentam ex ovis cum intrita carne, paucisque herbulis nonnunquam apponebat Petro, qui solitus in cibo non saporem quærere, sed corporis nutrimentum, de illato ferculo potius ex ovorum colore, quam ex adjunctis judicabat: ratusque votorum obtinuisse summam, super ea re nihil amplius impetrare contendit.

In ea, quam diximus, ingravescente jam ætate usque adeo erat cessationis impatiens, ut Bononiæ quotidie, ex constanti multorum observatione, legendis, scribendisque libris septenas circiter horas impenderet: et quo die postremus illum morbus invasit, post peracta religionis officia, totum mane dederat scriptioni. Nec Superioribus visum est Petri conatus in hac parte moderari: longa enim experientia didicerant, infirmiori ejus corpori sustinendo, in quo prævalidus erat humor hypochondriacus, perinde studii contentionem prodesse, atque agitatio marinis aquis, ne corrumpantur. Ejus autem studia in

eum

eum semper scopum collinearunt, ut homines, a peccandi licentia deterritos, ad virtutem, Deique amorem traduceret. Id perdius, et pernox volvebat animo, id ubique privatim, et publice moliebatur: et cum annos fere quinquagenos huic operi urgendo magnis sudoribus impendisset, ut conatum juvandi omnes ultra vitæ fines extenderet, bonam librorum copiam evulgavit, et *per illam defunctus adhuc loquitur*. Scripsit enim, et publici juris fecit

*De doctrina christiana* tomos 3. in folio: quorum duo primi excusi sunt Valentiæ 1739. Tertius Lucronii 1754.

*Magisterium fidei, et rationis*. tom. 1. in folio, Hispali editum 1761.

*Missionum* tomos duos in 4. Primus de ratione agit Missiones obeundi. Alter orationes continet, quas ipse pronuntiabat. Matriti 1754.

*Sacri amoris incendia*. Murciæ 1734. et alibi sæpe.

*Catechismum Monialium*. Vallisoleti 1749. in 4.

*Catechismum practicum*: cujus nona editio facta est Villægarsiæ 1764. in 8.

*Meditationes super novissima hominis, et mysteria Christi D. ac Mariæ V.* Cæsaraugustæ 1752.

*Anatomiam moralem*: in qua agitur de oratione mentali, et affectionibus hominis.

*De emptione et venditione lanarum: de ludis chartarum, et aleæ, aliisque contractibus*. Toleti per Franciscum Martinum 1761. in 4.

*Apophthegmata ex Prophetis, aliisque sacris libris excerpta*. Murciæ 1734.

*Exercitia pro Sacerdotibus*. tom. 1. in 4.

*Judicium Sacerdotum*: cujus ad calcem addita est *Instructio ad Illustrissimum quendam Episcopum*.

*Compendium doctrinæ christianæ*, a Joan. Petro Pinamontio confectum, et a Petro nostro Hispanice redditum, et in meliorem formam dispositum. Pompelone, Salmanticæ, Compostellæ, alibique recusum. Lusitane quoque conversum jussu Sereniss. Archiepiscopi Bracharensis 1743.

*Regulas* pro erigenda Congregatione SS. Cordis Jesu, itemque alias pro Schola Mariana.

*De recta facilique ratione Confessionis generalis bene instituendæ*. Typis Seminarii Villagarsiensis 1760.

*Vitam* Exell. D. Antonii Idiaquezii, Ducis Granatæ ad Egam,

Multa alia scripserat prælo digna, quorum pleraque in Parmensi amisit itinere, neque unquam reddita sibi fuerunt. Panzani quoque, ac Bononiæ, cum otiari nusquam posset, non pauca literis commendavit. Et quoniam in hoc erudito ad perniciem multorum seculo sanctissima religionis jura novis in dies ausibus videbat oppugnari, novos et ipse conatus adhibuit, ut eadem propugnaret. Itaque dissertationes aliquot de Sacra Scriptura, de libris prohibitis, de Romano Pontifice, de Bullæ, quam Cœnæ vocant, auctoritate, aliasque composuit, in quibus et doctrinæ suæ copiam, et ardens pro religione studium ostendit.

Eo contentiore animo ad impugnandam impietatem incubuit, quo propius accedebat ad vitæ finem, de quo nonnihil superne creditur agnovisse. Id, quamvis in occultandis Dei donis esset cautissimus, nonnulli ex quibusdam ejus verbis deprehenderunt. Cuidam negotium dederat, ut pro tribus compingendis libris totidem sibi membranas afferret. Satius, ait ille, mea quidem sententia fuerit, aliquanto plures emere, quibus alii etiam integantur libri, quos, opinor, scribes adhuc. Cui Petrus subito: *Nullo modo*, inquit: *his enim absolutis, non plura perscribam; quippe jam jamque dissolvitur hæc mei corporis coagmentatio*. Hæc autem cum diceret, nihil admodum erat, quod novam periculi suspicionem injiceret, præter consueta valetudinis incommoda, quæ ante annos plurimos patiebatur, neque illum segniorem unquam reddiderant ad laboris contentionem: eademque modo constantia per menses aliquot in studii assiduitate permansit. Observarunt tamen aliqui, relegendis ac limandis, quæ jam scripserat, tempus impendere: tantumque adnotationes aliquas denuo congerebat, quæ ascetico conficiendo operi videbantur opportunæ. Quod cum is etiam animadvertisset, qui membranas paulo ante emerat, quæsivit ab ipso, velletne integumentum aliquod pro concinnando eo libro, postquam illum absolvisset? Petrus in eodem responso perstitit. Sed veritus fortasse, nequid a se curiosius inquireretur, illud deinde subjunxit: *Precare Deum, ut ea possim perficere, quæ præ manibus habeo*. Opusculum autem illud, superveniente postmodum morte, inabsolutum reliquit. Præterea in literis, quas ad provinciæ Præfectum dedit anno antequam ul-

timum ægrotaret, rogat eum in visceribus Jesu Christi, ut quidquid numum ex Superiorum consilio apud Curatorem domus deposuerat, sibi velit accipere, omninoque retinere. *Ego enim*, ait, *diu vivere non possum. Nec vero mihi expedit, adhuc habita plena licentia, muneribus ac donis uti: aptiusque ad animi pacem existimo, et ad meam indolem accommodatius, si ne teruntium quidem habeam, quod possim expendere.*

In hac humanarum rerum despicientia, et propinquæ mortis persuasione tranquillam, sanctisque intextam operibus agebat vitam, cum Novembris die decima nona 1772, tardiorem inter scribendum dexteram sensit, ut lituras potius suffunderet, quam literas efformaret. Statim custodem Angelum invocavit, ad quem frequentissime recurrebat; cum singularem ejus opem tum aliis in rebus plurimis, tum etiam in studiis suis sæpe fuisset expertus. Hinc ad suorum codicum margines passim videre licet has notas, A. C. per quas novimus, eum significare voluisse *Angele Custos*. Adeo erat in cœlesti comite salutando diligens, et industrius! Sed auxilium ejus in præsenti non sentiens, indubitanter sibi persuasit, de imminenti periculo a Deo per Angelum admoneri: abruptoque studio, solita cum dissimulatione socio, qui aderat, dixit: *Quid ego scio, velìtne Angelus, ut scribere non pergam?* Inde jussus est in lectum sese recipere, paucisque post horis ita illum paralysis occupavit, ut dexterum ejus latus ab humero ad extremum usque pedem omnino impediverit. Sic mansit tribus mensibus, et septem diebus, in quibus, cum dolores in dies crescerent, et ipse de potestate mentis nunquam exierit, in ferventi virtutum exercitatione, atque in Dei laude ad supremum usque spiritum perseveravit.

Patuit in primis ex hac ejus ægrotatione, quantum ab obedientiæ nutu in rebus etiam minimis dependeret. Cum sæpe nullius cibi esset appetens, rogabatur instanter, hocne, an illud edulii genus minus ingratiis caperet. Ad quæ ille tantum: *Quod Superior injunxerit*, respondebat: appositamque deinde dapem, qualiscunque illa esset, sine ulla cunctatione admittebat. Parem insuper obedientiam erga Medicos exhibuit, eorumque administros. Ab iis autem, quoties levandus, aut convertendus esset in lecto, quam maximam pudoris curam

ha-

haberi desiderabat, eosque semper admonebat his verbis: *Cavete, quaeso, ne quid fiat minus modeste; filii enim sumus Ignatii.* Præterea, quanquam ex diuturno laborum usu corpus suum duraverat ad patientiam, tanta erat modo dolorum acerbitas, ut, cum loco dimovendus esset, moram aliquam peteret ad orandum: fassusque est, perinde se inter movendum excruciari, quasi equuleo torquendus imponeretur. Neque ideo molestiam illam subire recusabat, sed in maxima doloris accessione, ad Deum ferventi, atque humili conversus animo, his eum verbis alloquebatur: *Amplius Domine, amplius: sed tu vires suffice, quæ mihi non suppetunt.* Multi erant anni, cum Deum omnibus rogabat precibus, ut quidquid pœnarum in purgatoriis ignibus infligendum sibi esset pro noxis, in hac potius vita repræsentaret, ut ne tantillum quidem ab jucundissimo illius conspectu retardaretur. Optatisque annuisse Deum, hanc ex ejusdem verbis capere possumus conjecturam. Quo die Viaticum ad æternitatem abiturus accepit, mortalitatis vinculis statim dissolvi, et esse cum Christo, vehementer cupere significavit. Sed mox, se ipse corrigens, adjecit: *Ait tamen Deus, hic adhuc superesse scoriam ad excoquendum.* Et suscepto Viatico, dies aliquot inter gravissimos dolores, et heroicos virtutum actus supervixit.

Erga illos, qui ægrotanti sibi ministrabant, et alios bene multos, qui de salute sua soliciti, frequenter illum invisebant, gratum adeo, atque humilem exhibuit animum, ut lacrymas excitaret. Nonnunquam ad effigiem Christi conversus, quam semper ad spondam habuit, magno cum affectu auditus est exclamare: *Cur pateris, Domine, ut in me, vilissimum utique mortalium omnium, tanta exerceatur humanitas? et ut hi servi tui, meique fratres tantum pro me laboris assumant?* Cum Sacerdotes magno semper in honore habuisset, ab iis modo, ad salutandum eum ingressis, sæpe benedictionem postulabat. Hærebant aliqui ad venerabilis senis humillimam petitionem: aliique in lacrymas effusi, ab illo potius benedicendos se esse contendebant. Quod cum Petrus facturum promitteret, si prius ipsi facerent, quæ petierat; multi illius annuebant votis, ut a viro Dei jam jam e vita decessuro faustam et ipsi precationem obtinerent.

Sed

Sed pietatem suam nulla in re magis ostendit, quam in divinis percipiendis mysteriis. Tres amplius menses inter dolores decumbens acutissimos, Missæ sacrificium unico tantum die non auscultavit. Confessionem semel quotidie, nonnunquam bis intra diem instituit. Ut primum vis morbi ejus innotuit, Rectorem suum oravit suppliciter, ut singulis diebus divinam sibi concederet Eucharistiam: ab eaque in longo illo temporis spatio ter solum, aut quater abstinuit. Sed inde novus insurrexit labor, quo Deus illum singulari quodam modo exerceri frequenter permisit. Sæpe post mediam noctem, cum somno satis bene, pro more suo, jam indulsisset, et pervigil, suique omnino esset potens, quosdam videre sibi videbatur, qui admotis ori cochlearibus, varios ei linctus, potionesque dulciculas offerebant, ut melius sibi esset, et quietem caperet placidiorem. Obnitebatur ille contra, obtrudentesque ecligmata et manu repellebat, et verbis, ne sacram sibi communionem impedirent. Et qui erat in detegendis, ac dissolvendis Diaboli laqueis peritissimus, cum esset pariter sibi nihil præfidens, rem omnem humiliter aperiendam censuit, ut alterius consilio duceretur: quanquam ipsemet viam indicabat, qua nulla tutior esse posset ad evadendum. Quadam nocte cum graviorem habuisset conflictum, cubiculi januæ ac fenestris affigi jussit schedulas, S. Ignatii nomine inscriptas, quibus adversus præstigias lemurum vim magnam inesse, compertum est: placuitque Deo, ut decem circiter dies, quos vixit post receptam unctionem sacram, liber omnino esset a nocturna illa colluctatione.

Februarius jam incesserat, et quotidie viribus deficiebatur, cum statuit Medicus, ut sacrosancto Viatico reficeretur. Id cum audisset, continere se non potuit, quin exclamaret statim: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, et lætemur in ea*. Confessionem præmisit generalem, quod et alias in ea infirmitate jam fecerat, et quotannis, dum recedebat ad S. Ignatii exercitia, solitus fuerat efficere. Inde autem certum, testatumque habemus, quam acceperat in secunda origine stolam gratiæ nulla gravi macula contaminasse. Ubi divinum allatum est Sacramentum, caput denudari sibi jussit, adoratoque suppliciter Domino, constanti et integra voce (quasi

no-

novas ex vitæ præsentia vires hausisset ) colloquium exorsus est satis longum. In eo, postquam veniam a Deo petiit vitæ suæ, nimium remisse tepideque peractæ, desiderium testatus est, quo flagrabat, amandi illum cum omnibus, pro omnibus, et super omnes, videndique quantocyus Sanctissimam Triadem, et Virginem Beatissimam. Quod si placeret ei diutius se in hoc misero exilio retinere, corpus et animum sponte, atque omnino pœnis ac doloribus quibuscunque pro honore sui Nominis, et proximorum incolumitate devovebat. Labores etiam commemoravit, quos pro suo amore subierat; tenues illos quidem et exiguos, sed prompto libentique animo pro ipsius gloria susceptos. Inter alia gratias Deo egit singulares pro obedientiæ spiritu, quem sibi erga majores indiderat: eamque obediendi alacritatem ut in omnes S. Ignatii filios effunderet, precatus est. Illos vero, qui exilio multati fuerant, tenerrimo quodam affectu Domino commendavit, ut in patria cœlesti cives aliquando conscriberentur. Preces deinde fudit pro Pontifice Maximo, et Rege Catholico, quod sæpe alias factitare consueverat. Persolutisque gratiis Angelo tutelari pro illius erga se meritis singularibus, orationem his verbis absolvit: *Veni Domine. Atque utinam indignum pectus meum ingressus, tecum me raperes in conspectum Triadis Beatissimæ, ac dulcissimæ tuæ Matris! Veni, et noli tardare: relaxa facinora cordis mei.* Hæc omnia fèrventer adeo pieque dixit, ut domestici, et qui foris advenerant, lacrymas continere non potuerint.

Cum sacram sumpsisset Hostiam, extremam unctionem petiit, et animæ commendationem, quæ tempori administratæ fuerunt; ut etiam peccatorum Indulgentiæ, quarum erat studiosissimus, semperque verbis ac factis ostenderat, quanto illæ ab omnibus habendæ sint in pretio. Quos deinde dies vixit, contemplandis divinis perfectionibus, æternisque gaudiis appetendis insumpsit: multaque proferebat e sacris literis, quibus et desiderium summi Boni, et spem obtinendi ejus significabat. Custodem Angelum, et illos e Beatorum numero, quos vitæ Patronos habuerat, ut auxilium in morte ferrent, magna fiducia deprecabatur. Sed ante omnes Reginam Sanctorum omnium, cujus imaginem sub titulo de Columna pro-

pe

pe caput usque ad mortem retinuit, frequentibus et suavissimis colloquiis invocabat. Paucis ante obitum horis patrocinium dulcissimæ Matris non modo sibi, sed cunctis etiam peccatoribus imploravit adeo ferventi deprecatione, ut adstantibus mirum esset, qui animam jam agebat, tantum inesse spiritus et vigoris. Sæpe ad Christum conversus, pretiosissima illius adorabat vulnera, et in ejus sanctissimo Corde, tanquam in tutissimo asylo, requiescebat. Inter hæc advenit illi dies ultimus, qui fuit III Kalendas Martias anni MDCCLXXIII. Eo die cum Sacrum audisset, conscientiam confessione purgasset, et altaris Sacramentum percepisset, ardentioribus incensus votis amplexandi dilectum suum, post quartam horam pomeridianam, his verbis tertio repetitis: *Beatissima Trinitas, desidero te videre*, animam placidissime reddidit Creatori. Et qui toties in concionibus suis de felici justorum morte, oculis fletu madidis jucundissimo, et corde mira superfuso dulcedine disseruerat, eam ipsemet suavem expertus est, et tranquillam.

Exanime illius corpus, quod non ante duas et quinquaginta horas mandatum est terræ, flexibile semper mansit. In ejus vultu tantus emicabat decor et gratia, ut omnium ad se oculos raperet, multique se invicem truderent, ut eum cominus intuerentur. Vulgata ejus morte, plurimi ex variis provinciis Socii, qui Bononiæ commorabantur, certatim ad venerandum Petri cadaver accurrerunt. Multi manus ejus et pedes exosculati, verbis et lacrymis ostendebant, quantum ex desiderio tanti viri commoverentur: alii numismata, et coronas sacras illius ori ac manibus applicabant: alii capillos, et ungues ei præciderunt: omnesque aliquid eorum, quæ reliquerat, magna contentione deposcebant. Eandem solicitudinem exhibuerunt non modo alii per Italiam sparsi Socii, sed multi etiam viri, ac feminæ diversorum ordinum et conditionum. In his fuit Illuttriss. D. Franciscus Columbanus, Episcopus Britonoriensis, qui cognita Petri morte, nonnihil habere voluit de reliquiis ejus, quem ab eo tempore, cum illum Bononiæ noverat, tanquam virum sanctitate præstantem venerabatur. Kalendis Martiis in templo Divi Nicolai, quod impositum est viæ S. Felicis, communi omnium Sociorum luctu, et multiplici Sacrorum oblatione parentatum est Petro, qui an-

annos vixerat tres et octoginta, menses sex, dies viginti septem. Venerabiles ejus exuviæ, intra arcam inclusæ ligneam, sub vesperum ejusdem diei decenti pompa delatæ sunt in domum S. Ignatii, quæ tum Societatis erat tirocinium, et in sepulcreti Sociorum loculo reconditæ. In extimo loculi pariete breve quoddam epitaphium fuit inscriptum, quod paucis depositi rationem exhibet: intra arcam vero aliud repositum est elogium, tubulo insertum duplici, altero vitreo, altero ex ferri lamina, quod in hujus vitæ calce subjiciam.

Hæc summa rerum est, quas gessit Petrus Calatayudius, desumpta ex ejus Vita, quam latius scripsit vir præstantissimus Franciscus Xaverius Idiaquezius. In ea quidem haud pauca dicta sunt, quæ sanctitatem ejus, et singulare meritum ostendunt: multo tamen plura dicenda supererant tum de diuturno suo et mirabili Apostolatu, tum maxime de illius præclaris, heroicisque virtutibus: quibus id assecutus est, ut ab suis pariter, et ab alienis cum magno illo Indiarum Apostolo, S. Francisco Xaverio, populari suo, comparari meruerit ob ardentes, quibus æstuabat, amoris divini flammas, ob indefessam salvandi homines solicitudinem, ob Apostolicam paupertatem, et animi demissionem, ob suam in periculis fiduciam, in adversis constantiam et fortitudinem, ob sapientiam et cœlestia lumina, ob alia denique dona vere divina, quibus Deus illius animum ad sui gloriam, et innumerabilium salutem hominum exornavit. De his multa in commentarios suos retulerat fidelissimus ejus socius Joannes Carbajosa, quæ omnia, ut diximus, in Hispania relinquenda fuerunt. Quod si hæc aliquando recuperare liceat, locupletior de Petri rebus gestis historia poterit efformari. Ego compendium hoc aptissimo fine confecerim, si Petri elogium adjunxero, quod illi post obitum texuit Josephus Petiscus, qui ejus vitæ seriem et laudes paucis brevibusque lineis, tanquam in nuce Iliadem, clausit.

D. O.. M.

D. O. M.

P. PETRO . DE . CALATAYVD . E . SOC . JESV
GENTE . NAVARRO . EX . CIVITATE . TAFALLA
VIRO . APOSTOLICO
AD . MAJOREM . DEI . GLORIAM . PROPAGANDAM
SVPERIORE . SECVLO . NATO
VERBI . DIVINI . VBIQVE . DISSEMINANDI
TVM . VOCE . TVM . SCRIPTIS
INDEFESSO . ADMINISTRO
QVI . AB . INEVNTE . ADOLESCENTIA
OMNIA . SVA . STVDIA
IN . SALVTEM . ANIMARVM . PROCVRANDAM.
CONTVLIT
TEMPORE. MAGISTERII. QVOD.SVMMA. CVM. LAVDE
ET. EXCELLENTIS. INGENII. SINGVLARI. OPINIONE
OBIVIT
QVOTANNIS . EXPEDITIONIBVS . SACRIS
QVADRAGINTA . MINIMVM . DIERVM . SPATIO
VACARE . CŒPIT
QVIBVS . DEINCEPS . PERPETVO . TOTVS. INCVMBENS
HISPANIAS . AC . LVSITANIAM . FERE . VNIVERSAS
IPSOS . QVADRAGINTA . OCTO . ANNOS
MIRIFICO . FRVCTV . PERAGRAVIT
PLVRIMIS . PRODIGIIS . EJVS . MISSIONE . DIVINITVS
CONFIRMATA
INDIAS . QVAS . IN . VOTIS . HABVIT . NEC . OBTINVIT
ATQVE . ADEO . VTRUMQVE . ORBEM
LIBRIS . EDITIS . ILLVSTRAVIT
GRAVES. PERDITISSIMORVM HOMINVM.INIMICITIAS
PRO . RELIGIONE . SVSCEPIT
IN . REBVS . PROSPERIS . ET . ADVERSIS
ÆQVE . IMPERTVRBATVS
HISPANIA . DEMVM . INFIRMITATE . ATQVE
INCOMMODIS
INGRAVESCENTIS . ÆTATIS . PENE . CONFECTVS
CVM . OFFICIOSE . RETINERETVR

EX-

EXVL . VOLVNTARIVS . DISCESSIT
POST . INGENTES . LABORES . TERRA . MARIQVE
POST.DOLORES.ACERBISSIMOS.IN.EXTREMO.MORBO
INVICTA . PATIENTIA . TOLERATOS
CŒLESTEM . PATRIAM . VNICE . APPETENS
CORDE . IN . AFFECTVS . ET . VOCES
ARDENTISSIMÆ . CARITATIS . EFFVSO
PROSCRIPTÆ . SOCIETATIS . HISPANIENSIS
ANNO . SEXTO
AB . IPSO . INITÆ . SEXAGESIMO . TERTIO
PROFESSIONIS . QVATVOR . VOTORVM
QVADRAGESIMO . SEXTO
ÆTATIS . OCTOGESIMO . QVARTO
ÆTERNVM . VICTVRVS . IN . PACE . DECESSIT
DIE . VIGESIMA . SEPTIMA . FEBRVARII
ANNO . DOMINI . MDCCLXXIII
MAGNO . SVI . DESIDERIO . VIRTVTVMQVE . OMNIVM
OBEDIENTIÆ . PRÆSERTIM . VSQVE . AD . MORTEM
RARO . EXEMPLO . RELICTO
OPTIMO . SENI . MAGISTRORVM . ANTIQVISSIMO
EVANGELII . PRÆCONVM . ÆTATIS . NOSTRÆ
FACILE . PRINCIPI
QVI . PVBLICE . PRIVATIMQVE . DOCEBAT
TANQVAM . POTESTATEM . HABENS
FAMA . SANCTITATIS . ET . DOCTRINÆ
APVD . HOMINES . MAGNO
RE . IPSA . MAXIMO
SVPERIS . MORTALIBVSQVE . GRATISSIMO
PATRES . CASTELLANI . SOC. JESV
BENEMERENTI
P. P.

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM.

A

Abarizqueta ( Joannes ) Batuecorum gentem suscipit excolendam. Pag. 291
Abulæ quædam mulier mirabili modo ad pœnitentiam adducitur. p. 342. in Cœnobiis Virginum sacræ commentationes habentur. ibid. In urbe Schola Mariana aperitur. ibid. Statua erigitur B. V. de Columna. p. 343. Socius quidam sanctitatem P. Calatayudii evidentius agnoscit. ibid.
Abulenses Socii, dum iter in portum arripiunt, multis exercentur incommodis. 221. seq.
Admonitiones ingerendi cum fructu ratio quædam opportunissima. 197
Adolescentium aliquot pro petenda Societate, vel eadem retinenda, laudabiles conatus. 116. 117 139. 233. 253.
Adversa quælibet pro Christo tolerandi desiderium. 34
Aegerrimo corpori vires addit fervor spiritus. 304
Aegritudine quidam affectus, alterius non solum verbis, sed vultus etiam hilaritate recreatur. 255
Aequabilitas animi vel inter ludibria non amissa. 240
Albercæ arescentibus agris pluvia impetratur flagellatione supplicantium. 292
Almansa ( Josepha ) insignis pietate femina, in duplici adverso casu per duplicem futuri prædictionem ab ægritudine liberatur. 317. 318
Almeriæ magno cum fructu erigitur Schola Christi. 317
Alonenses cives avidissimis animis, et auribus Dei verbum excipiunt. 220. seq.
Alvaradus ( Franciscus ) nobilem S. Bartholomæi fasciam cum Societatis veste commutat. p. 169. Ejus in dirigendis ad cœlum animis dexteritas. ibid.
Angeli vias expediunt, quas ingrediuntur, qui ad audiendum Dei verbum accedunt. 320
Animi ad conspectum mortis imperturbata serenitas. 275
Animi rebus diligenter prospicere plurimum juvat ad temporalia negotia feliciter expedienda. 180
Animus ad honestam occupationem intentus, facilius declinat vitia. 40. 169
Animus inter injurias temperantissimus. 176. seq. 316
Annoa ( Franciscus ) Cæsaraugustæ Antistes, multam Petro Calatayudio exhibet venerationem. 334
Apophthegma cujusdam rustici. 292
Ariditatis tempore præhabiti solatii anima meminisse non solet. 215
Assiduitas in pœnitentium confessionibus excipiendis. 195
Assiduitatis ad literas, et pietatem exem-

exemplum. 361
Astudillum profecti Novitii, quid in eo itinere sint passi. p. 241. Benigne ab incolis excipiuntur. 242
Astures variis in locis egregiæ pietatis perhibent documenta. 322
Avaritiæ sordes Sacerdotem maxime dedecent. 23
Ayamontii abundantes divinæ gratiæ fructus proveniunt. 449
Azpeithiæ domus erigitur, quæ Nosocomium simul esset, ac Brephotrophium. 204

B

Batuecorum regio describitur. 291
Bæticorum animi ad religionis opera propensi. 346
ad Bene moriendum quænam præ cæteris conferant adjumenta. 159. 165
Blanditiæ domesticorum perniciosæ sunt religiosis. 250 252
Borgia (S. Franciscus) a novitiis Societatis commeatum virtutum ad reliquam vitam in tirocinio comparari volebat. 172
Bracharæ ad prædicationem divini verbi magna fit morum conversio. 324. seq.
Brignola (Helena) in Genuensium portu, Socios allocutura, ad naves accedit. 127
Burgenses cives humanissime Novitios excipiunt. 248
Burgensis Archiepiscopus Novitios duos, qui eum adierant, primum suspectos habet, deinde cum honore, ac donis dimittit. 244. 245
Burgotari, ac Regii magno cum honore excipitur P. Calatayudius. 364
Bustamantius (Andreas) Episcopus Palentinus Francisci Atelæ opera utitur, ad erudiendos in spiritu Sacerdotii candidatos. 8

C

Cæsaraugustæ populus, fracto Calatayudii subsellio, inter se dividunt schidia. 334
Cæsaraugustani Doctores sententiam Petri Calatayudii suo judicio confirmant. 333
Calamitates in magnis Dei donis computandæ. 361
Calagurritano Clero per exercitia S. Ignatii novus ad virtutem ardor injicitur, ex quo populus etiam incalescit. 332. seq.
Calvii, dum tirones aquam e fonte petunt, cujusdam hydria ænea glande confringitur. 256
Capuccinorum Patrum pietas in Socios Calvio abeuntes. 363
Carbajosa (Joannes) insignis Dominici agri per annos plurimos operarius. 304. seq.
Carthagine ad triremes damnati sacris ministeriis excoluntur. 314
Caritatis officiis adimplendis vires addit animus infirmo corpori. 358
Castimoniæ candor insignis. 50. 63 167. 225. 285. seq.
Christi patientis contemplatio ingentes animos addit ad tolerandum adversa. 138. 152
Christus adolescenti cuidam peccata sua mirabiliter indicat, et ad pœnitendum hortatur. 292. seq.
Christus sub Hortulani specie sese videndum exhibet, ut quendam ad perfectionis studium accendat. 216
Cibi notabilis parsimonia. 27. 75. 90 91. 367.
Collegia, quæ apud Hispanos majora dicebantur, magno olim erant in pretio. 224
Columbanus (Franciscus) Episcopus Britonoriensis de Petro Calata-

yudio honorifice sentit. 374
Comes Itrensis pietatem in Deum, in egenos exhibet largitatem. 305
Compluti juvenis quidam miseranda nece conficitur. 286
Compostellæ Matronarum cœtus erigitur, ad inserviendum ægrotantibus feminis. 306
Confessarii ope mali Dæmonis artes facile superantur. 11
Constantia in sigilli religione tuenda. 33
Cor JESU religiosa colendi ratio. p. 122. 187. 228. In ejusdem promovendo cultu solicitudo. 197 315. 322. 337.
Coronam spineam Christus cuidam exhibet, et imponit. 215
Corporis atterendi artes variæ, et ingeniosæ. 27. 57. 64. 90. 168 230. 260. 287.
Corralius (Josephus) in defendenda Societatis causa Victoriensi strenue laborat. 101
Corripiendi optima ratio. 77
Corsica, prima Sociorum exulum sedes, durissimo afflicta bello civili. 95
Corsorum duces Sociorum exulum sortem commiserantur. 256
Corunniæ puerorum exemplo incitantur viri ad laudes Mariæ V. publice decantandas. 306
Cosius (Isidorus) Episcopus Vallisoletanus sacris interest commentationibus cum laude P. Calatayudii. 354
Cultus erga B. Virginem multimodis exhibitus. 28. 29. 30. 58. 68 163. 229. 265.
Culpis etiam levioribus evitandis studium simul, et medicina. 257
Custodem Angelum venerandi usus frequentissimus. 370

D

Dæmonum larvis, et insectationibus superandis quænam arma sint adhibenda. 205
Deliberandi prudentissima ratio. 162
Denuntiatione propinquæ mortis audita, cujusdam exultat animus. 372
Desiderium summi Boni, ejusque obtinendi fiducia in supremis horis acuenda. 373
Devæ femina quædam mortis genus incurrit, quod sibi fuerat prænuntiatum. 199
Devexa in ætate vigor ad literas juvenilis. 367
Deus, concessa valetudine, promptum ad labores animum remuneratur. 151. 152
Diabolus piam feminam miris modis excruciat. 10
Diœcesis Bracharensis uberem ex prædicatione fructum producit. 327
Divina percipiendi mysteria perquam diligens cura. 372
Dissidia inter Secanos, et Navenses sacra missione tolluntur. 355
Dolor acris ob admissa peccata vel corpus ipsum debilitat. 307
Dolorum Christi participem fuisse, optima est ad novas consolationes præparatio. 216
Domestica exempla vim habent maximam ad persuadendum. 284
in Donis recusandis invicta constantia. 89
Dulce ac decorum est pro Deo in adversa incurrisse. 157
Dutarius (Hieronymus) magno reip. christianæ bono Scholam Marianam aperit. 7

E

Equites Azcoithienses, sacris commentationibus exercendi, Lojolam

lam omnes una conveniunt. 262
Eucharistiam adorandi vel suscipiendi solicitum studium. 56. 60. 92 168. 181. 183. 184. 206. 220 262 366.
Excerpendi usus inter legendum plurimi refert in futurum. 288
Exempla constantiæ, quam in retinenda religione tirones aliqui coram judicibus exhibuerunt. Villægarsiæ: p. 138. Turrecremata: a p. 142. Palentiæ: p. 147. 150. Burgis: a p. 245. Sanctanderi: p. 116. 153. 254. Vallisoleti a p. 170.
Exempla divinæ misericordiæ in conversione quorumdam ad saniora consilia. Vallisoleti. p. 179 seqq. Lojolæ. p. 263. Corunniæ. p. 306. Tafallæ. p. 310. Victoriæ. p. 311. seq. Almeriæ. p. 318 319. Bracharæ. p. 325. Provesende. p. 332.
Exempla divinæ severitatis in eos, qui Dei verbum audire negligebant. p. 293. item Lucronii. p. 311. Lorcæ. p. 314. Arevali. p. 343. Villamorii. 351. 352
Exercitia S. Ignatii nonnulli ægre suscipiunt, et ab iisdem ægrius discedunt. 323

F

Familiarem sermonem ad aliorum bonum flectendi dexteritas, et fructus. 289
Feijous (Benedictus) de Petro Calatayudio non semel cum laude, de se vero cum animi demissione loquitur. 294. 295. 321. 322. 353
Femina, cui mors subita prædicta fuerat, synaxin frequentat, ne decedat imparata. 199
Ferrerius (Joannes Baptista) Lucensium Episcopus Petrum Calatayudium advocat, ut sibi in extremis adsit. 329
Fidei dogmatum propugnatores non solum sacra doctrina præstent, sed artem quoque impugnandi calleant, oportet. 270
Fiducia obtinendæ salutis quibus potissimum causis recte innitatur. 158
Filii ad Matrem oratio, ut vocantem Deum sequi se sinat. 134
Flavionaviæ Episcopus Novitios et prudenter admonet, et liberaliter tractat. 153
Franciscani Patres exulibus Sociis sua tecta liberaliter exhibent Calvii. 358
Franciscus Cardinalis de Solis Petrum Calatayudium Hispalim vocat. 344
Frequens divinorum usus et robur ad labores sustinendos, et lumen ad eos prævidendos subministrat. 206

G

Gegione Virgines Augustinianæ pietatem exhibent erga Socios. 94
Generosus miles de seipso laudabiliter triumphat. 308
Genuenses Soc. Jesu Patres ægrotantes Hispanos Socios in Asceterio suo recipiunt. p. 208. Genuensium tironum ad inserviendum ægrotis gnava sedulitas. ibid.
Gonzaga (S. Aloysius) clientis sui preces exaudit. 171. seq.
Grati animi pro adepto religiosæ vitæ statu significatio. 287
Gutierii (Melchioris Angeli) Episcopi Pompelonensis prudentia. p. 307. Religio. p. 308. Humilitas. 309

H

Hispalensis diœcesis et Clerus, et populus ad meliora traducitur. 346
Hispaniæ Proceres magno cum fructu S. Ignatii peragunt exercitia. 338
Hoyus (Bernardus) eximiæ juvenis innocentiæ Cordis Jesu cultum promovet in Hispania. 315
Hominem, dum ad meretricem pergit, canis invadit, visoque simul Petro Calatayudio, sceleris pœnitentia ducitur. 332
Hominis perditissimi admirabilis conversio. 319. seq.
Hospitalitatis meritum portento confirmatum. 305
Humanæ gloriæ appetitui superando rationes quædam opportunissimæ. 257. 258
Humanarum rerum generosa contemptio. 224 seq. 338. 341
Humilitatis notabilia quædam exempla. p. 51. 52. 67. 68. 173 178. 179. 192. 231. 232. 290 333. 360. 371

I

Imagines, quæ menti obversantur interdiu, eædem recurrunt in somnis. 220
Imminentem mortem Deus cuidam per visum ostendit. 263. seq.
Index librorum, quos edidit P. Calatayudius. 368
Industriæ pro divini Nominis honore tuendo. 300. Pro tollendis inimicitiis. 301. Pro desidiosis, ac durioribus animis expugnandis. 301. 302
Infirma corporis valetudo justis est fodina virtutum. 268
Innocentis vitæ exempla quædam non vulgaria. 75. 111. 125. 169 201. 213. 234. seq. 372
Intentionis rectissimæ votum singulare. 21
Inter animi angustias prolixius orandum. 298
Josephus Portugalliæ Princeps, Archiepiscopus Bracharensis, ad se advenientes e Castella Socios libenter ac liberaliter excipit. 324. 331. Eosdem ægre dimittit. 329. Ovium suarum ulceribus lingua sua medetur. 326. In custodia detentos manu sua pascit. ibid. Nomen suum dat Congregationi Cordis Jesu. ibid.
Iter agendi modus religiosissimus. 296. seq.

L

Labor in discendo præproperus mentis aciem potius hebetat, quam exacuat. 42
Labores magni plerumque ignavos frangunt; magnanimis robur adjiciunt. 279
Lacrymarum donum ob studium humilitatis recusatum. 173
Legum observandarum exacta diligentia. 228
Literarium studium quali sit intentione suscipiendum. 175
Lojola (Joannes) in promovendis ad perfectionem hominibus perquam industrius. 169. seq.
Lorcitana civitas prima est in Hispanis ad erigendam Cordis Jesu Congregationem. 315
Ludovicus Cardinalis Borbonius Matritensium saluti prospicit, misso ad eos Petro Calatayudio. 336 Eidem pro susceptis laboribus gratias agit. 337
Lusitana gens ad pietatem propensa.

sa. 328
Luzuriaga (Ferdinandus) in obsequio tabidorum contracta lue moritur Sebastianopoli. 285

M

Manriquius (Joannes Franciscus) pro construendo Victoriensi Collegio domum suam legat, et vectigal assignat. 100
Mansuetudinis præclarum exemplum. 39
Mater, quæ conceptam prolem devotam Deo desiderabat, voti compos effecta. 71
Matris egregium facinus, ut filium denuo immolet Deo. 117
Matriti ad duo millia ex ordine Sacerdotali sacris incumbunt meditationibus. 337. Eorum plurimi custodias invisunt, ciboque lautiore reficiunt. ibid.
Matrona quædam ad sanitatem mentis redit ex P. Calatayudii verbis, per internuntium missis. 350. 351
Mendacium, vel in puerili ætate, cavendi diligentia. 111
Menstruus ad repurgandum animum secessus. 93. 189
Miles, qui conjugi necis horam destinaverat, audita concione resipiscit. 293
Milites duo tironibus initio metum incutiunt, deinde illos perquam humaniter habent. 243. 244
Minimis in rebus sæpe vertuntur maximæ. 267
Misericordia in alienis malis eximia. 359. 360
Misericordia in egenos cum paupertatis studio conjuncta. 162
Modestia juvenum, et exempla Doctorum Complutensium S. J. quendam ad idem vitæ genus alliciunt. 286
Molinosii erroribus femina infecta deprehenditur, et corripitur. 312 seq.
de Montibus (Thomat Josephus) Episcopus Murcianus insignem in pauperes exhibet misericordiam, quam Deus prodigio comprobavit. 312
Morbis etiam corporeis sublevandis juvat Eucharistiæ reverens adoratio. 177
Mors justis hominibus non amara est, sed amata. 155. 236. 374
Mors subitanea qua ratione possit optari. 282
Mulier, quæ mortem sibi consciscere decreverat, mirabiliter ab insano consilio revocatur. 328. seq.
Mundani honoris, et gloriæ pro Jesu Christi amore contemptio. 336 seq.
Murciæ, luctuosa cujusdam morte, ad meliorem vitam multi resurgunt. 313

N

Nobilis femina magnum ex concione concipit odium mundi muliebris. 354
Nobilissimi viri gravia propter Deum de se sumunt supplicia. 340
Novitiorum duo per vim, et fraudem a cæteris distrahuntur. 249. seq.
Novitius, qui vacillabat, ex illis Christi verbis: *multi sunt vocati*: ad perseverandum inducitur. 147 242. iidem angina tactus, a suscepto in patriam itinere revocatur. 243. Tandem graviore pressus morbo, remanet in Hispania. 252. Videsis vocem *Tirones*.

Or-

O

Oarrichena ( Joachimus ) Burgensis Pœnitentiarius Novitios omni fovet beneficiorum genere . 246 247. 249.
Obedientia religiosis hominibus compendium est utilissimum . 170
Obedientiæ exempla quædam memoranda . 25. 74. 126. 247. 259 260. 271. seqq. 370
Obedientiæ fructus cuidam promissus , deindeque probatus. 304
Occulta , et futura non semel prævidet Petrus Calatayudius . 317 318. 347.
Occupationes externas cum elevatione mentis in Deum conjungendi notabile exemplum . 178. 188
Offensiones præcavendi, quæ verbis fieri possint , aut factis , exquisita diligentia . 235. seq.
Operandi modus ad magnam perfectionem exactus . 62
Operarium evangelicum magis vitæ sanctitas , quam doctrina commendat. 81
Orandi accuratum studium . 92. 93 200. 207. 223. 229. 263. 270. 365 seq.
Oratio cujusdam , cum Eucharisticum viaticum jam esset accepturus. 373
Oratori sacro dictio extemporalis non placet . 99
Oropesæ femina debilis pedibus , repente confirmatur . 343
Ostaletus ( Joannes ) adventantibus Sanctanderum Novitiis obviam procedit , eosque per civium domos distribuit . 252
Ovetenses Socii fœda tempestate jactantur . 94
Oveti concionem turbat canis horrificus . 353. Pluvia ingruens prece suspenditur . 353. 354

P

Palentini cives liberaliter Socios excipiunt. 139. Novitios , a plebe procaciter insectatos , miseratione prosequuntur , ac donis . 148. 149
Panzani magna Sociis initio fuit rerum inopia . 365
Paræneses domesticas excipiendi aviditas singularis . 366. seq.
Parochus ab aggressione furis singulari Dei providentia liberatur . 198
Patientia in acerbis doloribus invicta . 156. 157. 164. 211. 236. 371
Patrocinium Mariæ V. non modo sibi , sed cunctis etiam peccatoribus quidam in extremis horis implorat . 374
Paupertatis voluntariæ exempla quædam insignia . 90. 162. 226. 259 270. seq. 370.
Peccati odium acerbissimum . 20
Peccatoris resipiscentis mors felicissima . 325
Peccatorum deposito fasce , puro repletur animus gaudio . 181
Perfectionis obtinendæ ardentissimum desiderium. 14. 58. 175. 186
Pisadorus ( Augustinus ) Episcopus Ovetensis P. Calatayudium ad erudiendam suam diœcesim advocat . 351
Piscatoribus ad oram Oceani magno cum labore , sed pari cum fœnore prædicatur . 349. seq.
Pœnas pro noxis debitas in hac potius vita , quam in futura luere quis optat , ne a Dei conspectu retardetur . 371
Precandi studium viget in tirocinio Calviensi . 360
Preces quotidie fusæ , pro sacris mysteriis ante obitum suscipiendis , misericorditer exauditæ . 276
Publicæ corporis macerationes divini-

nitus comprobantur. 315
Pudoris tendi solicitudo. 91. 92. 225 226. 260. 273. 285. 297. 370. seq.
Pueri dejerantem reprehendunt hominem, qui, dum illos insequitur, ferro sibi trajicit linguam. 334. seq.
Puerum, qui castitatis votum emiserat, B. Virgo ad ingrediendam religionem hortatur. 167. seq.

Q

Quæsitor supremus fidei Monialem quandam Francisco Atelæ dirigendam committit. 5
Quo quisque comparatus est animo, eodem sibi cæteros fingit. 153
Quotidianæ ad mortem præparationis norma utilissima. 189

R

Rabagus (Franciscus) nitorem humanioribus literis additurus, præstantissimum Rhetorem Seminario præficit Villagarsiensi. 3
Recentes ementiti Philosophi acriter impugnantur. 337
Regina Elisabetha Farnesia Petrum Calatayudium ad se vocat. 340 Ejus ministeriis auxilium, et honorem præbet. 341
Religiosæ vocationis amor vires sufficit, ad labores impigre adoriendos. 274
Religiosi viri existimatio superfluis non paritur visitationibus. 87
Reverentia in Sacerdotes exhibita 371

S

Sacerdos ad Petrum Calatayudium ingressus, illum per excessum mentis reperit abalienatum. 336 item 345.
Sacerdos deterioris vitæ per exercitia S. Ignatii ad meliora convertitur. 202. seq.
Sacrificandi reverens, et accurata solicitudo. 16. 86. 182. 183. 205 274
Salutis hominum procurandæ, maximeque debiliorum, strenua solicitudo. 61
Samuelis denominatio in tirocinio Matritensi cui esset imposita. 112
Sanctanderi perhumaniter excipiuntur Novitii. 152. 153
Schedæ, S. Ignatii nomen inscriptæ, vim habent fugandi Dæmones. 372
Scholæ Marianæ leges aliquot. 7. 56
Segoviæ multa movet Diabolus, ut sacram prædicationem impediat. 339. Quædam item insolita cum auditorum commodo eveniunt. 339. 340
Singularis Dei providentia in repentina cujusdam morte. 283
Sociorum labores in Corsica. 95 121. 122. 256. 359. 360. 362. In mari Ligustico. 127. In Apennini transitu. 128. 361. seq.
Sodalitas Matris Luminis Matriti instituitur. 338
Solarii (Josephi) tirocinii Genuensis Præpositi erga Hispanos exules caritas. 124. 208. 209
Solicitudo in pueris ad literas, et pietatem instituendis. 84. 188
Studium colendi Deiparam solatium in extremis affert. 113

T

Teresia de Aguirre tabulis, S. Ignatii vitam mire exprimentibus, domum Baldam exornat. 102

Te-

Terulii non pauci ægroti ad concionis locum deportari volunt. 334.
Theatrales ludi Catholici Regis lege reformantur. 337
Timores superandi, qui fiduciam in Deo imminuant. 17
Timoris Dei fructus uberes, et jucundi. 277. seqq.
Tirocinii tempore vitam finire, cur novitius quidam optaverit. 135
Tirones, ut in exilium irent, quanta variis in locis superaverint obstacula. Villægarsiæ: a pag. 137. Turrecremata: a p. 141. Palentiæ: a p. 145. Ad pagum S. Cypriani: 243. Burgis: a p. 245
Tirones Villagarsienses quo pacto sacris proluderent excursionibus. 78. Ad Turremcrematam detenti, quam vitæ formam tenuerint. 140. seq.
Toletanus Clerus, ac populus præclarum pœnitentiæ specimen præbet. 335
Tranquillitas animi singularis in rebus adversis. 95. 106. 205. 206. 222. 281. 333. 356. 362. 365.
Tranquillitas in operando viam aperit ad plura conficienda. 43
Trianæ, nobili suburbio Hispalensi, mirabiles pœnitentiæ sensus perhibent Ægyptiani. 345
Turcis, et Mauris in prælio captis annuntiatur Christus, cujus militiæ nonnulli conscribuntur. 314. seq.
Tyrrheni maris insulas difficile prætervehuntur Socii. 357

V

Valdivia (Ludovicus) rem christianam cum fructu, nec sine adversis promovet Almeriæ. 317 seqq.
Valentinorum in Deipara salutanda nobilis contentio. 320
Vallisoleti copiosi, diversique fructus ex Evangelii prædicatione capiuntur. 330
Vallisviridis incolæ præclarum religionis exhibent documentum. 348
Vascones ignotum Oratoris idioma percepisse se ostendunt. 309
Viduæ Matris conamina, ut filium ab ineundæ Societatis consilio dimoveat. 133. Alterius, ne filius in exilium abeat. 253
Villafranca Bergidorum miseranda laborat fame, cui depellendæ adlaborant Socii. 352
Villanova (Joannes) a Novitiis explorator præmittitur Sanctanderum. 241. Iisdem ad Reinosam occurrens, faustum suæ profectionis exitum annuntiat. 250. Burgos usque progressus, inde regreditur Sanctanderum. 251. seq.
Vir improbus per objurgationem ab Rege factam resipiscit. 317. seq.
Virovescæ, et alibi erigitur Schola Mariana. 7
Vir quidam, perspecta Sociorum in adversis constantia, præconceptam de illis opinionem deponit. 254
Vir quidam religiosus, qui de Calatayudii orationibus minus bene sentiebat, opinionem suam cum admiratione deponit. 344. seq.
Vir, qui nuptialis epuli causa multos a concione retraxerat, ipse inter prandendum suffocatur. 293
Virum Apostolicum tenui victu contentum esse decet. 292
ad Vitæ honestæ conditionem affici, quam quis semel arripuit, utile in primis est, ac laudabile. 32
Vitæ periculum honesti amore despi-

pi-

picitur. 279
Vocationi divinæ obsequentem fuisse, magnam in morte affert consolationem. 265
Vultus imperturbata serenitas in magnis animi angoribus. 191

X

Xaramillus Almeriensis Decanus, pro instituenda Sociorum missione per diœcesim, annuos census assignat. 317
Xaverius (S. Franciscus) cuidam imploratam opem exhibet, ut peccata rite fateatur. 292
Xerezii familiæ duæ nobiles inveterata odia deponunt. 346. seq.

Z

Zelus gloriæ Dei, et salutis hominum ardentissimus. 185
Zubiaurus (Nicolaus) socius datur P. Calatayudio. 344
Zuecus (Josephus) diœcesin Bracharensem excolit sacris expeditionibus. 332

| Errata. | | | Corrige. |
|---|---|---|---|
| Pag. | lin. | | |
| 21 | 4 | offendite | offendi te |
| 24 | 1 | meditionis | meditationis |
| 51 | 30 | insotum. *in aliq. exempl.* | insolitum |
| 116 | 3 | lacymas | lacrymas |
| 118 | 31 | ausculandos | auscultandos |
| 156 | 32 | excervit | excrevit |
| 201 | 21 | egro | ergo |
| 360 | 11 | æruminis | ærumnis |

[illegible]

[illegible]

B 6